

SYNOPTICA RESOLUTIO QVÆSTIONUM

Ducentarum, cum Duodecim auctario,

de

NOBILITATE,

è

Jure Publico, & varia Erudita Antiqvitate petitarum,

nec non

Methodo Simplici pertractatarum,

pariterq;

Ad Lydium veritatis lapidem examinatarum,

Cum Indice Qvæstionum addito,

à

JOANNE GEORGIO Hanaw.





GUBINÆ,

Sumptibus Authoris,

Typis CHRISTOPHORI GRUBERI,

Anno M. DC. LXXI.



VIRIS
MAGNIFICIS, GENEROSIS, NOBILISSIMIS, STRENUISSIMIS, AC PRÆCELLENTISSIMIS, DOMINIS,

DN. JOANNI SIGISMUNDO de BERG/

Hereditario in Herndorf/Gladau/Tzschetzschwitz/ & Cuntzendorf / &c. gravissimo: celeberrimo, eidemqve Primario, Bergiano-Herndorfiensis Fundationis Fidei-commissario: Ducatûs item Glogaviensis Senatori eminentissimo;

item

DN. VVOLFGANGO ALEXANDRO de STOSCH/

Hereditario in Kreydelwitz/Tribusch/Altwasser/ & klein Kuntzenau/ &c. spectatissimo: memoratæ Fundationis Fidei-commissario maximè conspicuo: Ducatûsq; Glogaviensis Magnificis Statibus Provincialibus Senatori & Adsessori prægloriosо;

tandem

DN. RUDOLPHO de GERSDORF/

Hereditario in Kutlau/Weichau/Peterswaldau/ & Mertzdorf/&c. præclarissimo: laudatæ Fundationis Fidei-commissario, præcipuis in Eandem meritis famosissimo: Ducatûs Glogaviensis illustrissimis Statibus Provincialibus Magnifico Adjuncto, Ducatûsq; Freistadiensis Senatori famigeratissimo;

Dominis, Musagetis, Mæcenatibus, Evergetis, ac Promotoribus suis Magnis, Clarissimis, perpetuò suspiciendis, atq; submisse colendis.



J. J. J!



TSI, VIRI MAGNIFICI, GENEROSI, NOBILISSIMI, STRENUISSIMI, AC PRÆCELLENTISSIMI, *Domini, Musagetæ, Mæcenates, Evergetæ, ac Promotores Magni, Clarissimi, perpetuò suspiciendi, atqve submissè colendi*, luci dare, qvem jam venerabundus, clypeo authoritatis Vestræ, aureo illo *Caligulæ* mihi multis partibus chariori, tuendum offero, *Tractatum de* NOBILITATE *Politicum* jam pridem constitueram: ut & tantis *Musagetis, Mæcenatibus, Evergetis & Promotoribus*, à Milite illo Generoso, solemnem illam Rerum Dominæ, Romæ, formulam: *Auctori Tuo reverentiam!* mihi non esse inculcandam, intra privatos parietes constaret: & ego in publico Literati Orbis theatro, cum Civibus universis, tum piæ posteritati, siqva extremo, & in sua ipsius flagitia se præcipitanti, mundo est futura, aperirem, *qvanti facienda sit in magna facultate bonæ voluntatis opulentia: qvantiq; sit habenda, qvamq; honesta, gratæ mentis significatio*: ab isto tamen

cona-

conatu meo sæpenumerò avocatus sum: non qvidem *gratitudinis debitæ oblivione: qvæ ultra omne humanum scelus caput elevâsset:* nec desperatione Vestræ in me humanitatis: geminæ illi, qvam Historiæ in CYRO Rege admirabilem, παραινεσίων instauratores sanctam exosculantur: ego in sinu fovere soleo: qvoties vitam meam, qvæ inde non unum sibi applicavit amuletum, contemplor, amo, & æstimo: sed scripti genere, qvod, an satis dignum sit TANTO NOBILITATIS FASTIGIO, ac TANTORUM VIRORUM PERSONIS, me ancipitem habet: nec non *invidiæ* morsu: *qvæ, dæmonis propria, dum bonum sectari detrectat, alieni studii bonitatem lacerare satagit.* Tandem ego, omnibus justiore judicii trutina pensitatis, memetipsum vici: *datamq; fidem, vel ex animo conspicuam, reverenter esse habendam statui: qva etiamnum nihil antiqvius colo.* Vel *Gentile præceptum, ad ejusdem nutritionem, singulos bonæ mentis Candidatos, provocans:* me eò allexit, invitavit, & excitavit. Nec usum ejusdem prætereo, aurem insuper mihi vellicantem, &, ad amplificandam & ornandam humanam societatem, cultum sui menti ingerentem. Varie adhæc me afficit campus ille, Itala terra longè lætior. Et hic firmioris animi occasionem subjicit, scribenti mihi præstratus: cujus

--- --- --- --- Sponte per agros
Sudant irriguæ spirantia balsama venæ.

NOBILITATIS est fertilis, ejusq; veræ. Lolium, & tribulos, & carduos, lappasq;, non magis, qvàm rubos, inter frugum morbos referens, ipsas terræ tam facilis, egregiæ, & fructuosæ pestes evulsas volo & exstirpatas. Campum hunc etsi, qvod priscæ ætati antiqvum fuit, DEUM non credo: *superstitione* non occupatus, *qvam imbecillis & anilis animi esse non nego;* à DEO tamen locari, *cujus ope eximia & magna qvæq; raritate sui commendantur;* eiq; fructus ramis pluribus ferre, ambigui juris non esse, persvasissimum habeo. Potentissimorum PRINCIPUM, immortaliumq; REGUM, DEI in his terris Vicariorum, à qvo sunt secundi, post qvem primi, uberrima gratia, manu forti excrescit, instar cedrorum, vetustatem cariemq; non sentientium. Nimirum illi illa, unde prodit, præsidium est certissimum ac tutissimum: illa communi urbi, communiq; domicilio, patriæ, firmamentum & robur unicum, solum in ejus commoda fidei exemplar: illa tumultuum, in aviti ingenii possessione, civicorum, & intra viscera sua delitescentium, avidissima est & funestissima pestis: majorq; illa, qvam D. Titus Vespasianus horruit: illa gentium est regina, si libertatem suam, intra honestatis metas coërcitam, suspiciat & amplectatur: illa hostium laniena, projectis levamentum, & conculcatis magmentum nunqvam non existit. Ipsa vetat religio, qvò minus timore abstrahi me patiar inde, unde arma, mihi ad profligandum & delendum metum omnem

nata,

nata, capienda video: ne inde me feram depelli, unde pleno alveo salutem antè mihi profluxisse prædico: ne desperem gratiam ibi, ubi majoris ejusdem ubertatis spes nunqvam decollabit. Gratia hæc non est instar maris, qvod ad arbitrium Lunaris syderis exundat. Perinde sanè, ac illud, incrementa fluminum non sentit: ast, dum erumpit, introrsum continetur, portioneq; nunqvam crescens, nunqvam recedit. *Munificentia Vestra* id sistit, nunqvam exhaustum, nunqvam exhauriendum: instituto vetere jubente: bonitate imperante: potentia exseqvente: fructu nunqvam interruptis nexibus exundante & exuberante, in homines, urbes, regiones, imò in ipsum cœlum: studiis eadem animam qvasi communicante, qva & mea hactenus spiraverunt & excreverunt: laude incrementorum ad *Munificentiam Vestram* æternùm redundante: cum per merita, tùm ipso eventu. Ad hoc mare cum viam nescirem, qvà eò devenirem: hunc amnem qvæsivi comitem mihi: ad defæcatam à sincera Nobilitate profectus & provectus. Gratior hic fuerit Vobis, NOBILITATIS VERÆ ET EMINENTIS COLUMNÆ, *vertice cælo ipsi propiores*, amnis, contra Timavum amnem insulâ illa parva in mari, cum fontibus calidis. Calida mente profluit amnis meus, Ibero nobilior. Gratitudinem signat; imò obsignat: qva qvid morum doctrina recenset, qvid Sanctis mentibus offert mundi structura amabilius? Gratior fuerit: qvi non aliunde est derivatus: qvi suo contentus

NOBILITATIS est fertilis, ejusq; veræ. Lolium, & tribulos, & carduos, lappasq;, non magis, qvàm rubos, inter frugum morbos referens, ipsas terræ tam facilis, egregiæ, & fructuosæ pestes evulsas volo & exstirpatas. Campum hunc etsi, qvod priscæ ætati antiqvum fuit, DEUM non credo: *superstitione* non occupatus, *qvam imbecillis & anilis animi esse non nego;* à DEO tamen locari, *cujus ope eximia & magna qvæq; raritate sui commendantur;* eiq; fructus ramis pluribus ferre, ambigui juris non esse, persvasissimum habeo. Potentissimorum PRINCIPUM, immortaliumq; REGUM, DEI in his terris Vicariorum, à qvo sunt secundi, post qvem primi, uberrima gratia, manu forti excrescit, instar cedrorum, vetustatem cariemq; non sentientium. Nimirum illi illa, unde prodit, præsidium est certissimum ac tutissimum: illa communi urbi, communiq; domicilio, patriæ, firmamentum & robur unicum, solum in ejus commoda fidei exemplar; illa tumultuum, in aviti ingenii possessione, civicorum, & intra viscera sua delitescentium, avidissima est & funestissima pestis: majorq; illa, qvam D. Titus Vespasianus horruit: illa gentium est regina, si libertatem suam, intra honestatis metas coërcitam, suspiciat & amplectatur: illa hostium laniena, projectis levamentum, & conculcatis magmentum nunqvam non existit. Ipsa vetat religio, qvò minùs timore abstrahi me patiar inde, unde arma, mihi ad profligandum & delendum metum omnem

nata,

nata, capienda video: ne inde me feram depelli, unde pleno alveo salutem antè mihi profluxisse prædico; ne desperem gratiam ibi, ubi majoris ejusdem ubertatis spes nunqvam decollabit. Gratia hæc non est instar maris, qvod ad arbitrium Lunaris syderis exundat. Perinde sanè, ac illud, incrementa fluminum non sentit: ast, dum erumpit, introrsum continetur, portioneq; nunqvam crescens, nunqvam recedit. *Munificentia Vestra* id sistit, nunqvam exhaustum, nunqvam exhauriendum: instituto vetere jubente: bonitate imperante: potentia exseqvente: fructu nunqvam interruptis nexibus exundante & exuberante, in homines, urbes, regiones, imò in ipsum cœlum: studiis eadem animam qvasi communicante, qva & mea hactenus spiraverunt & excreverunt; laude incrementorum ad *Munificentiam Vestram* æternùm redundante: cum per merita, tum ipso eventu. Ad hoc mare cum viam nescirem, qva eò devenirem: hunc amnem qvæsivi comitem mihi: ad defæcatam à sincera Nobilitate profectus & provectus. Gratior hic fuerit Vobis, NOBILITATIS VERÆ ET EMINENTIS COLUMNÆ, *vertice cœlo ipsi propiores*, amnis, contra Timavum amnem insulâ illa parva in mari, cum fontibus calidis. Calida mente profluit amnis meus, Ibero nobilior. Gratitudinem signat, imò obsignat: qva qvid morum doctrina recenset, qvid Sanctis mentibus offert mundi structura amabilius? Gratior fuerit: qvi non aliunde est derivatus: qvi suo contentus

tentus alveo, aliena non alluit littora: qvi nihil, qvod ſibi posſidendum ac utendum non eſt traditum, abluit. Nec enim hîc, qvæ in deliciis fuerunt, ſunt, & erunt, *Literati Orbis Heroibus*, ſeſe *Comitum de* **Solms/** *Tiraqvellorum*, *Noldenorum*, *Fritziorum*, *Herdeſianorum*, *Spangenbergiorum*, *Reinecciorum*, *Oſoriorum*, *Pogiorum*, *Vechnerorum*, *Humfredorum*, *& aliorum* aurea Nobilitatis flumina effundunt. Ripa ſua nihil ſiſtit & cohibet, niſi qvod plenum juſtumq; largitur dominium: qvod poſſesſionem ſolidat: qva ille non eſt ejiciendus, illud qvi legitimè ſibi acqviſivit. Tranqvillum ergo amnem hunc intra littora conſveta ad terram ſuam adpelli Magnificæ, Generoſæ, Strenuisſimæ, ac Præcellentisſimæ Nobilitates Veſtræ, VIRI MAGNIFICI, GENEROSI, NOBILISSIMI, STRENUISSIMI, ATQVE PRÆCELLENTISSIMI, *Domini, Muſagetæ, Mæcenates, Evergetæ, ac Promotores Magni, Clarisſimi, perpetuò ſuſpiciendi, atq; ſubmisſè colendi*, æqvo animo patiantur, etiam atq; etiam obnixè rogo! Teſſeram, qvam antè ſignificavi, pectoris mei gratisſimi, qvod alia via oſtendi non ſinit præciſa voluntatis meæ inabruptæ facultas, porrigit, fiducia juſtæ proprietatis ſe intra pietatis limites modeſtè efferentem. Hac *Pietati Veſtræ, Veſtræq; Munificentiæ*, ubertatem ſuum, ſtudia mea, ac memet ipſum ſervantem, ita explicanti, ut, qvod Principi olim obſervandum eſſe MAGNUS IMPERATOR pronunciavit, *neminem à Principis vultu triſtem diſcedere*

opor-

oportere, ſibi etiam præceptum eſſe ſtatuat, placere ſuſtinet, *qvi pietatem* SUMMI NUMINIS *pietate placari, & coli poſſe unicè*, tam habet certum, qvàm qvod eſt certisſimum. Non qvidem *tantæ* ſeſe *Gratiæ* retributorem, umbra hac debitæ gratitudinis ſuæ, ſervus Veſter nuncupat: à *Munificentia Veſtra* ſe jam pridem effectum eſſe, & poſthac effectum iri, ingratum, intra cancellos probitatis perpetuò feret ægro animo, id ad extremum usq; vitæ tempus qveretur. Qvo tanto piaculo ut ſe ſolvat; ad *bonorum Summam, perennem æternumq; omnium bonorum fontem, omnium Patrem, omnium* DOMINUM DEUMQVE *exiſtentem, & univerſa reſpicientem*, confugit: precibus ut ab Ipſo impetret, Ipſius Omnipotentiæ bracchiis ut remunerari posſit, qvod eidem per tenues fortunæ ſuæ vires non eſt integrum. Qvo propitio, optat, MAGNIFICÆ, GENEROSÆ, STRENUISSIMÆ, AC PRÆCELLENTISSIMÆ NOBILITATES VESTRÆ luce Sui nubes ſemper perforent! inſtar Phosphori: inſtar Lunæ, cum impletur. Fulgorem ſpargant æqvalem Solis radiis! cum templum DOMINI inaurat. Amœnitate placeant Orbi! inſtar Iridis, colorum venuſtisſimorum concordiam diſtribuentis. Inſtar roſarum tempore Veris ſeſe oſtentent! Inſtar liliorum juxta ripas, inſtar Libanotidis in Vere, inſtar thuris in thuribulo accenſi, inſtar arculæ, variis gemmis pretioſis pictæ, ſvavitates ac fragrantiam undiq; exponant! Inſtar altisſimæ qvoqve cupresſi, & inſtar

 fructi-

fructiferæ olivæ æternùm exſurgant! Qvin gemino ad Eundem DEUM O. M. gemitûs ac ſuſpiria mea ardentisſima, ut Eædem Eccleſiæ DEI orthodoxæ, Reiq; publicæ, & Amicis, ex Ipſis unicè pendentibus, conſulant! pariterq; Ipſas iisdem ſervet! & valere nunc atq; ſemper patiatur! ſi non *populum religioſum, ſanctum, eruditum* peroſus ſit. Ita MAGNIFICÆ, GENEROSÆ, STRENUISSIMÆ, AC PRÆCELLENTISSIMÆ NOBILITATES VESTRÆ vivant! ut hoc, & futuro meo cultu (nam *ſine cultu & aliàs benignitatem Superiorum omitti credimus*) eadem benignitas teneatur. Ita res agant ſuas! ut videatur *injurium, flagitare officia: qvæ ſponte religioſus animus pollicetur: qvorum expetitorum qverela decedit, ſi potiamur optato.* Dabam *Gubinæ*, die Bonaventuræ ſacro IV. Non. JulI Anni M. DC. LXXI.

VV. MAGNIFICARUM, GENEROSARUM, STRENUISSIMARUM, ATQVE PRÆCELLENTISSIMARUM NOBILITATUM

in vota

perpetuus

procubitor

JOANNES GEORGIUS Hanaw.

Nobili.

NObilitate vigent Respublica, Sceptra Potentûm,
Paucorum Imperium Nobilitate viget.
Seu Mars ad Bellum violentos incitet hoſtes;
Almæ ſeu Pacis tempora læta fluant.
Hinc meritò fertur generoſo è ſtemmate natus
Sceptrigeri Herôis grande fovere decus.
Contrà qvi ſitiunt Eqvites ab origine primâ
Aut premere: aut planè tollere de medio;
Næ charæ hi Patriæ qvatiunt fulcimina fixa;
Extremi aut cumulant triſtia fata rogi.
Qvo de dum forteis adhibendo jugiter artus
Nobilis ingenii diſſeris egregiè:
Gratus NOBILIBUS, concivi gratus, HANOVI,
DOCTIS atq; VIRIS conſociandus eris:
Et TE certus honos livori ſubtrahet atro,
Ac pennâ ſcribtum hoc non renuente vehet.

Paucis hæce
Viro Clariſſimo ac Scienter Erudito, de Nobilitate ſcribenti, Fautori ac Adfini ſuo honorando, properanter accinebat

J. CHRISTOPHORUS NEANDER,
Archi-Dicaſterii Electoralis Brandenburgici Advocatus, & Ordinis Eqveſtris Diſtrictus Lubuſiani Syndicus.

)( )(2 No-

*** *** ***

NObilis ille mihi ſemper, me judice, ſtaret:
Judicium, Virtus qvem ſua nobilitat.
Eſt aliqvid, fateor, Proavos oſtendere Avosq́,
Et longô ceras ordine ferre Patrum.
Nobilis ille eqvidem ſolô ſed nomine gaudet,
Ac vulgi tantùm voce vocandus adeſt.
Nobilis & doctis ridetur ab omnibus idem,
Qvi remanet totâ, qvâ fuit, arte rudis.
Nobilis Ingeniô veluti fuit Ennius, ille
Docta per, eſt verè, qvi volat ora Virûm.
Tu ſuper alta bona tranſcendere culmina laudis
Niteris Ingeniô, dulcis Amice, *tuo:*
Juraq́ ſcrutaris. Sint teſtificantia cunctis,
Qvas Themidi dederis qvondam operasq́ ſacra!
Gratulor, atq́ Tibi bona commoda qvæq́ redundent,
Opto, Viris placeas nobilitate Bonis!

Clarisſimo Dn. Autori,
Amico honorando, gratulab.
ſcribebat Francofurti
ad Oderam

M. JOHANNES LAURENTIUS,
ad D. Nicol. Verbi Divini
Miniſter.

Natura

*** *** ***

NAturæ vires si qvis lustraverit: hancce
Discrimen rebus constituisse, dabit.
Exemplo Plantæ sunt nobis, cunctaqve bruta.
Una nec his virtus, nec species eadem.
Sæpius ex qvanam sit surculus arbore fractus
Qværitur, ex qvonam sangvine natus Eqvus.
Ergo non magnum est Animantûm in Principe mirum,
Idem si qværam, à qvo satus ille Patre.
Non animi vires dicendo Jure Peritus
Tollit. Cuncti homines sunt Bonitate pares.
NOBILITAS qvid sit, qvod jus qvoq; competat ipsis
NOBILIBUS, Tua, VIR, maxima Svada docet.

Præceptori olim Laudatissimo, nunc Amico & Affini colendissimo, gratus scribebat

JOHANNES JACOBUS Thiele L.

*** *** ***

As an der Erden klebt ist Adlich nicht zu nennen.
Es wird ein Mopsus sich an deme nicht verbrennen/
Das durch der Tugend Trieb / und durch besondern Muth
Ihn weiset Himmel an. Der so was Hohes thut/
Zeigt / sein Gemüth und Geist sey Adlich nur gesinnet.
Ja aller Fleiß und Schweiß / und was Er sonst beginnet /
Begründet sich darauf/ wie Er durch Ruhm und Ehr/
Sich schwingend Sternen an / des Namens Ruff vermehr:
So / daß die Nachwelt auch Ihn wisse noch zu rühmen.
Dergleichen Ruhm und Ehr wil diesem Werck geziemen/
Herr Hanaw / werther Freund: weil die gelehrte Hand
Darinnen klärlich zeigt / wie / und auf was Verstand


Der

Der wahre Adel sey vom falschen zu erkennen.
Drumb kan man Ihn auch wol mit aller Wahrheit nennen
Ein rechtes Meisterstück des Fleisses/
Ruhm/ und Kunst/
Das durch veradelt thun erwirbet
Ehr und Gunst.

In Eyl satzte dieses aus schuldiger Schuldigkeit

THEODORUS Ließberger/
N. P. C. J. & p. t. Fac. Jur.
Secretarius.





J. J. J!

PROOEMIUM.



EO, Tutore meo, *Augustin. lib. 3. Confess. c. 2. T. 1. p. 81. Lit. D.* navigaturus profundum & immensum mare, *Cic. pro Cn. Planc. T. 2. p. 623. Lit. A.* vereor, neqvis me commonefecerit, robur ab illo & æs circa pectus exigi triplex, qvi fragilem ratem truci pelago commiserit. *Horat. lib. 1. Carm. Ode 3. T. 1. p. 13.* Etsi enim nec insanum illud mihi tumet: *Sen. in Med. Act. 4. sc. 2. p. 278.* nec furibundum intonat: *Id. in Agamemn. Act. 3 sc. 1. p. 308.* fluvii tamen ejus, per universum terrarum circulum diffusi *Ecclesiastici 40. v. 10. Sen. in Octav. Act. 2. sc. 3.*

pag.334. fieri neqvit, qvin prima facie non parvo me terrore percellant: qvia utrinqve difficultas profluit, cui omnino derivandæ me non reperio. In animo habeo Nobilitatem, atrium libertatis, *Svet. in August. c. 29. p. 85.* salutare: Spiritum & animam populi: *Saavedra in Symb. Polit. p. 539.* invitatus à gratitudine, qvam probaturum me confido, vel nullum voluntatis meæ testem habens, nisi me ipsum: *Sen. 4. benef. c. 21.* concisa verò mihi facultas animum coërcet, ne ad id conficiendum festinet, ad qvod tenuis virtus maturitati dandum eniti non posfit. Generosæ & nunqvam satis laudandæ Nobilitatis oceanus per longiora spatia excurrit: & amnes suos non per civitatum limites, sed regionum fines, sed immensas regnorum & imperiorum periodos, proruit. Capax est illius centrum universi orbis, Italia. *Lazarus Soranzius de Imperio Turcico Parte 2. c. 17. p. 82.* Prima illa terrarum eam non proscribit Hispania. *Cluverius lib. 2. Introd. Geogr. c. 2 p. 83.* Ea

— Exsultat Gallia —

Claud. in Conf. Mall. Theod. p. 4 col. 1. septendecim provinciis illustris. *Barth. in Comm. in Claud. p 84.*

col.

col. 2. Fovet doctrinæ omnigenæ & fortitudinis ſeminarium illud Germania. *Dionyſ. Lamb. in Epiſt. Dedicat. præmiſſa T. 1. Comm. in Horat. p. 3. Bartholdus Nihuſius in Præf. præmiſſa Disput. Log. p. 1.* Nec Thracius tyrannus, flagellum illud DEI *Sleidan. lib. 14. de Stat. Relig. pag. 473. col. 2.* eam reſpuit. *Lazarus Soranzius de Imperio Turcico Parte 1. c. 4. p. 9.* Et ubinam gentium ſceptrum reperiri eſt ullum, qvod ab hac ſibi tutum præſidium non recipiat? *Beſold. lib. 1. Polit. c. 11. p. 406. 407. 408. Vernul. lib. 2. Inſtit. Polit. Tit. 9. c. 6. p. 211. D.* Contzen *lib. 8. Polit. c. 20. p. 609. col. 1.* Hinc fit, ut rei abſtruſæ campus præſternatur, flexus cogitationum mentem eludant, & nectantur tàm inexplicabilia vincula, qvibus Magnus ille Monarcha, ſolutione famoſi nodi tàm clarus, qvàm qvi maximè, *Curt. lib. 3. c. 1. p. 38. Plutarch. in Alex. Tom. 1. p. 203. col. 1. Lit. A.* vix fuerit extricandis. His arietibus contundi & everberari patientiam meam & animi conſtantiam paterer: niſi deploratas vires conatus ille non conculcandus Magnificis Dominis Mæcenatibus meis, qvibus hæ paginæ inſcribuntur, teſtificandi gratitudinem mentis meæ reſtau-

raret. Hac ſtimulatus audaciore fronte pergo, confidens, fore, ut, qvemadmodum in omni re laudabili atq; honeſta, etiam non conſecuta operis perfectione, laudetur voluntatis propenſio, *Muretus. lib. 7. V. L. c. 11. p. 164.* ſtudium meum, non prorſus ſpernendum, à Nobilisſimis & Cordatisſimis Lectoribus, qvibus monendi & emendandi ultro ac reverenter copiam do, non improbetur: qvibus unicè hanc ſcriptionem ſacro. Tu verò

PRINCIPIUM RERUM, curſum largire ſecundum!
Serviat ut laudi pagina qvæqve Tuæ.

*** *** ***

QVÆSTIO I.

Unde Nobilitas nominis ſui rationem deducat?



DE hujus vocis origine Nobilisſimi ac Clarisſimi nonnulli Viri mirum in modum inter ſe contendunt, ad variarum opinionum divortia proclives. Nonnulli ſic ſtatuunt, & ſic animum inducunt ſuum, derivari vocem Nobilis à voce Gnobilis: eò qvòd antiqviores Scriptores

ptores Gnoſco ſcripſerint: atqve hinc inferunt, nobilem dici qvaſi noſcibilem, cujus nullum vel dictum, vel factum, obſcurum eſſe poſſit. Deficiunt ab hac ſententia parumper, opinantes, nobilem ideo dici qvaſi noſcibilem, qvòd ejus familia in Republica ſit clara, & nomen illuſtre: ipſeq; ſit cæteris notior. Alii nobilem qvaſi noſcibilem ideo appellari perſvaſiſſimum habent, qvia nobili celebre inter omnes nomen eſſe debeat. *Wendelin. lib. 2. Inſt. Polit. cap. 18. p. 225. D.* Conƶen *lib. 8. Polit. c. 2. p. 605. col. 2. §. 3. Beſoldus lib. 1. Polit. c. 11. p. 404. 405. §. 308. Vernul. lib. 2. Polit. Tit. 9. c. 1. p. 206. D.* Liebenthal *in Collegio Polit. Exercit. 9. Th. 1. & 2. p. 213. 214. Limnæus de Jure Publ. lib. 6. c. 1. num. 1. 2. 3. 4.* Qvibus argumentis, ſalva auctoritate tantorum Virorum, qvorum ingenia, induſtriam, & doctrinam admiror, oppono magnorum Virorum auctoritatem & argumenta, non deterenda. Primum videtur hallucinari: eò qvòd litera G in vocibus Gnobilis & Gnoſco non pariat Etymologiam, ſed πρόθεσιν, omnium Grammaticorum conſenſu. Secundum & Tertium qvoad vocem συγκεφήν repræſentat: qvoad ſenſum exigui eſt momenti. Plurimi enim nobiles nemini innoteſcunt. Hinc fingeretur Concretum ſine Forma Denominante: qvod magnis ingratiis acutiſſimorum Dominorum Logicorum pronunciaretur. *Videndus Scheibl. Parte 2. Operis Logici cap. 26. pag. 433. col. 2. num. 4. D. Gvaltper. in συγκεφαλαιώσει Logica diſp. 13. pag. 113. §. 4. Qvintil. lib. 5. O. I. c. 10. p. 174.* Ego *cum D. Auguſtino lib. 1. de Principio Dialect. Tom. 1. p. 265. &c.* ſtatuo, originis vocum inqviſitionem nimis curioſam, & non nimis neceſſariam eſſe, vocemqve

Nobilitas Primitivam credo, neminem, secus sentientem, oppugnaturus.

QVÆSTIO II.

An vox Nobilitas unum significatum obtineat? N.

UT nulla vox ab universo ferè Latio producitur, qvæ non varia significatione eluceat: ita & nostra consvetudinis illius est servantissima. Nam significat 1. potestatem & privilegia Nobilitatis, qvæ Superiorum gratia ipsi contulit. Consul Romanus facundissimus sententiam stabilit, docens, qvemqve ignobili loco natum ita vivere, ut nobilitatis dignitatem virtute tueri videatur: *Cic. pro Aulo Cluentio Tom. 2. p. 376. Lit. F:* qvem ducem posteritas Latina non uno vestigio sectatur. 2. Ordinem eqvestrem. Autor est *Marcellinus lib. 21. cap. 24. p. 210.* Julianum Imperatorem, Symmachum repertum & Maximum, Senatores conspicuos, à nobilitate legatos, ad Constantium missos, exinde reversos, honorificè vidisse. *Justin. lib. 15. c. 3. pag. 161. n. 1.* succenturiatur, Lysimachum omni nobilitate clariorem virtutis experimentis asserens. 3. Genus nobile. Svavissimis modis decantat hac de re *Philomela illa*, Honorio Imperatori qvæ in maximis deliciis fuit, hac serie *de Laudibus Serenæ, p. 34. col. 1.*

Qvod si nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atq; omnes redeant in semina caussæ:
Qvis venerabilior sangvis? Qvæ major origo,
Qvàm regalis, erit?

4. Au-

4. Auctoritatem. Commodat nobis suo testimonio *Just. lib. 1. cap. 10. pag. 15. num. 2.* Occisis Magis Principes virtute & nobilitate ita fuisse pares, ut difficilem ex his populo electionem æqvalitas faceret, confirmans. Nec discedit ab hoc vel latum Ungvem Thomas de Kempis *Meditat. 27. n. 3. p. 289.* ita sermonem suum nectens: Nihil in rege Christo de regia nobilitate foris claruit: sed sicut antea nudis pedibus & intento capite, incedere consvevit: ita nunc sine ornatu regio in urbem regiam pergit. 5. Nobilitatem generis, qvam *Claud. in Consf. Ol. & Prob. ita ebuccinat:*

Per fasces numerantur avi, semperq; renata
Nobilitate virent, & prolem fata seqvuntur.

Videatur & Just. lib. 35. c. 1. p. 278. n. 8. 6. Gloriam qvoqve hac voce notari probat *Plinius lib. 4. N. H. c. 14. p. 81.* ita fando: Amnes in Germania clari in Oceanum defluunt, Guttalus, Vistillus s. Vistula, Albis, Visurgis, Amisius, Rhenus, Mosa. Introrsus verò, nulli inferius nobilitate, Hercynium jugum prætenditur.

QVÆSTIO III.

An hæc vox παρηγμένον admittat? A.

Offert se lecturo Veterum scripta cum Concretum, tum qvoq; Verbū. Concretum sc. Nobilis variis significationibus innotescit, notans 1. Celebrem, apud *Amm. Marcell. lib. 23. c. 19. p. 269. Just. lib. 1. c. 9. p. 13. n. 3.* 2. Gravem *Claud. de Bello Getico p. 25. col. 1. v. 35. Barth. in Comm p. 334. col. 2. n. 377.* 3. Fortem. *Claud de 3. Consul. Honorii p. 38. col. 1.* 4. Pulchrum. *Claud. in 6. Cons. Honorii*

norii p. 49. col. 2. 5. Cupidum. *Id. in Epist. ad Hadrianum pag. 73. col. 2.* 6. Pretiosum. *Horat. lib. 1. Carm. Ode 29. T. 1. p. 92.* 7. Infamem. *Propert. lib. 1. p. 177.* 8. Excellentem. *Justin. lib. 6. c. 9. p. 78. n. 4.* 9. Bona natura præditum. *Just. lib. 9. c. 2 p. 95. n. 17.* 10. Primarium. *Catul. lib. 12. p. 12. col. 1.* 11. Nobilitantem. *Horat. lib. 1. Carm. Od. 1. T. 1. pag. 1.* 12. Genere nobilem. *Id. lib. 4. Carm. Od. 12. p. 320.* 13. Notum. *Besold. lib. 1. Polit. c. 11. p. 404. Dempst. lib. 1. Antiq. Rom. c. 19. p. 80. col 2. Lit. A B.* 14. Memorabilem. *Ambros. in Epist. ad Valentin. Imperat. in Epist. Symmachi p. 450.* 15. Artificiosum. *Propert. lib. 2. p. 227.* 16. Commodum. *Id. lib 4. Epist. 297.* 17. Efficacem. *Plin. lib. 21 N. H. cap. 15. p. 394.* 18. Potentem. *Ambros. in Epist. ad Valent. Imper. in Epist. Symmachi p. 456.* 19. Id, qvod nobili animo paratur. *Barth. lib. 21. Advers. c. 12. p. 1044.* 20. Laudabilem. *Plin. lib. 9. H. N c. 41. p. 165.* Verbum capitur vel in bonam, vel in malam partem. Illo modo usus est eo Corn. Nep. *in Iphicrate pag. 363. col. 2. Lit. C.* qvem non tam genere, aut magnitudine rerum gestarum, qvàm ex disciplina militari nobilitatum prædicat. Eodem modo capitur apud *Varronem lib. 2. de R. R. cap. 1 pag. 61. Liv lib. 1. dec. 1. pag. 17. Lit. C. Claud. lib. 1. de Laudibus Stiliconis p. 8. col. 2.* Hoc modo usurpat *Terent. in Eun, act. 5. sc. 6. v. 20.* ubi Parmenoni exprobratur, qvòd Phœdriam adolescentem nobilitet flagitiis, eundemq; indicet.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

An hæc vox μεταλήψει gaudeat? Dist.

VAria ſe hîc *μετάληψις* in diverſis lingvis ingerit. Videtur enim inter Latinas eam æqvare vox Liber. *Vultejus* ſanè *lib. 1. Jurisp. Rom.c 5.p.11.§.11.* Liberum putat notare nullum alium, niſi qvi ingenuus eſt. Et huic ſuæ ſententiæ fulcrum qværit à §. Sed poſtqvam. *Inſt. de Libert.* Sed hæc periodus Domino Vultejo minimè favet. *per § 1. Inſt. de ingenuis.* Nec geminæ inſuper citatæ leges ſenſui iſti patrocinantur. Videatur Lehmann in der Speyer. Chron. *lib.2.c.19 p.92.col.1. Lit, A B.* Poſteriorib9 temporibus dicebantur Miniſteriales, & Vasſi ſ. Vaſalli Dominici: *Id. ibid. cap. 19. pag. 91. col.2. Lit. B C.* Inſignes etiam eò reducit *Horat. lib. 3. Carm. Od. 1. pag. 172.* interprete Lambino in hunc locum *p. 174. §. 8.* Græcia longiùs exſpatiatur, & plura producit: qvibus exprimere ſatagit hanc vocem, non adeo ſignificatui noſtro accommodata. *εὐγενὴς* enim nobilem genere ſignificat. *Ariſt. lib.2. Rhet. c. 5. T. 2. p. 675. Lit. A. & Bodino lib.3. de Rep. c.8 p 464.* In textu Græco Novi Teſt. vox hæc eodem in ſignificatu legitur. *Lucæ 19. v. 12. 1.Cor. 1. v 26.* Apud Heſiodum legitur vox *κλυτὸς in Theogn. p. 141. 143.* Excellentisſimus Dominus Profeſſor Becmannus in Politicis diſputationibus *in Diſp. de Ducibus c.4. th. 2.* reddit illuſtrem: qvæ ſignificatio transſcendit uſum ſcriptioni meæ aptum. Qvò ſpectat ἐπίσημος, qvod *Lambinus in Comm. in Horat. T. 1. p. 174.* interpretatur ſummo loco natum. Nec abludit vox ἔνδοξος illuſtris, apud *D* Conꝛen *lib. 8. Polit. c. 20. p. 606. col. 1.* Recedit & ab

B accom-

accommodo huic ſcriptioni ſenſu vox ἐλεύθερος, qvæ *Apocal. 13. v. 16.* τοῖς δούλοις opponitur. Πάγαρχος qvoq; hinc abit, qvo utitur *Iſid. Peluſ. lib 2. Epiſt. 91. p. 129.* ad notandum eum, qvi loco alicui imperat: qvod nobili per Accidens competit. Διογενής, generoſus, qvo utitur *Homerus lib. 1. Odyſſ. p. 336.* ſpectat vel genus, vel virtutem, vel, ut rectiùs ſcribam, Jovis filium. Concinit huic vox γενναῖος apud Philoſophum *lib. 2. Rhet. cap. 15. T. 2. p. 675. Lit. D.* Alia cum Germanica, tum exotica, verba videantur paſſim apud Politicos, *Lymnæum lib 6. de Jure Publico c. 1. n. 7. Sprengerum lib. 1. Inſtit. Juris publici c. 8. p. 41. 42. Beſold. lib 1. Doctr. Polit. c. 14 p. 163. D. Liebenthal in Coll. Polit. Exercit. 10. th. 40 p. 245. D. Curæum lib. 1. Annal. Sileſ. p. 17.*

QVÆSTIO V.

An vox nobilis & eqves ſint Synonyma? Diſt.

UT humana omnia variis vicibus ſunt obnoxia: &, qvæ hodie in ſummo ſunt pretio, paulò pòſt viléſcunt: ita & eqvitum conditio non ſemper eundem indepta eſt fulgorem: qvin & deliqvium aliqvando eſt paſſa: rurſumq; inclaruit. Liqvidò id conſtabit vel per Romanæ, vel per Germanæ gentis inviсtiſſimæ Inſtituta. Illuſtre eſt, & huic qvæſtioni non abſonum, qvod *Plinius*, naturæ myſta non contemnendus, prodit *lib. 33. N. H. c. 2, p. 582. 583.* Primò enim Romæ eqvites ingenuorum, qvin & nobilium, ſplendore enituerunt, usqve ad Claudium Cæſarem, ubi cœpit hic ordò ſervis adjungi: qvo etiam troſſulorum pudendum nomen ſibi imponi eſt paſſus. *Bodinus* ſanè *lib. 3. de Rep. c. 8. p. 463.* ſegregat eqvites à Senatoribus & plebe,

&

& ita medios pronunciat, qvòd ex Patriciis & plebejis constarent: verùm temporis mentionem non facit. Proinde mea etiamnum non vacillat sententia, à Romano fundata: cui plus censeo tribuendum, qvàm extraneo. Videatur *Lips. lib. 1. Elect. c. 29. p. 441. 442. Id. lib. 2. Elect. c. 13. p. 480.* Eqvidem verò Germano-Romanorum potior est habenda ratio, qvibus per Recessus imperii prærogativa præ Nobilibus reliqvis patet, in Germania ipsis fortitudine parta seculis superioribus. Cujus rei indicium facit Politicorum facilè Princeps *Limnæus lib 6. de Jure publ c. 2. p. 17. n. 1. 2. 3. &c. Besoldus lib. 1. Polit. c. 11. p. 409. Vide Sprengerum lib. 1. Instit. Juris Publ. c. 8. p. 42.* qvi contra memoratos autores & leges ex accidente videtur colligere.

QVÆSTIO VI.

Num liberti & ingenui differant? Aff.

Libertos apud Germanos olim non fuisse ingenuos: sed non multùm supra servos: ac rarò aliqvod momentum in domo, nunqvam in civitate, habuisse, *Tacitus auctor est in lib. de Moribus Germ. c. 25. p. 445.* Ingenui contra appellantur, qvi, statim ut nati sunt, sunt liberi: sive ex duobus Ingenuis matrimonio editi sint, sive ex libertinis duobus, sive ex altero libertino, & altero Ingenuo. *Inst. de Ingenuis in pr.* Inseqventibus temporibus ab Imperatoribus liberti dicebantur illi, qvi manumittebantur: procreati ab his, libertini vocabantur: ambo verò hæc nomina postea promiscuè pro manumissis usurpabantur. *Borcholten in Com in Instit. p. 16. col. 1. n. 1. D. Claudio*, referente *Svetonio in ipso,*

cap. 24. p. 273. 274. Imperatore, libertinorum filiis contigit Senatoria dignitas, ignaro, temporibus Appii, & deinceps, aliqvandiu, libertinos dictos, non ipsos, qvi manumitterentur, sed ingenuos, ex his procreatos. Libertini sunt, qvi ex justa servitute manumissi sunt. *Inst. de Libertinis in pr.*

QVÆSTIO VII.

An ingenuus & nobilis differant? Aff.

Lehmann in der Speyer. Chron. *lib. 2. cap. 19. pag. 91. col. 2. Lit. B.* Qvæstionem negat, conjungens Conjunctione Copulativa, & una descriptione, utramq; vocem: nec tamen alios, qvàm nobiles genere, intelligit: qvanqvam non diffiteor, principii ratione, & remotè, indice qvasi digito, monstrari nobilitatem, qvam alii Politicam nuncupare solent. Sensu verò Grammatico Lehmanni sententia ad rhombum non facit. Qvin ingenuitatem à Politica, ad qvam refero ingenuos per chartam, de qvibus videndus Lehm. in der Speyer. Chron. *lib. 2. c. 20. p. 100. col. 1. Lit. D E.* à qva separo ingenuos per festucam, de qvibus *Lips. lib. 4. L. A. c. 20. p. 181.* nobilitate discernit *Borcholten in Com. in Instit. p. 15. col. 1.* qvòd propriè ingenui non sint nobiles Politici. Idem juris habere credo ingenuos per sententiam judicis. Nec Parentes, qvibus gratia Principis nobilitatis privilegia tulit, ingenui verè dici qveunt: filii verò commodè hoc nomine appellantur.

QVÆSTIO VIII.

An sit Nobilitas? Affirm.

Positam

POsitam in natura ipsa rem existere, nemo negaverit, nisi is, qvi, cum Scepticis, de omnibus dubitandum esse sibi persvaserit. Nobilitas profecto vel in ipsa voce fundamenta sibi locat perpetua. Ecqvid enim est aliud appellatio, qvàm mentis index, & velut exemplar? *Qvintil. lib. 11. O. I. c.3. p. 652.* Qvid nomen aliud, nisi iter in rei ipsius perceptionem? *Scal. Exerc. 1. Sect. 1.* Adhæc conspicua caussarum series firmusq; earũ nexus, qvæ ipsas cum rebus productis ligant, ostendunt plus satis, nobilitatem in rerum ordine omnino extare. Si enim, qvod *Cicero* ait *Lib. 2. de Divinat. T. 4. p. 392. Lit. F.* nil qvidqvam fit, qvod fieri non potest; id est, qvod non in causfis suis lateat: ita fieri neqvit, qvin aliqvid non fit, qvod liberalissimæ procreatrices disseminant, atq; feliciter sistunt. Et qvid illud negemus, qvod magno Imperatori fuit in deliciis? Nemo est eruditorum, qvin cognito, Hortalum, juvenem nobilem, Hortensii Nepotem, cui res angusta domi erat, à divo Augusto inlectum, ut uxorem duceret, liberosq; susciperet, liberalitate decies sestertiûm, ne familia clarissima exstingveretur, *Tacito* asseverante *lib. 2. Annal. p. 55.* & *Saavedra* repetente *in Symbol. Polit. p. 482.* scrupulum hac de re omnem animo eximet suo. Idem præstat procul dubio amor Mahumedis hujus nominis III. Turcarum imperatoris, qvi nobilem Venetam ex Bassorum familia sibi connubio junxit, autore *Lazaro Soranzio Parte 1. Ottomanni c. 1 p. 2. & 3.* Qvid? hostem fuisse nobilitatis Machiavellum, ignorare doctos non sinit *D. Adam. Contzen lib. 8. Polit. cap. 20. pag. 608. col. 1.* instruens simul omnes, rem existere verè, qvàm hostis oppugnaverit.

QVÆSTIO IX.

An Nobilitas sit Dignitas? N.

CLapmarius *lib. 1. de Arcanis Rerump. c. 10. p. 17.* rationem dubitandi suggerit, eò qvòd qvivis honores urbani, teste Cassiodoro, appellentur dignitates. Cujus sententiæ & *Besold. lib. 1. Polit. c. 12. p. 467. & Bodinus lib. 3. de Rep. c. 8. p. 462.* assurgunt: à qvibus nec ego deficio, persvasissimum habens, dignitates ultra individuum non extendi, nobilitatem verò in diplomate pluribus simul communicari, & in langvida posteritate tandem exstingvi. Contra hæc insurgit ex Philosophis *Aristoteles lib. 2. Rhet. c. 15. T 2 p. 675. Lit. A.* εὐγένειαν ἐντιμότητα προγόνων i. e. nobilitatem esse dignitatem Majorũ, firmans. Deinde *Hornius lib. 2. Polit. c. 7. p. 365.* Ex JCtis *D. Zieglerus de Jure Majest. Exercit. de jure erigendi Academias th. 2. ex Bacchovio in Treutl. Vol. 1. Disp. 1. th. 7. Lit. A.* Qvos expediendos Magnificis Dominis JCtis submissè committo. Ex Historicorum choro prodit *Justinus lib 32. c. 2. p. 267. n. 7.* qvi Regiæ qvoqve Majestati dignitatem tribuit, & *Corn. Nepos in Miltiade p 356. col. 2. Lit. E.* qvi præcedenti assentitur: veritatem autores vindicent, & ego alibi adstruam. Tandem medio agmine incedere sustinens *Bodinus lib. 5. de Rep. c. 5. p. 849.* plus utilitatis, qvàm dignitatis, Nobilitati fœnerat: verùm nec hic sensus nodum solvet.

QVÆSTIO X.

An Nobilitas sit Qvalitas? Aff.

PRobat Qvæstionem *Arnisæus lib. 2. de Jure Majest. cap. 3. p. 291. in medio.* Nec est, qvòd ego dissentiam, con-

confirmatus auctoritate *Dni D. Jacobi Martini, qvi lib. 2. Metaph. Exercit. 9. pag 943.* definit Qvalitatem, qvòd ſit accidens abſolutum, adjunctum ſubſtantiæ creatæ ad complementum perfectionis ejus tam in exiſtendo, qvàm in agendo. *Is ipſe p. 945. 946.* de rectè intelligenda voce complementum ita pergit: Si verò cum latiore analogia accipiatur illud complementum, ad omnes qvalitercunq; qvalitates poterit trahi. Qvæ Qvalitatis Definitio accommoda planè eſt nobilitati, eiq; largitur Genus remotum. De Genere verò propinqvo magis laborandum erit. Nam variæ Qvalitatis Species varios etiam pariunt contemplanti conceptus. Omnibus verò exqviſitè libratis, ad potentiam me converto, non naturalem, ſed obedientialem, ita à paulò antè laudato *Dno D. Jacobo Martini lib. 1. Exerc. 3. Theor. 9. p. 114* deſcribitur: Potentia obedientialis eſt, qvæ non à principio naturali naturaliter deducitur in ſuum actum, ſed ab aliqvo externo præter ſuam naturam: vel: potentia obedientialis eſt, qva res ſuperioris cauſſæ ductum præter vel etiam contra naturam ſuam ſeqvitur. Huic ſubjicit rurſum duplicem: vel eam, qvæ ſubjicitur virtuti DEI, vel eam, qvæ ſubditur potentiæ activæ artificis, hoc eſt, arti. Addo ego, pace Celeberrimi hujus Viri, qvem ob inſignem eruditionem, excellentem virtutem, & ob præclara in rem literariam merita magnifacio, ſuperioribus, ſatius eſſe, diſtingvi poten-

tiam

tiam obedientialem in primariam, qva DEUS opera & præternaturalia, & supernaturalia producit: & dependentem, & qvidem vel despoticè, qva regentes immunitatibus donant peculiaribus benè de Republ. tota meritos: vel technicè, qva Mechanici efficiunt aliqvid artificiosum. Despotica mihi arridet.

QVÆSTIO XI.

An Nobilitas definiri possit? Aff.

Dubitant nonnulli Politicorum, num definitio fingi possit nobilitatis. Qvidam eam ideo definiri non posse autumant, qvòd & variæ sint nobilis virtutes, & varium eorundem æstimium. Alii ad instituta & mores cujusq; gentis & civitatis respiciunt: atq; inde conjiciunt, operam ludi omnem in struenda nobilitatis definitione. *Bodinus lib 3. de Rep. c 8. p. 556 Besold lib. 1. Polit. c. 11. p. 405.* His regerere qvidem, præter alia, possem, nec ex virtutum variarum æstimio, nec ex variis institutis ac moribus, parandam esse definitionem, qvæ exprimat exactè ingenium veræ nobilitatis. Hæc enim, qvæ, pro stabilienda sententia Negante, proponuntur, sunt accidentia, qvæ non possunt satis instruere animum, scientiæ cupidum. Autoritati tamen tantorum Virorum non parum tribuendum esse perspiciens, nil addo, judicium prudentiori Lectori relinqvens, à qvo totus pendebo. Qvidam pro affirmativa pugnantes mirum in modum cruciantur in formanda desiderata definitione. Nam præter *Arist. lib. 3. Polit.*

Polit. c. 13. T. 2 p. 445. Lit. F & M. Velsteinii decad. 12. Quæst. Eth quæst. 6. p. 267. 268. definitiones, hanc lego apud *D.* Liebenthal *in Coll. Polit. Exercit. 10. th. 6. p. 254.* Nobilitas est excellentia beneficio Principis ac legis in aliqvem ob virtutes Reip. & vitæ communi salutares & commodas, collata, qva plebejorum numero qvis eximitur, & alia privilegia multa conseqvitur. In hac definitione Genus junctum fini intentionis ταυτολογίαν gignit: adhæc lex caussa efficiens nuncupatur, qvæ talem notionem non admittit. Genus etiam ipsum nimis infirmum est. Excellunt nimirum & Mechanici, singuli in sua arte principes: nobilitatis verò nec nomen, nec privilegia, acqvirunt. *Vernul. lib. 2. Polit. Tit. 9. c. 1 p. 206.* nobilitatem asserit esse claritatem generis, à Summo Principe familiæ alicui, propter virtutes Reipubl. salutares, & egregia facinora, in perpetuum collatam. Qvæ definitio in solo Genere aliqvod humanum passa esse videtur: cætera potest tolerari. *Dnus Arnisæus lib. 2. de Jure Majestatis c. 3. p. 291.* definit eam Qvalitatem, per Principem illatam, qva qvis ultra honestos plebejos acceptus ostenditur. Verùm in hac Definitione Genus remotum ponitur: præterea effectus nimis angŭstus assignatur. Magnificus Dominus D. Brunnemannus, nutritor qvondam meus per aliqvot annorum circulum benignissimus, nunc Mæcenas perpetuò reverenter habendus, *lib. 1. Ench. Log. cap. 5. pag. 88.* Intra trium terminorum nempe Subjecti, Actus, & Caussæ Efficientis, septa concludit leges huc spectantis Definitionis: qvo Duce Nobilitatem definio potentiam à superiore donatam

C bene

bene merenti, qva ſibi ſuisqve excellentia commoda acqvirit.

QVÆSTIO XII.

An DEUS Nobilitatem conferat? Aff.

IMpius ſit & à mente abalienatus, qvi hæc diffiteri auſit. DEUS enim eſt Princeps & parens rerum, fabricatorq; mundi. *Qvintil lib.2. O. I. cap. 17. p. 122.* Regnator univerſæ creaturæ. *Auguſt. T. I. lib. 3. Confeſſ. cap. 8. pag. 86. Lit. D.* Supremus imperiorum arbiter & auctor. *Auſon. in Grat. Act. p. 272.* & tandem Rex regum, & dominus dominantium, Majeſtatum auctor, & omnis civilis ordinis firmator ac vindex. *Horn. lib. 3. Polit. c. 1. p. 581.* Manifeſtavit jura Majeſtatis ſua DEUS Deorum omnium præcipuo ſplendore poſt diluvium, ubi Noachum, exeuntem ergaſtulo ſuo, cum familia ſua, & cunctis animantibus, qvæ navicula illa ſacerrima à procellis illis, & tempeſtatibus, & nimbis, totum terrarum orbem abſorbentibus, defendit, nobilitavit. Jura Majeſtatis, ut & privilegia excellentisſima extant *in cap. 8. Geneſ v. 15. ad f.* Et hæc ſemel collata nobilitas plurimis ſeculis in poſteritate Noachi reqvievit. Id qvod ex Hiſtoria ſacra, Eccleſiaſtica, & civili liqvidisſimè apparet. Nobilitatem iſtam Noachus non meruit virtute ſua, ſed accepit dextra benefica DEI optimi maximi, juſtitiam Noachi tanto diademate decorantis & ornantis. *Gen. 6. v. 9. ad f. Gen. 7. v. 1. ad 4.* Nobilitat verò & DEUS nonnullos ad tempus, qvando dona ſua divina hominibus dispertitur, eosq; in hoc mundo ita amplificat, ut conficiendis DEO amabilibus negotiis, ho-

hominiq; ſalutaribus ſint, & varia admirandaq; virtute inclareſcant. *D. Franc. de interpretatione Scripturarum Sacrarum p. 602.* regulam hanc ſuam exemplo Abrahami & infinitorum aliorum confirmat. Idq; decoris tribuit DEUS iis, qvos pietate fulgere videt. Nam ἀρετή ἐστιν ἡ παρὰ τοῦ Θεοῦ στεφανουμένη. Virtus eſt, qvæ à DEO coronatur. *Iſid. Peluſ. lib. 4. Epiſt. 26. p. 13.*

QVÆSTIO XIII.

An Nobilitas transfundatur? N.

DE hac qvæſtione Domini Politici admodum reciprocantur inter ſe contentionis ſerram. Aff. *D. Liebenthal in Coll. Polit. Exercit. 10. th. 14 p. 255. & p. 265.* à parentibus ad filios veluti ex traduce atq; coruſcatione ſtemmatis tranſit nobilitas. Rationem addit, qvòd ſpes magna ſit, fore, ut liberi, qvemadmodum ſunt partes ſuorum parentum, parentis etiam virtutem, ejus amore incenſi, acceptent. *Bodin. lib 3 de Rep. c. 8. p. 470.* At ſi ex traduce transfunderetur nobilitas: non nobilitaret Princeps Parentem ſimul cum familia. Diſt. *Vernul. lib. 2. Polit. Tit. 9. c. 3. p. 208.* inter gradus adſcendentes, ut & Collaterales, & inter gradus deſcendentes: de illis negat, de his aſſerit. At nullo modo ego concedo. Nam Politica nobilitas repræſentatur in diplomate ſimul toti familiæ usq; ad ultimam ſtirpem, applicatur per uſum ſingulis Individuis, ex iſta ſtirpe prognatis. Neg. *Hornius lib. 2. Polit. cap. 7. pag. 365 366.* Ejus ſententia ſtabilitur verbis diplomatum: Wir haben mit wolbedachtem Muthe/ gutem Rathe/ und rechtem Wiſſen gedachten N. N. mit allen ſeinen ehelichen Leibes-Erben/ und derſelben Erbens-Erben/ Mannes- und

Weibespersonen / in ewige Zeiten / in den Stand und Grad des Adels / Unserer und des H. Römischen Reichs/auch anderer Unserer Erbleben/Königreichen/ Fürstenthum und Lande / Rechtgeborne Rittermässigen Leben und Turniersgenossen und Edelen Jhn erhebet/darzu gewürdiget/geadelt/ und Sie der Schaar/ Gesellschafft und Gemeinschafft des Adels zugefüget/ zugesellet und vergleichet / allermassen und gestalt/ als ob Sie von Jhren vier Ahnen Vater- und Mütterlichen Geschlechtes beyderseits Rechtgeborne Lebens/ Turniersgenossen/und Rittermässige Edelleute wären.

QVÆSTIO XIV.

An Princeps Nobilitatem unicè conferat? Dist.

PRincipem nobilitandi facultatem sibi reservare, aut, qvibus vult, communicare, autor est *Arnis. lib. 2. de jure Majest. c. 3. p. 290. Besold. lib. 1. Polit. c. 4. p. 178 179. Horn. lib. 2. Polit. c. 7. p. 364. 365. D.* Lichenthal *in Coll. Polit Exercit. 10. th. 30. p. 254. M. Velstein. Decad. 12. Qvæst. Eth. qvæst. 8 p 273. Cromerus de statu & gente Poloniæ pag. 497. col. 1.* Et hæc potestas Principi κατ' ἐξοχὴν competit, ob jura Majestatis adeo eminentia. Dubitandi ansam præbet *Bodinus de Methodo Historica cap. 7. pag. 191.* qvi Venetiis, qvæ Aristocratiæ parent. *(Idem tuetur lib. 1. de Rep. c. 10. p. 199. & lib. 3. de Rep. c. 8. p. 467. Rursum lib. 3. de Rep. c. 8 p. 461. 462.)* Nobilitatem Venetorum effluere ex vetustate earum illustrium gentium, qvæ publicis consiliis ac negotiis intentæ semper fuerunt, asseverat. *Vide D. Adam.* Contzen *lib. 8. Polit. c. 20. p. 606. col. 1.* Idem judicium de Roma Democratica ferendum. *Bodinus lib. 3. de Rep. c. 8. p. 464. & lib. 5. de Rep. cap. 4. p. 853.* Qvanqvam

qvam *Besoldus lib. 1. Polit. c. 11. p. 411. §. 3.* eos nobiles, qvi peculiari civitatum consvetudine tales censentur, nuncupet die Stadtjunkern. Reipubl. verò Noricæ, Aqvisgranensis, Hallensis, &c. sui sunt nobiles: qvos ne suo splendore abdicem, religio vetat. Qvippe inibi remansisse rudera jurium Majestatis, vel singularia privilegia, à Summis Principibus donata, per qvæ licitum fuit olim, & etiamnum licet, nobilitatis jura distribuere, planè non sum anceps, ob certas rationes domi notas.

QVÆSTIO XV.

An Imperator Romano-Germanicus donet nobilitatem? Aff.

Limnæus *lib. 6. de jure publ. c. 1. p. 8. n. 29.* ex locis allegatis asserit, Imperatorem Romanorum esse propagatorem & conservatorem nobilitatis. Approbat πανσόφυ Limnæi judicium *Schonborn. lib. 5. Polit. c. 15. p. 326 D.* Lubenthal *in Coll. Polit. Exercit. 10. th. 7. pag. 254.* eumq; nobilitatis fontem salutare non verentur. Consvetudine, altera lege, hanc Imperatoris potestatem esse inductam antiqvissima, eamq; jam in aula imperatoria freqventissimam, confirmat *idem p. 528.* & jam pridem Zenonis Imperatoris tempore receptam fuisse edocet. Nec silentio tegendum est, qvod literis proditnm reliqvit *Calvisius opere Chronol. pag. 638. col. 2.* Sub jugum missis Saxonibus, Paderbornam intraverat Carolus Magnus. Hac in urbe, ut Francis & Germanis de Gratia Imperatoris constaret, ob fortitudinem antè laudatam, privilegia confert, ut nobilitate conspicui

fint, & è publico ipsis de necessariis vitæ prospiciatur. Qvin & Superioribus annis Amplissimus ac Prudentissimus Vir, Dominus Melchior Hofmannus, Consul in patria mea spectatissimus, nî fallor, ab Imperatore Ferdinando III. hæc privilegia sagacitate ingenii & eadem qvæsitis & mercatorum mensuram transscendentibus fortunis sibi peperit. Qvo beatè mortuo hæc ornamenta tuentur nobilissimi Domini Fratres de Greiphenpfeil / qvibus DEUS vitam validam & succi plenam atqve facultates ultra paternas, stirpe perpetim florida, extendat! Qvos laudabili vestigio secutus est Dominus de Klinkebeil, Comes Palatinus, & rei salariæ Gubinæ, in patria mea altera, Præfectus fulgentissimus: cui DEUS de nostris adstruat annos! Eadem potestas nobilitandi competit & Regi Bohemiæ, toti Serenissimo collegio Electorum, & reliqvis Monarchis, Regibus, & Principibus. *Limn. l. c. & alii Politici.*

QVÆSTIO XVI.

An Archiduces Austriæ habeant jus nobilitandi? Aff.

AB Imperatoribus specialiter concessum esse beneficium Archiducibus Austriæ, Nobiles, imò & Comites & Barones creandi, iisq; peculiaria signa dandi potestatem tributam esse, *Limnæus lib. 6. de Jure Publ. cap. 1. p. 9.* probat his verbis: Die Ertz-Hertzogen in Oesterreich haben Macht in allen Ihren Landen / Herr-

Herrschafften und Gebieten/ Graffen/ Freyherrn/ Ritter/ Knechte/ und verdienete tügliche Personen von neuem Edel zu machen. Extra verò territorium Archiducum Austriæ, & intra Imperii Romano-Germanici fines ipsis hanc copiam non fieri, idem refert. Priorem Limnæi sententiam seqvitur *D. Liebenthal in Coll. Polit. Exercit. 10. th. 7. p. 254. Sebast. Münst. in Cosmogr. lib. 3. c. 399.* Eandem facultatem Ducibus Sabaudiæ assignat *Sprengerus lib. 3. Instit. Juris Publ. c. 23. p. 456.*

QVÆSTIO XVII.

An expediat Principi novos Nobiles creari? Aff.

VErnulæus *lib. 2. Instit. Polit. Tit. 9. c. 19. p. 215. 216. & D. Conring lib. 8. Polit. c. 20. p. 610. 611.* Nam hoc insigne est medium laudandum, qvo invidis obthuratur os, qvi studia fidelia, qvæ creandi ad emolumentum Principis applicaverunt, nimium qvantum oppresserunt: ne gliscens invidia posthac clara ingenia & studia deterat. *Tacit. lib 1. Annal. p. 2.* Nec minùs nobilitas collata efficacissimos stimulos addit generosis animis, & ad res præclarè gerendas maximum habet momentum. *Horn. lib. 2. Polit. cap. 7. pag 365.* Adspirare enim altiùs animi solent ita evecti, & , qvò porrò inclarescant, omnem movere lapidem. Ad magistratus porrò obeundos fideliter animum acuunt, qvi Virum ostendunt, ex mente Pittaci Mithylenæi apud *Diog. Laërt. lib. 1. Vit. Philos. p. 8. col. 2.* Imò fieri neqvit, qvin alii creatorum talium gloria, virtutum omnium fastigio, *Isid. Pelus. lib. 4. cap. 63. p. 31.* allecti virtute eò adsurgere agi-

agitentur. Multum enim ſibi adjicit virtus laceſſita: *Sen. Ep. 12.* & anteire priores cupit. *Sen. 3. benef. cap. 36.* Non vulgari qvoq; præſidio nobilitas Principem munit. Nam qvòd de Nobilitate Gallica prædicat *Thuanus lib. 92. p. 341. Lit. B.* ipſam eſſe robur omnium Galliarum: idem qvilibet ut de nobilitate ſibi recipiat, munimentumq́; ſummum eſſe florem virtute ſplendentium virorum, *Beſold lib. 2. Polit. c. 11. p 408. 409. & Ælius Lampridius in Severo T. 2. H. A. p 338.* autores ſunt.

QVÆSTIO XVIII.

An adoptio nobilis plebejum nobilitet? N.

NEgativam tuetur *Dn. Valent. Arithmæus in Periculis ſecundis Diſput. 6. th. 5. p. 117. col. 2.* Sententiæ robur ſuæ qværit à principio, ſcilicet jure naturali, à qvo dependere nobilitatem opinatur, qvod immutabile eſſe aſſerit. At Minor hîc vacillare videtur: qvia adoptio eſt juris civilis: ideo etiam dicitur adfiliatio: qvòd ſuccedat filiationi. *Beſold. lib. 1. Polit. c. 11. p. 413 & D.* Liebenthal *in Coll. Polit. Exercit 4. quæſt. 5. p. 99. 100.* qvatuor argumentis ſuam ſententiam muniunt: qvorum tria priora admitto, qvòd nodos omnes facili negotio ſolvunt: qvartum non probandum cenſeo, eò qvòd Patris naturalis jura Principis conſtitutionibus ſubjecta ſunt, qvæ civili rationi congruunt. Addo item, adoptione plebeji neminem nobilitari: qvia gratia & voluntas Principis deficit, unde promanant univerſæ nobilitatis nervi. Qvin & qvæqve exemplaria diplomatum ſignificant perſpicuè, patrem cum filiis naturalibus nobilitari: qvæ verba adoptionem prorſus removent.

QVÆ-

QVÆSTIO XIX.

An rusticus, emens feudum nobile, nobilis fiat? N.

B*Esold. lib. 1. Polit. cap. 11. pag. 412.* Magnificus Dn. D. Brunnemannus in Politica manu scripta. *Bodinus lib 3. de Rep. c. 8. p. 469. Vernul. lib. 2. Inst. Polit. Tit. 9. cap. 7. pag. 213. D. Liebenthal in Coll. Polit. Exercit. 10. quæst. 3. p. 264. 265.* Dependet enim Nobilitas non à feudo nobilis, qvod est Accidens, & ad nobilitatem nihil operatur; sed à Majestatis decreto, qvod solum hoc in re omne fert punctum. Qvin ut casa nobilem non constituit rusticum: ita feudum nobile rusticum non donat nobilitate.

QVÆSTIO XX.

An divitiæ nobilitent? Nist.

B*Odinus lib. 3. de Rep. c. 8. p. 566. & M. Velsteinius Dec. 12. Quæst. Eth. quæst. 7. p. 270. Horn. lib. 2. Polit. c. 7. p. 366.* Radix sanè est vitiorum rerum affluentia. *Bernh. Serm. 2. in Cœna Dom. p. 147. Lit. A.* Ejus vermis superbia: *Ambros. Homil. 13. T. 10. p. 441.* cujus qvia est fluxa natura, & torrente citiùs eos, qvibus est, præterlabitur: *Basil. M. Orat. 5. p. 119.* nec eos, qvi ea præditi sunt, bonos efficere potest: *Id. ibid. pag. 121.* nobilitatem parere non potest. Hinc *Bodinus lib. 3. de Rep c. 8. p. 470.* Semper Romanos, ait, opes à nobilitate sejunxisse. Ast in hoc mundi ad confinia ruinæ suæ jam festinantis fastu qvicunqve vel uncialium duorum possessione gaudet: DEUM immortalem! ut cristas in sterqvilinio erigit, & omnes gentes gravido ventre fastidit, ac tantùm non

conculcat: non cogitans, & se, & divitias esse bullas, qvæ admodum intumescentes evanescunt.[c] Ideo non possunt sine indignatione legi Venetorum consilia, qvi, ut ærario suo ingererent pecuniam, centies millibus aureorum ordinem Nobilissimorum prostituerunt. *Calvis. in opere Chronol. p. 1029. col. 2.* Ast cum opibus ac pecuniis opus sit: & sine ipsis nihil eorum, qvæ in rem sunt, fieri possit: *Isid. Pelus. lib. 2. Epist. 146. p. 176. Cum Vernul. lib. 2. Instit. Polit. Tit. 9. c. 10. p. 216. & D.* Conrgen *lib. 8. Polit. c. 15. p. 586. col. 2. & p. 587. col. 1.* statuo, cum conditione fidei, & propter utilitatem, in Principes & Rempubl. inde redundantem, negatiqve ejusmodi augmenti incommoda, à Principe divites posse nobilitari. Qvò procul dubio spectat sententia *Dempsteri lib. 1. Antiq. Rom. c. 19. p. 80. col. 2. Lit. C D.* asseverantis, ex re nonnullos, ex antiqvissimis familiis Trojanorum originem ducentes, nobilitatem sibi acqvisivisse. Novissimè vide *Spreng. lib. 1. Inst. Juris publ. c. 6. p. 36.*

QVÆSTIO XXI.

An sceleribus parari debeat nobilitas? N.

B*odinus lib. 3 de Rep. cap. 8. pag. 461.* Optimis legibus, dicit, ac humanitate informatos populos nobilitatem virtute, non sceleribus, qværi oportere, judicavisse. Concinunt Politico verba diplomatis, qvæ nimirum caussam προκαταρκτικὴν & fundamentum ponunt virtutem cùm Parentum nobilitandi, tùm ipsius exigunt. Verba sic habent: Wir sind aus Käyserlicher Mildikeit denen jenigen sondere Gnaden und Freyheiten mitzutheilen begierig/ derer Vordältern und sie

ſie ſelbſt in altem/ehrlichem/und redlichem Stande und Weſen/ auch vor andern mit guten adelichen Sitten/ Tugenden/ Verſtand/ Geſchicklichkeit/ und Erfahrenheit begabt. Et porrò ὑποθετικῶς. Wenn wir nun gnädiglich angeſehen/ wargenommen/ und betrachtet die Ehrbarkeit/ Redlichkeit/ Adeliche Tugenden/ ſonderbare Vernunft/Geſchicklichkeit/Erfahrniß/Verſtand/ und andere Qvalitäten/ womit für Unſerer Käyſerlichen Majeſtät Unſer und des Reichs lieber Getreuer N. N. berühmet worden, etc. Huc facit, qvod Lacteus ille Pater *Lactantius* ait *lib. 7. Div. Inſt. c. 27.* Qvisqvis rationem hominis abjecerit: ac præſentia ſecutus in humum ſe ipſe proſtraverit: tanqvam deſertor & Imperatoris & Patris ſui punietur. Cujus aſſertioni ſe hoc apparatu accommodat *Iſid. Peluſ. lib 3. Ep. 264. p. 317.* Qvi vitiis virtutum nomina imponunt: omniaq; permiſcent, ut virtus ægrè internoſci qveat; virtutem ipſam velut in exilium mittunt. Dilucidiùs rem explicat *idem lib. 2. Epiſt. 291. p. 225.* Vera nobilitas à probis moribus conflari nata eſt, ac firma & ſtabilis dignitas virtute comparatur.

QVÆSTIO XXIII.

An Militia per ſe nobilitet? N.

Militia, qvam Palladon Virginem docuiſſe Libycos omnium primam notavit *Beroſus lib. 5. Rer. Antiq. p. 335. col. 1.* ſed ad Syros autores refert *Polyd. Verg. lib. 2. de Rer. Invent. c. 10. p. 141.* ut illuſtre ab hoc ipſo autore *l. c. p. 139.* reverterit encomium: utpote cui laudatur præcipuum Imperatorum decus, qva ſola

 multi

multi mortales æternum ſibi gloriam comparârunt: ut ſtupenda meruerit præmia, clarior profectò virtute & victoriis, qvàm, qvæ illa ipſi pepererunt, cumulatis torqvibus, coronis, phaleris, armillis, ſpoliis: *Autore Plin. lib. 7. N. H. cap. 28. pag. 115.* tamen ei ex ſe nobilitatis privilegia favere, non inducar ab ullo, ut credam. *Bodinus* certè *lib. 3. de Rep. c. 8. p. 462.* provocat non tantùm ad victricem gentem Romanam, ſed omnes generatim populos qvaſi conſcribens, defendere ſatagit, ab iſtis nobilitatem & militiam perenni divortio ſejunctas fuiſſe. Qvin novo meæ ſententiæ fulcro commodat *Amplisſimus Dn. D. Wendelerus in Polit. Sect. 2. c. 5. th. 9. p. 124.* apud eosdem Romanos cives qvidem omnes coactos fuiſſe militare: nec tamen omnes factos eſſe nobiles. Num ex ordinum Ductoribus qvidam per facinora egregia ſeſe nobilitaverint ipſos, qvod noſtris inſtitutis fieri vel ſola noſtra præpotens aula, Ordinum Ductoribus, Tribunis Excellentisſimis, Heroibusq; non paucis illuſtris, exqviſitè docet, Nobilisſimorum Dominorum JCtorum collegium ſpectatisſimum, qvò ego dubius, me doctrinæ avidū modeſtè recipio, teſtē anqvirere ſatago.

QVÆSTIO XXIII.

An ex Matre nobili transfundatur nobilitas? Aff.

IN Superioribus qvæſtionibus liqvidò conſtitiſſe puto, nobilitatem non transfundi à Parente: ſed à Principe donari, tum patri, tum univerſæ familiæ deſcendenti, in gradibus proximis. Hinc inferre licet, Matrem nil qvicqvam nobilitatis transfundere in filios:

qvia

qvia eadem gratia Principis nobilitati ab eo filii effulgescunt, qva splendet mater. Nec matri, addo etiam nec patri, jura Majestatis communicantur, ut possit propagare suapte potestate & pro lubitu nobilitatis privilegia, qvæ sunt Entia dependentia à Superiore, eoq; imperante. Nec vidua nobilis Viri, ignobili matrimonio juncta, procreatos etiam per legitimum conjugium liberos nobilitat: & ob laudatas antè rationes, & qvia nobilitas in matre in novo conjugio cum ignobili, cum matre actu & potentia exspirat: cum ea nec ullum respectum atqve regressum ad novam prolem insinuet: id qvod manifesti juris est. Unicum scrupulum injicit *Tacitus. lib. 13. Annal. c. 19. p. 220.* & ex eo *Calvis. in opere Chronologico p. 449. col. 2.* probans, Rubilium Plautum per maternam originem fuisse nobilem. Conjungendus hìc est *Lipsius in Comm. in Tacit. p. 220. col. 1. & 2. §. 59.* Sed

Nil valet exemplum. Jus qyævis lege resolvit.

QVÆSTO XXVI.

An Fæmina ignobilis, nobili Viro nubens, nobilitatem adipiscatur? Neg.

AFfirmativam sententiam fovet Reinking *lib. 1. Reg. Secul. & Eccles. Classe 5. c. 11. p. 680. §. 23.* matre ignobili sufficientem esse ex Patre nobilitatem ratus. Qvam sententiam adstruit pluribus autoritatibus, ut & legibus nonnullis. At, salva autoritate tam Magnifici Viri, puto formandum esse meliùs & accuratiùs κρινόμενον. Nam hìc qværi neqvit, num ignobilis fæmina, nobili viro nupta, qvæ cum marito nobilitatem est nacta, sit nobilis: hac de re enim nulla est controversia: sed

num ignobilis post nobilitatem juncta nobili, possit dici nobilis. Qvod omnino negandum est. Nam Uxor talis non est nobilitata in diplomate: unde petenda est universa nobilitatis ratio: deinde nec uxori maritus potest plus juris transferre, qvàm ipse habet. *Vide Besold. lib. 1. Polit. cap. 11. pag. 412. 413. Crom. lib. 1. de Situ & Gente Poloniæ pag. 497. col. 1.*

QVÆSTIO XXV.

An Princeps in homine, qvamvis indigno, nobilitatem collocare possit? Neg.

Affirmat *Arnis. lib. 2. de jure Majest. c. 3. p. 303. per alleg. ibid.* Hanc Sententiam confirmat *Justinus lib. 35. cap. 1. p. 278. num. 7. 8.* referens, Demetrii æmulum omnium consensu, ob solum odium Demetrii, à Ptolomæo rege, generis nobilitate donatum esse. *Bodinus huic lib. 3. de Rep. cap. 8. pag. 463.* accedit, addens, citra ullum respectum vel ullius virtutis, vel Majorum, vel ullius scientiarum cognitionis hoc Principi licere. Qvoad potestatem absolutam facili negotio hoc concessero duumviris illis politiore civilis doctrinæ & perfectiore perceptione maximè celebribus. Principis qvippe est, qvicqvid est omnium: tantum habet ipse, qvantum omnes. *Plin. in Paneg. pag. 49.* Verùm *Horn. lib. 2. Polit. cap. 7. pag. 366.* sic statuit, & qvidem pietati Christianæ magis consonum, interesse maximè Principis, ne id fiat: & si forte accidat, nobilitatem sine fundamento esse retur. Laudabilia multa etiam malos facere: Principem laudari, nisi optimum, non posse, *Plinius auctor est in Paneg. pag. 91.*

QVÆ-

QVÆSTIO XXVI.

An ordo Nobilium in bene conſtituta Republ. ſit conſervandus? Aff.

APplaudunt conſervationi potentioris hujus ordinis, eumq; mordicus tuentur, argumenta, non ex trivio petita. *Vernul. lib. 2. Inſtit. Polit. Tit. 9. c. 6. p. 21.* In primam velitationem deducit ejus cum multitudinem, tum excellentiam, ratus, præcipuam & maximam partem Reipubl. eſſe nobilitatem. Præcipuam Reip. partem eſſe Nobilitatem, ultrò largior. Reſplendet enim præcipua Principis auctoritate, ex illuſtribus privilegiis conſpicua. Adhæc hic ordo eſt ſeminarium cum officiorum, munerumq;, tum magiſtratuum togatorum, tum verò maximè militiæ: eâ de re nunqvam non magnifaciendus eſt. Idqve ideo fieri creditur *Beſoldo lib. 1. Polit. c. 11. p. 408.* qvia nobiles, liberaliter educati, ſapientiores eſſe cenſentur: & qvia Jupiter ex Veteri proverbio, dimidium mentis ſervis ſubduxiſſe videtur. Qva de cauſſa Alexander Severus Imperator libertos ab ordine eqveſtri conferendo abegit, arbitratus, eqveſtrem locum fore ſeminarium Senatorum. *Id. ibid. p. 409.* Auctat eandem jurisdictio in ſubditos & ruſticos, à qvibus & juramentum fidelitatis exigere poſſunt, nec à ſuperiore jurisdictione in ſua turbari qveunt. Reinking *lib. 1. Claſſe 5. Regim. Eccleſ. & Secul. c. 11. p. 682. §. 36. ad 41.* Exemplum ſiſtit Hortus eruditionis, pietatis, virtutis, & omnium deliciarum Sileſia per Archivarium ſuum *Dn. D. Curæum Parte 2. Chorographiæ Sileſiæ pag. 229.* circa f. ubi Magnificum Dominum Fabianum de Schönaich hac

hac poteſtate cum in opida, tum pagos mirum in modum illuſtrat. Nec fallar, ſi fidem arbitratus fuero *D.* **Conßen** *lib. 9. Polit. cap. 2. p. 622. col. 1. & 2. n. 3.* tuenti, & qvidem lectis rationibus, atrocisſimorum hoſtium furorem inter fervidas acies manus ſangvinolentas ab eo abſtinuiſſe. Addere mihi & hoc liceat, qvod Publiciſtarum oculo Excellentisſimo *Dn. Sprengero* aperiente *lib. 3. Inſtit. Juris publ. c. 32. p. 503.* cognovi, vel de ſexu ſeqviore in nobilitatis ſerie Lindaviæ, (ait Vir orbi ſpectatisſimus literato,) in monaſterio D. Virginis, à Carolo Magno Anno 810 ibi ædificato, nobiles fœminas eſſe, qvæ nullum certum habitum geſtent, & nulli ordini ſint addictæ; ſolùm in choro orationes peragant, & matrimonium inire posſint. Hujus monaſterii Abbatiſſam aſſeverat monetam poſſe cudere, & imperium merum exercere. Hinc planè conſtat, nobilitatem præcipuam eſſe Reip. partem. Maximam autem eſſe, non adverto. Hoc nominis competit populo ſeu plebi, qvæ multitudo audit *Curtio lib. 9. p. 219. & Livio lib. 1. Dec. 1. p. 6. col. 2. & p. 17. Lit. B. & auctori ad Herennium lib. 4. Rhet. T. 1. p. 74. Lit. D.* qvi vagantem eam multitudinem appellat. Ulterius progredior ad confirmandum ea, qvæ ſtabilire conſtituit. Hic nimirum eſt ille ordo, qvi præſidio ſuo propugnat patriam, & Principi ſuo ſe ſubjungit, ad profligandos ferorum hoſtium impetus. *Vernul. l. c.* Imò plebs absq; nobilitate exſangve qvoddam cadaver eſt: adeoq; ad eam conſervandam augendamqve omni opera Principem conniti decet. *Saavedra in Symb. Polit. p. 539.* Sed hæc tam ſancti præſidii palma non ſoli nobilitati eſt deferenda. Legionibus & populis eandem porrigit facundi Conſulis Romani prudentia *lib. 1. Tuſcul. Quæſt.*

T. 4.

T. 4. p. 127. Lit. E F. Qvanqvam nec hoc diffitendum est, alicubi solos nobiles ad tantam provinciam legi. Nobilitatem Galliarum observavit *D. Conring lib. 8. Polit. c. 20. p. 606. col. 2.* bellum gerere. Scilicet sub Navarri exercitu turma universa Tribuni Antonii Rupilaurei nobilibus constitit, & agmen clausit. *Thuanus lib. 72. pag. 449. Lit. A.* Qvin & copiæ ferè omnes Gallorū, Anno 1483 cum Hispanis in Belgio certantium, nobilitate constabant. *Id. lib. 77. p. 611. Lit. A.* Et hîc ipse summatim omnia cōprehendens profitetur, Gallicum eqvitatum ferè ex nobilitate cogi. *lib. 63. pag. 181. Lit. B.* Romæ ingenui in militia à servis sejungebantur. *Svet. in Augusto c. 25. p. 80.* Ferdinandusqve IV Hispaniarum Monarcha, cum virorum qvorundam Nobilium in Galæcia motûs intellexisset, eos, ad se accitos, militaribus præfecit muneribus. *Saavedra in Symb. Polit. p. 597.* Præterea servitia ferè ad proditionem sunt proclivia: *D. Conring lib. 8. Polit. cap. 20. p. 609. col. 1.* Nobiles verò à tanto tamq; horrendo scelere prorsus sunt alieni. *Card. de Arcanis Prud. Civil. c. 73. p. 297.* Licèt Turcæ hîc repugnent, rati, servos ab hoc crimine infando esse diversos, nobiles non item. *D. Conring lib. 8. Polit. cap. 20. p. 609. col. 1.* Nemo etiam inficias ibit, DEUM Ter Opt. Max. strenuos viros inter præsentissima pericula tuitum esse: id qvod Historia sacra non uno exemplo probat. Nec dubium est, qvin pro hac sententia defendenda pugnaverit ipsa Gentilitas. Nam ex *Xenophontis* oratione ad milites, qvæ extat *lib. 3. Cyrop. Xenoph. Melch. Junius parte 1. Orat. p. 319.* hæc verba notavit: Strenui homines deorum ope gravissimis etiam in periculis conservantur. Nam cum Persæ unà cum aliis, qvos adjunxerunt sibi, ingente cum exercitu

venirent, ut Athenas caperent: Athenienses ipsis ausi sunt sese objicere, victoriaq; potiti sunt. Tandem nobiles, qvos e vita exeuntes præsidium defendere humanum amplius neqvit, tuetur fida memoria. Nam, ut hæc ex *Claudiano Consul. Olyb. & Prob. p. 1. col. 1.* mea faciam,

> Vivit adhuc, completq; vagis sermonibus aures
> Gloria fusa

Poloniæ invictæ & **Platenbergii**, num ab hujus familia provenerit verè Nobilissimus & Strenuissimus **Dominus Præses militiæ Francofordianæ ad Oderam**, ipsi perspicuum erit: & Hasenkampii: qvi ibidem aliqvando Magistri Ordinis Teutonici fuerunt, & maximæ gravissimaqve bella pro communi salute & dignitate confecerunt: ex Alexand. Gvagnini eqvitis Aurati, Historiis Polonicis, & *Orat. Christoph. Warsevicii ad Stephan. 1. Polon. Regem Junius Parte 2. Orat. p. 247.* Contrà adversa sententia nititur institutis Parthorum, qvorum vulgus, nulli manumittendi potestate permissa, ac per hoc omnibus servis nascentibus, indies crescit. *Justin. lib. 41. c. 2. p. 313. n. 5.* Verùm hæc ita expugnatum abit *Dictator Sapientiæ Hispanicæ lib. de Vita beata cap. 2. p. 652.* Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. *Argumentum pessimi turba est.* Qværamus, qvid optimè factum sit, non qvid usitatissimum: **Et qvid nos in possessione felicitatis æternæ constituat:** non qvid vulgo, veritatis pessimo interpreti, probatum sit. Alia eidem fulcra subdiderunt magnorum Principum placita. Stella crinita, imperante Nerone, per continuas orta noctes, Babilo Astrologo judice, exitium Summo Principi ostendebat. Qvod indignè ferens Impera-

pera-

perator, cædem tali ostento significatam, in capita Procerum depulsurus, nobilissimo cuiq; exitium destinavit. *Svet. in ipso c. 36. p. 322.* Atrocius est, qvod de Aulo Vitellio Imperatore memorat *idem in Eodem c. 14. p. 378.* Pronus erat ad cujusqve, & qvacunq; de caussa, necem atq; supplicinm Imperator; nobiles viros, condiscipulos, & æqvales suos omnibus blanditiis tantum non ad societatem imperii allicefactos, vario genere fraudis occidit: etiam unum manu sua veneno porrecto, in aqvæ frigidæ potione, qvam is, affectus febre, poposceret. Ejusdem farinæ fuit Constantinus Capronymus Imperator, qvi nobilissimum qvemq; è medio tollendum curavit. *Joh. Bapt. Egnatius T. 3. H. A. p. 451.* Dracula qvin imò, Princeps Wallachiæ, familias nobiliores inqvisitas, funditus exstirpavit, nec spe generis cuipiam relictâ. *Barth. lib. 45. Advers. c. 14. p. 2089.* Verùm, ut summa fuerit eorum potestas, qvam nemo non fidelis subditus tota cogitatione, submissâq; veneratione suspiciet & admirabitur: nec admirabitur, sed & statuet à DEO secundam, post eum primam, nullaq; ratione impugnandam: ita fieri neqvit, qvin pectus Christianæ pietate incoctum, remota hypocrisi, cui qvi se dedit, caput Christum non habet: *Bernh. serm. 1. in capite jejunii p. 109. Lit. B.* & boni publici est hostis: *Furius in Ideâ Consiliarii p. 39.* justo fervore oderit tantas clades, qvibus vita eripitur iis, qvibus vel sola innocentia, qvæ nulla turpitudinis nota commaculanda, non suo merito pœnas graves, sed cruciatoris perpetitur Soevitia: *Arnobius lib. 1. adversus gentes pag. 23.* tam novercali odio, tam enormi violentia contrectatur. Cum omnes homines, qvi sub ditione Romana sunt, militent Imperatoribus terrarum

atq; Principibus: tum ipsi Omnipotenti DEO & sacræ fidei militant. *Ambros. in Responsoria ad Epist. 61. lib. 10. Symmachi p. 441.* DEO igitur nobilem cum vulgo sociante, DEO proximus homo ne opprimat, sibi qvos eadem terra, mens eadem, eadem spes & salus salvos cupit.

QVÆSTIO XXVII.

An Nobilis, à Principe creatus, tantùm intra Principis, à qvo creatus, ditionis limites sit talis? Dist.

AFF. *Arnis. lib. 2. de Jure Majest. c. 3. p. 291. 292.* nobilitatem ex voluntate Principis non latiùs patere posse statuens, qvàm termini Reip. aut potestas Principis. Si qvis (pergit Arnisæus) ait *Boëthius lib. 3. de Consolat. Philosoph.* multiplici consulatu functus, in barbaras fortè venerit nationes, venerandumne honor barbaris efficiet? Vanescunt illicò, cùm ad eos devenerint, qvi dignitates non esse existimant. Nec enim potest qvis alteri Reip. leges parere, juberéve, ut pro nobili habeatur, qvem ipse talem esse vult, multò minùs, ut honoret, privilegiave, nobilibus concessa, utenda fruenda concedat. Negativam tuetur *Sprengerus lib. 1. Instit. juris publ. c. 8. p. 41.* ubi ita: Inveterata, inqvit, consvetudine est receptum, ut ille, qvi nobilis est, in uno regno, etiam pro nobili habeatur in altero: *Anton. Faber. in C. lib. 9. Tit. 29. Def. 12. n. 9.* cujus hæc est ratio, qvia nobilitas est dignitas, qvæ homini inseparabiliter inhæret, eumq; perpetuò comitatur: *l. Si ex caussa. 9. ubi Bartol. ff. de postul. Guttierez lib. 3. Quæst. Pract.*

qvæst.

quæst. 13. n. 95. &c. Pro uberiore cognitione notandum puto, Nobilitatem esse accidens inseparabile, collatum à Summa potestate ad seram posteritatem transferendum, sine loci ullius exceptione. Absurdum qvoq; fore credo, Nobilem Germanum non esse nobilem in Gallia: idem qvippe negaretur de seipso: qvod fieri neqvit ob loci mutationem. Accedit & hoc, qvòd nobili à Principe non Suo adimi libertas non possit, sinè injuria cum in Nobilem, tum Principem: in qvos non habet imperium: qvia videretur spolium committere; nec excusaretur eo, qvòd spoliatus à Judice non restituatur: *Decius de Reg. Juris. p. 367. n. 3.* Qvia spoliatus habet exceptionem fori. Sed hæc omnia intelligenda puto de possessione nobilitatis, non de usufructu. Illam nemo Principum ullo modo eripiet peregrino nobili: qvia invaderet alienum: de hoc, & qvidem qvoad indigenatûs privilegia, nego. Nam talis privilegii collatio pertinet ad Jura Majestatis cujusq; Principis.

QVÆSTO XXVIII.

An virtus ansam det nobilitati? Aff.

R. *Eink. lib. 1. Reg. Eccles. & Secul. Classes. c. 11. p. 677. n. 7.* Remq; ab ovo repetit. *Schönb lib. 6. Polit. c. 15. p. 527. 528. Vernul. lib. 2. Polit. Tit. 9 c. 1. p. 208. Horn. lib 2. Polit. c. 7. p. 365. M. Velst. Dec 12. Quæst. Eth. quæst. 8. p. 272.* Hos autores aliosq; Politicos qvàm plurimos religioso pede seqvitur *Bernhardus*, qvi ita *Serm. 5. de Adventu Dom. p. 5. col. 8.* inqvit: Per virtutem pervenitur ad gloriam. Clariùs rem exprimit *Isid. Pelus. lib. 2. Ep. 291.*

 p. 225.

p. 225. ἡ μὲν ἀληθὴς εὐγένεια ἀπὸ τρόπων χρηστῶν συνίστασθαι πέφυκε, καὶ τὸ βέβαιον ἀπὸ ἀρετῆς προσγίνεται. Vera nobilitas à probis moribus conflari nata est, ac firma ac stabilis dignitas virtute conflatur. *Seneca Epist. 44. p. 31. col. 1.* concinit ipsi ita: Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit. Neq; qvod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem: cui ex qvacunq; conditione supra fortunam licet surgere. Fermè eadem habet *Sen. Trag. in Hercule Fur. Act. 2. scena 3. p. 19.* ita canens verbis Lyci:

Non vetera patriæ jura possideo, domûs
Ignavus hæres. Nobiles non sunt mihi
Avi, nec altis inclytum titulis genus:
Sed clara virtus. Qui genus jactat suum,
Aliena laudat.

Repugnantem his lego, *Isid. Pelus. lib. 3. Epist. 36. p. 240.* cui ἡ ἀρετὴ καὶ διὰ στεφάνων στέφανος. Virtus etiam citra coronas corona est. Et *Claud. in Cons. Mal. Theod. p. 4. col. 1.*

Ipsa qvidem virtus pretium sibi, solaq; latè
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausúve petit clarescere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animosa suis, immotaq; cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.

Has sententias conformes *Justin. lib. 24. c. 5. p. 223.* exemplo confirmat Sosthenis, Macedonum Principis: qvi ob virtutem in regno Macedonico conseqvendo multis nobilibus, regnum Macedoniæ affectantibus, ignobilis ipse præpositus est, virtuteq; sua præmium tantum

tum sibi qvæsivit. Verùm sententias pro negativa tuenda laudatas *Seneca Philosophus explicat Epist. 81. p. 215.* ita fando: Virtutum omnium pretium in ipsis est. Non enim exercentur ad præmium. Rectè facti merces est fecisse. Et iterùm *de vita beata c. 9. p. 654.* Interrogas, qvid petam ex virtute? Ipsam. Nihil enim est melius. Ipsa pretium sui est. i.e. actio secundùm virtutem est summum bonum, qvo nihil melius: atq; ideo nullum insigne honoris, nullum monumentum laudis postulat. De exemplo: extraordinarium esse duco. Perrarò enim sibimet ipsi tantum defert præmium. Qvin est exemplum transcendens, de qvo infra. Virtus impulsiva dici potest externa. Impulsiva interna est vel imperans, gratia nimirum Principis, vel dirigens, Prudentia Summæ potestatis: vel exseqvens, potentia ejus. Deinde Ministerialis caussa est Comes Palatinus. Instrumentalis conferens, manus vel Principis, vel Comitis Palatini: obsignans diploma: Significans imagines, insignia, &c.

QVÆSTIO XXIX.

An fortitudo bellica ansam præbeat nobilitandi? Aff.

Ege qvadam jussa Rex ille Israelitarum, DEO qvi in præcipuis deliciis fuit, *1. Samuel. 13. v. 14.* Populo toto, Hebrone collecto, & denuò ungente Regem laudatissimum, hanc qvæstionem approbat, qvi

for-

fortissimo expugnatori Jebusæi, Joabo, filio Serviæ nobilitatis honorem, pretium tantæ virtutis meritissimum, addixit. *2. Paral. p. 12. v. 4. 5. 6.* Pro hac pugnant *Matth. Steph. de Jurisdictione Parte 1. c. 6. memb. 1. n. 74. Spreng. lib. instit. Juris publ. c. 8. p. 42. Wendelinus lib. 2. Instit. Polit. c. 18. p. 120.* Carolus Magnus idem persecutus est in militibus suis, qvorum virtute sub jugum suum miserat Saxones. His enim ita devictis, omnes milites, qvi strenuam operam navaverant in debellandis Saxonibus, nobiles creavit, ac de publico sanxit alendos. *Cluverius Epit. Hist. Mundi lib 9. p 434. col 1.* Gemina his, sed legi inclusa. Vide apud *Castell. lib. 2. de Off. Regü. c. 214. in f.*

QVÆSTIO XXX.

An ad Nobilitatem Politicam qvicqvam conferat fortitudo Spiritualis? Aff.

REgnator universæ Creaturæ, DEUS, *August. lib. 3. Confess. c. 8. T. 1 p. 86. Lit. D.* extollit humiles è pulvere, & è cœno ducit pauperes, ut ipsos lateri adjungat Principum, Principum populi sui, si penes *Psalten regium* est fides, *oda ejus 113. v. 7 & 8.* confirmata plus satis. Fortitudinem illam, qvam indigitamus, non rudi, ut solet, penicillo adumbratam dat Doctor lactei oris *Lactantius* hoc μελισματίῳ facundus *lib. 1. divin. Instit. c. 9. p 12.* Non est fortior judicandus, qvi leonem, qvàm qvi violentiam, & in seipso inclusam feram, superat iracundiam: aut qvi rapacissimos volucres dejicit: qvàm qvi cupiditates avidissimas coërcet: aut qvi Amazonem bellatricem, qvàm qvi libidi-

nem

nem vincit, pudoris ac famæ debellatricem: aut qvi fimum de stabulo, qvàm qvi vitia de corde suo egerit: qvæ magis sunt perniciosa, qvia domestica & propria mala sunt: qvàm illa, qvæ & vitari possunt & caveri. Ex qvo fit, ut ille solus variis formulis debeat judicari, qvi temperatus est, & moderatus, & justus. Brevioribus hæc includit verbis, sensûs ejusdem tenacissimus *Plutarchus in Numa Pompilio T. 1. p. 20. col. 1. Lit. F.* ita fando: Illa est vera fortitudo, qva appetitûs ratione coercentur. Peculiarem & minùs usitatam virtutem tantùm abest, ut DEUS benignissimus despiceret, ut potiùs eam faventius efferret in Elia, qvem ipse, svavissimo susurro notabilis, leæna illa, animæ excidium intentante, devicta, libertate & juribus Majestatis donavit, *ex cap. 19. 1. Reg. & aliis sequentibus* illustribus. Illustriori multò perpessitium Prophetam, & prævisam ejus fortitudinem beabat: eumq; tot hostilium oppugnationum, qvibuscum postea ipsi confligendum erat, victorem strenuissimum constituit *Jerem 1. v. 13. ad f.* Omnem nobilitatem longissimis intervallis anteeuntem, sed spiritualem, victrici fortitudini Episcopi Philadelphiensis Ecclesiæ, graphicè descriptam *Apocal. 3. v. 12.* Salvator pollicetur.

QVÆSTIO XXXI.

An justitia provehat ad nobilitatem? Aff.

PRodigium illud omnigenæ eruditionis *Barth. in Com. in Claud. p. 124. col 2.* qvæstionem affirmat, æqvum esse ratus, justitiæ maximum honoris titulum deferri, nec lucem ferè ipsam eâ cariorem æstimari.

mari. Statuminatur sententia *Nobilissimi Viri* toties, qvoties legimus, justitiam variis hinc inde amplificari & illustrari encomiis. Qvippe Sapientiæ ille dictator, qvo elogio *Aristotelem* dignatur *D. Dannenh. in Id. Bon. Disp p.324.* justitiam seu δικαιοσύνην *lib.5. Eth. c.1. p.213.* nuncupat κρατίστην τῶν ἀρετῶν: καὶ ὔθ' ἕσπερος, ὔθ' ἑῶος ὕτω θαυμαστόν. id est: Optimam virtutum: neq; hesperum, neq; Luciferum tam admirabilem. Qvin ex eo proverbii loco repetimus ibidem extantem versiculum:

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι.

Id est:

Justitia in sese virtutes continet omnes.

Is ipse loco cit p.234. ὐ μέρος ἀρετῆς, ἀλλὰ ὅλην ἀρετήν. Id est, non partem virtutis, sed universam virtutem appellat. *Cicero lib.2.de off. T.4.p.503. Lit.A.* justitiam maximè magnam facere admirabilitatem enunciat: qvippe ex qva virtute una viri boni appellentur. Qvin & tanta vi formidabilem & admirandam facit *idem Orator loco cit. Lit. D.* ut publicitus ausit probare, nec illos qvidem, qvi maleficio & scelere pascuntur, posse sine ulla particula justitiæ vivere. Ex usu maximo eam perpetuam & maximè communem virtutem dixit Aristides apud *Plutarchum in Ipsô. T.1. p.100. col.2. Lit.B.* inter omnes præstantissimam Agesilaus *ap. Eundem in Agesilao T.1. p.184. col.2. Lit. E.* & sine justitia non solùm Rempublicam, sed ne exiguum hominum cœtum, sed ne domum qvidem parvam constare posse, *Macrobius in Com. in Somn. Sc. c.1. p.16.* credit. Hanc virtutem adeo veneratus est magni nominis Imperator Maximilianus, ut, qvoties loca, ubi capitis damnati è medio tolluntur, intueretur, dixerit: Salve justitia. *VVendelin. lib.2. Instit.*

ſtit. Polit. c. 8. th. 4. p. 127. Adhæc non ſolis his præconiis fretus, ſed & conſvetudine multorum retrò ſeculorum nixus, *Horn lib 4. Polit. c. 7. p. 265.* & belli & pacis artibus claros, inferiorum ordini exemptos, & in præmium meritorum, nobiles proclamatos eſſe putat. Qvæ ſententia ab ulteriore demonſtratione me liberat.

QVÆSTIO XXXII.

An Prudentia nobilitatem mereatur? Aff.

ARiſtoteles *lib. 6. Eth. c. 5. p 302.* definit φρόνησιν ſeu prudentiam ἕξιν ἀληθῆ μετὰ λόγου πρακτικὴν περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά: id eſt, habitum verum, agentem cum ratione in iis, qvæ & bona & mala homini ſunt. Unde manifeſti juris eſſe videtur, prudentiam rem eſſe imperatoriam, pervadentem omnem exercitum virtutum, & in eo hominum conſilia & negotia univerſa ita moderari, ſecundum præſcripta legum cum divinarum, tum naturalium, tum civilium, ut ea inſtructus pervidere poſſit, qvid, qvod ait Satyricus, diſtent æra lupinis: ex qva norma actiones humanæ penſitandæ ſint, ut ad felicitatem collineent. Unde facile eſt conjectu, qvid habeam ſtatuere de nobilitate ejus: qvòd omnibus virtutibus non tantùm præeſſe, ſed & ſola perfectionis rerum civilium autor eſſe credatur. Idem innuit objectum, de qvo brevibus, at perſpicuè, agit *Ariſt. loco cit. p. 301.* δοκεῖ δὴ φρονίμου εἶναι τὸ δύνασθαι καλῶς βουλεύσασθαι περὶ τὰ αὑτῷ ἀγαθὰ καὶ συμφέροντα, οὐ κατὰ μέρος, οἷον ποῖα πρὸς ὑγίειαν ἢ ἰσχύν· ἀλλὰ ποῖα πρὸς τὸ εὖ ζῆν ὅλον. Id eſt, putatur verò prudentis eſſe, poſſe de iis,

qvæ ſibi ſunt bona & commoda, non qvoad partem: qvippe qvalia ad ſanitatem & robur: ſed qvalia ad totam vitam beatam, benè conſultare. Qvid autem gerit virtus ſine conſilio? *Sen.3. de ira. c.3. p.588.* ita verò grata meliùs accurantur, qvàm qvæ ſine conſilio adminiſtrantur: cenſura *Cicer. lib.1. de Invent. T.1. p.98. Lit.C.* Eſt namq; profectò divina qvædam res conſilium. *Baſil. M. Orat. 21. p. 481.* Ideoq; prudentiam *Cardanus de Arcanis prud. civil. c.62. p.243.* in humanis robori atq; potentiæ præfert. Qvid autem nobilitati affinius? qvæ ſub potentia viget atq; ſuperat. Approbat ſententiam hanc *Bodinus lib.3. de Rep. c.8. p.462.* exemplo Venetorum, qvi ab illuſtri vetuſtate illarum gentium, qvæ publicis conſiliis & negotiis intentæ ſemper fuerunt, nobilitatem Patriciorum metiuntur. In qvibus non tam oculos mentis ad exemplum ejusq; virtutem, qvod tamen non omni robore eſt deſtitutum: qvàm ad conſuetudinem à provida & florentisſima Antiqvitate in variis gentibus receptam dirigo.

QVÆSTIO XXXIII.

An patriæ præſtita officia nobilitatem concilient? Aff.

HOrn. *lib. 2. Polit. cap. 7. pag. 365. à longinqvo principio* rem deducit, & ab antiqvitate illuſtri fundamenta aſſertioni ſuæ poſtulat, majeſtatem ſummam id egiſſe, ut nobilitate illos extolleret, qvi vel bellicis artibus, vel peculiari conſilio, ullo adjuviſſe modo Remp. ſtatuebantur. Idq; ea de cauſſa, ut omnes, qvi veri civis nomen tueri ſatagunt, omni ſtudio contendant, qvò, qvic-

qvicqvid patriæ atqve Reip. ſuæ ſalutare eſt, conficiant, ex mente Platonis *Cic. lib. 1. Ep. ad Fam. Epiſt. 9. T. 3. p. 15. Lit. H. & p. 16. Lit. A. Unde Petr. Victor. lib. 8. V. L. cap. 21. pap. 193.* & in eo operentur, ut ſalutem Reip. ſupremam legem fuiſſe pateat. Acceſſit præterea eò perfectionis Gentilium pietas, ut perſvaſum haberet, omnibus, qvi patriam conſervaverint, adjuverint, auxerint, certum eſſe in cœlo & definitum locum, ubi ſempiterno ævo fruantur, qvod *Macrobius lib. 1. in Somn. Scip. cap. 4. pag. 31.* teſtatur. Qvod ſi hæc infixa iſtorum mentibus fuerit ſententia, cœlis repoſitum eſſe præmium, nulli æqvandum, iis, qvi pro patria augenda & amplificanda perpetuò deſudarent: fieri neqvit, qvin mens, pietate æſtuans, ratiocinetur, nobilitate illuſtre eſſe, illuſtrandum certè, ingenium, qvod pro natali ſolo fovendo & ornando ſubierit, qvicqvid eidem ſalubre & commodum duxerit.

QVÆSTIO XXXIV.

An Princeps commodè posſit dici nobilis? Diſt.

NObilem deſcribit *Spreng. libr. 1. Inſtit. Juris publ. c. 8. p. 421.* civem digniorem, qvi vel ob generoſa facinora, vel fulgidum ſcientiæ ſplendorem, vel alia virtutum ornamenta, ad eminentiorem dignitatem, vel Principis, vel legis, beneficio evehuntur. In qva deſcriptione, ſi omnia ad vivum reſecanda forent, qvædam eſſent monenda, niſi animus mihi foret, cedendi magis Magnificorum Dominorum JCtorum, qvorum in numero agmen ducere videtur auctor ille Excellentiſſimus, orcheſtræ modeſtè, qvàm accuratè, etiã in manife-

ſtis ſapiendi: tamen plurima inde conducens, huc faciendi, cum memorando Domino Sprengero, qvæſitum inficior. Novimus omnes, *Tacito doctore, lib. 6. Annal. c. 8. p. 147.* & cum eo *Saavedra in Symb. Polit. p. 239.* ſummum judicium rerum DEUM dediſſe Principi, ſubditis obſeqvii gloriam eſſe relictam. Summum igitur imperium cum obedientia, ut elatius, qvî poteſt conſpirare? Nec rei propoſitæ diverſum ſtatuo principale judicium, qvod anno ſuperioris ſeculi 62 in conventu Principum Auguſtanæ confesſionis Neoburgi ad ripam Salæ, cum Legatus Pontificis Romani ſingulis Principibus literas pontificiales, ſeu brevia Apoſtolica, ut vocant, exhibuiſſet cum hac inſcriptione; **Dilecto filio, nobili Viro, Duci &c.** contigit: omnes, non reſignatæ, remiſſæ ſunt, teſte *Vernul. l. 2. Inſt. Polit. Tit. 9. c. 2. p. 298. D.* **Liebenthal** *in Colleg. Polit. Exercit. 10. qvæſt. 3. p. 265. & Fr. Lindenbrog. in Com. in Amm. Marcell. p. 4.* nobilitatem ad cives nobiles, non ad imperantes, applicant. Sunt tamen, qui affirment propoſitam qvæſtionem. **Lehm.** *ſanè lib. 4. Annal. Spir. c. 18. p. 319. col. 2. Lit. D.* in Germania olim confirmat, ſolos Duces dictos fuiſſe nobiles. Conſimile ſcribit *Juſt. lib. 1. c. 10. p. 15. n. 3.* de Perſarum regibus. *Eidem lib. 17. c. 3. p. 145.* Arrybæ, regi Epiri, unicus ex gente nobili ſuperfuiſſe dicitur pupillus. Qvid? qvòd *Ambroſ. in Epiſt. ad Valentian. Imperatorē in Epiſt. Symmachi p. 456.* qværit? qvem nobiliorem Cyro Perſarum totius Orientis terræ regem dederint. Nec minùs ipſe beneplacito divino nobilitatem tribuit *Thaulerus Serm. 3. Dom. 5. Trin. p. 306.* unde refert *Nobiliſſimus atq; Ampliſſimus Dominus M. Tobias Magirus, Phyſices in patria mea olim Profeſſor, orbi literato celeberrimus,*

Præ-

Præceptor meus honoratissimus in Sab. Christ. p. 476. Verùm ut talia passim apud Classicos autores, Historicos item priscos & juniores, adhæc ipsos JCtos in ipsis legum commatibus legantur: tamen hæc omnia καταχρηστικῶς & secundum analogiam inæqvalitatis, præcisè sumptam, intelligenda esse duco, tanqvam transcendentia.

QVÆSTIO XXXV.

An Nimrodus omnium nobilium fuerit primus? Neg.

NOdum hîc solvit negando, cui nihil est abstrusum, & clausum, φανότατος καὶ ἀκοίμητος ὀφθαλμός, id est, illustrissimus ac pervigil ille oculus *Isid. Pelus. lib. 4. Epist. 47. p. 22.* cui etiam occulta cordium aperta sunt: *Ambros. in Respons. ad Epist. 61. lib. 10. Symmachi p. 441.* DEUS noster veracissimus: qvi Noachum, qvem *Berosus lib. 3. Rer. Antiq. p. 334. col. 1.* variis titulis insignivit, qvi & exstitit universæ omniũ habituum Encyclopædiæ seminarium, *Autore eodem lib. 2. Rer. Antiq. p. 333. lib. 3. p. 334. lib. 5. p. 335.* ad hunc dignitatis gradũ provexit. Et hoc liqvet ex ipso diplomate, à DEO ipsi Noacho edito *Gen. 8. v. 15. 16. 17.* qvod post diluvium primũ publicatum est. Idq; ulterius probatur ex caussa omnium prima, ejus juribus Majestatis, potestate ipsa, eminentissimis privilegiis radiante, ex sociis tandem, ex navi benedicta, unà cum ipso, egredientibus, stemmate scil. toto, & singulis personis. Huic meæ sententiæ assensum suum non obscurè gratificatur *Magnificus ac Excellentissimus Dn. D. Christophorus Pelargus, Theol. in Marchica Academia Illustrissima Professor Ordinarius, & Marchiæ universæ Superattendens Clarissimus, jam sanctissimus, in Com.*

Com. in Genes. p. 186. 187. At ſenſum meum oppugnat *Bodinus l. 3. de Rep. c. 8. p. 556.* Nimrodum aſſerens nobilitatem ſcelere partam, poſteris ad imitandum reliqviſſe: qvæ res, ut fieri ſolet, malis auſpiciis orta per tremenda facinora incrementa ſibi peperit, ſceleribus ſcelera nobilitando. At regero Viro, alias Celeberrimo, & oro, majeſtatem, qvæ ſcelus hoc tam illuſtri inſigni donaverit, nuncupet: qværo diploma, poſco oſtendi mihi privilegia, & potentiā, qvibus inclareſcere debuiſſet nobilitas. Qvis mentis compos tribueret ſceleri Majeſtatem & potentiam? ſecuritatis matri, novercæ virtutis, religionis viro, tineæ ſanctitatis: *Bernh. in lib. de Conſc. c. 4. p. 1109. Lit. E.*

QVÆSTIO XXXVI.

An Conſiliarii Principum ſint nobiles? Diſt.

NOn ementitæ, ſed raræ ratæq; auctoritatis nomen eſt Conſiliarii. Profluit idem à conſilio, qvo res maximas omnes geri, non *Cicero* ſolùm *libro de Seneſt. T. 4. pag. 544. Lit. B.* ſed ipſa rerum magiſtra experientia confirmat. Imperator Sigismundus, glor. mem. ſalutem Principis omnem in probo, eoqve leni, modeſto, & concordiæ avido Conſiliario repoſitam eſſe fertur dixiſſe. Lehm. *in Annal. Spir. lib. 7. c. 79. p. 863. col. 1. Lit. A.* Hinc conſiliarius *Hornio lib. in Proœm. Polit. cap. 4. p. 32.* cor Principis appellatur: neq; incommode. Qvemadmodum enim cor pro ſapientia ſeu animo ipſo interdum accipitur. *Lipſ. lib. 1. Epiſt. qvæſt. epiſt. 5. p. 215. Claud. in Conſul. Olyb. & Prob. p. 3. col. 1. v. 4. 5. Barth. in Comm. p. 42. col. 1. n. 155. Plautus in Epid. Act. 3. ſc. 3. p. 427. & Taubm. in Com.*

Com. p. 428. sagacissimo & admirabili Dn. Buchnero in Com. in Hymn. Prudent. de Natal. Dom. pag. 38. D. Franc. de Interp. Script. p. 860: Hæc ars est: *Sen. Ep. 29. p. 22. col. 2.* Hæc non bene aut malè vivendi suspensas habet rationes, *Cic. lib. 5. Ep. ad. Fam. T. 3. p. 76. Lit. C.* atqve idem vult & non vult semper: *Sen. Ep. 20. p. 13. col. 2.* ita fidus consiliarius id unice agit, ut arte & intellectu suo ita instruat Principem, ut ex illis, in qvibus mens fluctuat, enatare & eluctari possit. Nam qvamvis Principes magnam partem afflatu divino sapientia imbuantur exqvisita, ad ornandā & amplificandam rempublicam: qvod invicto argumento docet Rex ille sapientia, potentia, & opulentia superans qvoscunq;, ante regio culmine suspiciendos, Salomon, qvi, reliqvis humanis omnibus neglectis, sapientiam à DEO expetivit feliciter, *1. Reg. 3. v. 5. ad 15. Ecclesiastici 47. v. 14. ad 21.* nemo tamen ita sapiens est, qvin audiendo sapientior fiat. *Muretus Orat. 23. pag. 307.* Huic igitur tantæ virtuti qvi detrahere ausit, qvi ipsi, ejus neglectu, Reip. pauperiem facere temerè conetur, à pietate & religione omni mille parasangis abest. Verùm, cum falsa laus sit adulatio *August. in Ps. 111. T. 8. p. 1623. Lit. C.* tantùm abest, ut in assertione Excellentissimi JCti Dn. Sprengeri (qvod salva, qvam reverenter habeo jure merito, tanti viri existimatione scripsero,) acqviescam, ut de eo potiùs, qvod ipse statuit, dubitem. *Ex l. fœmina 8. ff. de Senat.* fulcimentum qværit suæ sententiæ, qvæ Clarissimarum personarum mentionem facit, & eas segregat à plebeiis & senatoribus. Qvibus significatur, non intelligi hîc consiliarios Principum, qvos silentio præterit lex ista: sed vel Patricios, vel nonnullos temporaria dignitate radiantes. Nec ad rhombum faciunt

ciunt citati ex Recess. imperii loci: utpote qvæ accidentia qvædam communia recensent, mussitant verò veræ nobilitatis animam. Auctoritatem memoratam ad Locos Topicos amando, simulqve qvæstionem consvetudine, qvæ nullos agnoscit nobiles, nisi eos, qvos Principis cujusqve gratia ob merita cum in se, tum in patriam redundantia, tum etiam dotes ingenii illustres, vulgo subtrahit, expedio.

QVÆSTIO XXXVII.

An Spurii nobilium sint nobiles? Neg.

SPuriorum conditio cum undiq; projecta sit: nobilitatis insignibus decorari non potest. Vera nobilitas pudicitiæ & castimoniæ sacra facit, à putrida & rancida libidine tam diversa, qvàm qvæ maximè. Nobilitas monumentum est honestatis, non levitatis tessera. Matrem qvod seqvitur, à patris avita virtute descisc it. Intra lineam contineantur oportet, qvæ extra orbitam offendi nolunt. *Besold. lib. 1. Polit. c. 11. p. 416. 417. D. Liebenthal in Coll. Polit. Exercit. 10: th. 13. p. 255. & quæst. 8. pag. 269. 270. Voß. lib. 1. Orat. Instit. c. 4. p. 55.* Qvicqvid non accensetur & nobilibus familiis: nec nobilitatis prærogativis fruitur: nobilitate non effulget. *Cromerus lib. 1. de Situ Poloniæ ejusq; gente p. 477. col. 1.* Perperam natos flumina aversantur, & vel in regnis ipsis successio amputatur. *Schönborn. lib. 1. Polit. c. 8. p. 64. & lib. 2. c. 10. p. 150. 151.* Qvin jure divino vetantur, qvò minùs fiant heredes sui. *Judicum 11. v. 1. 2. 3.* & id ipsum ἐν λόγῳ miserabilem eorundem &

tre-

tremendam ſortem in hoc ſeculo delineat *Hoſ. 2. v. 1. ad 14.* Nec ullo modo defendi poteſt coitus ille, etſi nobilis cum nobili conſveſcat, & ſangvis ſimilis miſceatur: nam congreſſûs hujus modus in inſtituta divina & humana impingit, & ipſa conculcat: qvod impium eſt, & ab omni honeſtate alienum. Qvod ſi nobilis cum ignobili peccat & proſtibulo aliqvo: gemma ſtercori ſociatur: qvæ ſocietas ne amicitiam qvidem jungit, in æqvalitate florentem. Nec æqvat ſtatus conditionem farragine: qvippe creſcens ſpurca & abominanda.

QVÆSTIO XXXVIIII.

An Sacerdotes eminentiores ſint nobiles? N.

NUlli exſtiterunt unqvam ſacerdotes excellentiores Apoſtolis illis decem congregatis, cum filii Zebedæi in ſtatu, qvem vocat Theologorum chorus, exinanitionis Chriſti affectarent primatum. *Matth. 20. v. 25. 26. 27. 28. Marci 10. v. 42. ad 46. Luc. 22. v. 25. 26.* At his omnibus, in orbem miſſis, ſpem eripuit omnem futuræ in mundo dominationis, eos ſecernens ab iſta, & omni nobilitate, vocibus iſtis, pectus non elati hominis ſatis ferientibus: ὑμεῖς ἐχ ἕτως: Vos autem non ſic. Qvod ſi his tantis Ducibus, tam acerba pro Eccleſia fundanda perferentibus, tam præclarè de egregio publico merentibus, Heroica virtute adeo elucentibus, doniſq; cœlitùs collatis perfectis, nobilitatis prærogativa à Rege ſuo non eſt communicata: qvæ impietas foret, ſeqvioribus miniſtris, longè imperfectiore donorum & virtutum apparatu claris, eam addicere, invito & prohibente Chriſto? Sunt ſanè proh dolor! qvos titillat ambitio,

& maritarum, avita gloria gravidarum, superciliosa vesania, adhæc coacta multi auri possessio, purpuræ pontificalis appetens, ut ante non satientur honorum etiam culmine sacrorum, qvàm mercati fuerint nobilitatem, togam illam liberam, servile perpetuò corpus tegentem. Qvos ut ego impietatis damnare non ausim, judici supremo in decretorio illo die tantas vanitates excutiendas committens: ita vetat religio, tot conformibus sententiis, iisq; tot annos publici juris factis, nixa, qvò minùs eos ab omni errore solvam. Digna est epistola *Isid. Pelusiotæ 57. lib. 1. p. 40.* & Pansophio Archidiacono inscripta: qvæ omnium nobilitatis politicæ cupidorum musæis, vel potiùs cordibus, inscribatur, qvam Magni nominis JCtus Conradus Rittershusius ita in Latiarem è Græco transtulit: **Si Christi altari ministras: da operam, ut cum ipsis legibus munus tuum administres, mansvetum videlicet atqve corde humilem & submissum Te præbens. Neq; enim forensem qvandam præfecturam atqve imperium, fastu, ac pompa, & insolentia tumidum, tractas: verùm pacatum ac tranqvillum ministerium. Qvòd si opes, iniqvis rationibus collectæ, animos tibi tollunt: ipsæ qvidem confestim evomentur, ut qvæ natura fluxæ & instabiles sint: tu verò ingentem tui risum excitabis: qvi prætereuntibus rebus tanqvam fluxis ac stabilibus animum addixeris.** Et *gravissimus ac pientissimus Theologus in regio monte Borussorum Dn. M. Mart. Wolderus in cursu annuo p. 2. 63.*

& 3. ita rem paucis absolvit: Sacerdotes DEI sunt Servi DEI non tantùm servitio generali, sed & cumprimis servitio speciali. Argumenta, qvibus sententiam contrariam solidant *Bodinus lib. 3. de Rep. cap. 8. p. 465. 466. Besold. lib. 1. Polit. c. 12. p. 462.* Lehm. *in Annal. Spir. lib. 4. cap. 14. p. 319. col. 2. Lit. B.* num tangant κρινόμενον, cum Amplissimis Dn. Professoribus Theologiæ, tum Magnificis JCtis præcipuè discutiendum committo: cum in præsens ipsorum penetralia excutiendi mihi non sit animus. Addo tamen, negando nobilitatem Politicam, amplius & excellentius munus, secundùm Principes, aularum eminentiores proceres, & Magistratus supremo proximos, intra mortalitatem non foveri, sacerdotio: & splendido qvæstionem hanc abrumpo elogio, qvo honestat sacerdotes *Isid. Pelus. lib. 1. Epist. 307. ad Episcopum Leontium, p. 68.* Sacerdotes sunt præsidia gregis, Pastorum Principi obseqvia, & Magnatibus spei firmamenta, & mundo luminaria, & impiis feris Davides, percutientes leonem & ursum crucis baculo: & eo, qvo idem sacerdotium dat exornatum *lib. 2. Epist. 52. p. 112.* ita id ipsum salutans: Divina qvædam res est Sacerdotium, ac rerum omnium præstantissima.

QVÆSTIO XXXIX.

Num Judæa foverit Nobiles? Neg.

AFfirmativam tuentur *Besold. lib. 1. Polit. c. 11. p. 400. & Bodinus lib. 3. de Rep. cap. 8. pag. 465.* qvorum alter,

ortos esse vel ab Aaronis progenie, vel à Regibus opinatur: alter addit superioribus, nobiles primi ordinis solos sacerdotes fuisse. Neuter verò subjicit fundamenta sententiæ suæ, & in sola assertione acqviescit: qva, qvia non videtur ullum vestigium reliqvisse, qvantum ego recordor, in toto Veteris Testamenti codice dubium adhuc suspendit animum. Nec patrocinatur memoratis ante Viris *Joseph. lib. 17. Antiq. Jud. c. 9. p. mihi. 181. col. 1.* qvem *in Sabbato Christiano suo p. 100. & 101. citat Dn. M. Tobias Magirus, præceptor meus in Logica Practica & tota encyclopædia philosophica imbibenda fidelissimus, atq; ideo ad cineres usq; magnificiendus, & sub manibus reverenter habendus.* Nam optimatum, qvam vocem mea versio probat, facit mentionem: unde nobilitas nulla colligi potest; qvippe optimatum collegium Magnificum conjungit & nobiles, & ex plebe prodeuntes viros clarissimos. *Rutilius Poëta lib. 1. itinerarii.* Nullam in ea gente agnoscit: qvin mordicus negat iste hoc Disticho:

Reddimus obscænæ convicia debita genti,
Qvæ geniale caput propudiosa metit.

Et *Amm. Marcell. lib. 22. c. 7. p. 225.* Judæos appellat fœtentes: aliaq; convitia hinc inde reperiuntur, unde nobilitas stabiliri non potest.

QVÆSTIO XL.

An Græcia nobilitate lætata sit? Dist.

IN alia omnia hic abierunt magni Scriptores, metuentes, ne in labyrinthos inciderent, unde difficulter exire possent. *Bodinus lib. 3. de Rep. c. 8. p. 465.* nobilitatem Græcorum Procerum divellit ab adoptione magistratuum apud Athenienses post Aristidem, eamq;

trans-

transfcribit vel ftirpi Regum, vel heroum, nominatim vel Heraclidis, vel Æacidis, vel Cecropidis, & id genus aliis, referens fe tum ad res à qvoq; vel nobilitando, vel nobilitato geftas, vel ad Majorum eminentium præclara facinora. Ubi advertendum, Bodinum magiftratum à nobilitatis communicatione (ut fic loqvar) activa arcere. At Rex Magiftratus eft fuperior, & cauffa eminenter efficiens: unde ergo fe promere poterit nobilitas? Ad ftirpem Regum fi prolabamur: nihil qvoq; inferri video. Nam Regia ftirps non gignit nobiles, fed Principes, & nobilitati imperat. Et qvid Nobilitati cum Heroibus fit negotii? Pugnent ifti & vincant feliciter: Victoria ifta non operabitur noftram nobilitatem; qvamvis provocet Nobilitantem ad privilegia diftribuenda. Qvid autem perficit Heraclidarum familia? A millefimo lapide petita videtur ratio affertionis. Heraclidæ Herculis funt pofteri. At qvem Herculem hîc capiemus? An illum fortem & ftrenuum, qvem *Livius lib. 1. dec. 1. p. 10. Lit. A.* à Jove genus duxiffe fcribit? An filium Tuifconis, LVII. Ducibus illuftrisfimum? *Berof. lib. 2. Rer. Antiq. p. 333. col. 2. lib. 5. p. 337. col. 1.* An Pyratarum Principem? *Berof. lib. 2. Rer. Antiq. p. 333. col. 2.* An filium Alexandri Magni? *Juftinus lib. 11. c. 10. p. 113.* Ad Aacidas jam procedo à Jovis filio Æaco, Æginæ Infulæ *Cluv. lib. 4. Introduct. in univerf. Geograph. c. 10 p 397. & 399.* rege: *Caftellan lib. 2. de Off. Reg. c. 22. p 71 72.* procreatos, qvorum qvatuor nominat *Lamb. in Com. in Horat. T. 1 p. 237.* At qvid hoc ad nobilitatem? Ab Æaco geniti funt Æacidæ. Ergo funt nobiles? Qvid magis negandum? Magnos & in tenera ætate imperaturos prædico, nobilitatem non tribuo: qvia

qvia per potestatem Patris anteeunt nobilitatem. Cecropidæ qvidem rem perficient. Cecropidæ dicuntur, qvi à prisco Cecrope, primo Rege Atheniensium, *Beros. lib. 5. Antiq Rer. p 337. col. 2.* genus duxerunt suum *Porphyrius in Instit. Log. c. 2. T. 1. Oper. Arist. p 2. Lit. B.* Veritatis qvidem hostis. *Barth in Com. in Claud. p. 115. col. 1.* & contemptor Christianæ religionis violentissimus. *D. Christian. Matth. in Theat. Hist. p 406. col. 2* Scilicet hic nobilitas fusa & propagata est per traducem: qvem DEUS ex eadem materia specifica producit, qvalitatibus diversis gratuitò inditis, qvæ non sunt nostræ considerationis. Nec qvæ deinceps seqvuntur, nodum solvunt. Nobilitas enim hic designat imperium, qvod circumstantiæ manifestant. *Besold. lib. 1. Polit. c. 11. p. 406.* item ex stirpe Regum & Heroum Græcæ nobilitatis origines derivat: cui supra satisfactum est. *D. Conzen lib. 8. Polit. c. 2. p. 606. col. 2.* Theseum Athenis nobiles appellâsse εὐπατρίδας, ipsisq; magistratuum gerendorum curam injunxisse narrat, ejusq; rei sibi auctorem esse refert Plutarchum in Theseo: at *Plutarchus* hanc præterit, & *T. 1. in Theseo p. 2. col. 2. Lit. B.* & Thesei patrem esse statuit Erichthonium, qvem *Calvis. in opere Chronol. p. 178. col. 2.* Qvartum Atheniensium Regem esse confirmat, & vixisse asserit circa annum mundi 2419. ante C. N. 1489. Deinde progreditur ad laudandum Thesei genus maternum, qvod initium sumpsisse à Pelope, Rege Peloponnesi, Tantali, Regis Phrygiæ filio, *Cluverius lib. 4. Introduct. Geograph. c. 6. p. 366. credit*, qvi narrante *Plutarcho l. cit.* opibus carens, liberorum verò fœcunditate uber, filias suas primoribus regni & optimatibus elocavit. Et ex his videlicet provenit politica

litica nobilitas, pars illa jurium Majestatis, si diis placet. Unde satis constat, Politicæ nobilitatis in Græcia certam originem probari non posse. Diffiteri tamen non possum, fuisse & olim Græciæ suæ nobilitatem: eò qvòd eam cum in Græcia, tum in Macedonia Mahumedes tyrannide sua delevisse feratur à *Tarduccio Parte 1. Turca vincibilis p. 178. & p. 185.* Nec eam etiamnum planè exstinctam inibi esse, demonstrat Historiæ fides, & experientia, meridies veritatis, *M. Dannenh. in Id. Boni Interpret. p. 1.* atq; Philosophiæ mater: *Id. in Id. Boni Disput. p. 323.*

QVÆSTIO XLI.

An Persia nutriat Nobiles? Aff.

CONfirmatur hæc qvæstio à Magistra vitæ, qvo nomine Historiam nuncupat *Polyd. Vergil. lib. 1 de Rer. Invent. c. 12. p. 52.* Et hæc ipsa Triumviros in re Historica non postremos testes producit omni exceptione majores. Ducis vices obire potest famosus ille Historicus *Corn. Nepos:* qvi in *Pausania T. 1. p. 359. col. 1. Lit. B.* refert, ipsum Pausaniam, Byzantio expugnato, complures Persarum nobiles cepisse, atq; in his nonnullos Regis propinqvos, eosq; clam Xerxe remisisse. Hunc seqvetur illustrissimus *Thuanus*, qvo neminem plus eruditionis & candoris ad scribendum Historiam attulisse *D. Joh. Meisn. in Tr. de Desc. Christi ad inferos c. 2 p. 29.* memorat, *lib. 67. p 296. Lit. B.* exponens, Nobilitatem in imperio Persico potentem esse secus, qvàm in Turcico imperio: qvæ possessiones non precarias, sed hereditarias, habet, & sumptuosè habitat: eoq; minùs dicto audiens est: nec ad signa cum tanta obedientia

convenit. Rex ipse eidem dicitur citra se Curdorum 6000 ferè ex nobilitate habere, sub ducibus variis, qvibus omnibus unus ex purpuratis præsit. *Boterus* tandem agmen claudit, idemq; literis proditum relinqvens *lib. 2. Parte 2. Cosmogr. p. 261. col. 2.* Magnam, inqvit, habet in Persia auctoritatem nobilitas, & Reges suos fratres cupidissimè & liberalissimè tractant. Et paulò pòst, ubi copias Persarum maximas exsecutus est, addit: ubi jus armorum penes nobilitatem est: ibi peditatus vilescit. Hinc liqvet, Persiam etiam nobilitas veræ cultricem esse, eiq; res suas minimas maximas tuendas committere.

QVÆSTIO XLII.

An Arabia ferat Nobilitatem? Aff.

ISmaëli, Abrahami Patriarchæ filio, ex concubina edito, & ad illudendos alios nato, protervi ingenii viro, & ex eo cretis, Arabiam cessisse, Auctor est *Josephus lib. 2. Antiq. Jud. p. 18. col. 2.* Ex qvo fonte qvid nobilitatis effundere natura possit, conjectu non est difficile: qvòd fontem plerunqve seqvuntur rivi. Ast ut fons Patrensis in Achaiâ certo respectu mortem vel vitam ægris indicabat: *D. Peucerus de Divinat. p. 300.* ita in ipsa gentis hujus ægritudine laudabile qvippiam existere, & ex fontibus venenatis salubria effluere posse, non est vero diversum. Inibi natum refert *Achilles Tarduccius in Proœmio Turcæ vincibilis parte 2. p. 111. col. 2.* Mahometen (qvem *Pomponius Lætus in Comp. Hist. Rom. T. 3. Hist. Aug. pag. 381.* Mahmed, Mahummeden *Claud. Salmas. in Proœm. Defens. Regis Angl. p. 12.* vocat) Mahometum *Polyd.*

lyd. Verg. lib. 8. de Rer. Invent. c. 8. p. 599. regnante Heraclio Imperatore (Tarduccius dubitans, ipsum, aliorum judicio, sub Mauritio & Gregorio Papa) Anno 597. *(D. Christ. Matth. in Theat. Hist. p. 404.)* Anno Christi 560 die 23 Aprilis: *(Polyd. Verg. lib. 8. de Rer. Invent. c. 8. p. 601.)* natum affirmat, in urbe Mecha. *D. Christ. Matth. l. c. p. 405.* Patre Abdollea *Id. ibid. p. 404.* Patre nobili Viro Ethnico: *Tarduccius l. c. Polyd. Verg. lib. 8. de Rer. Invent. cap. 8. p. 599.* Matre Ismaëlita, *Tarduccius l. cit.* qvam Emenam appellat *D. Christ. Matth. in Theat. Hist. p. 405.* Licèt *Pomponius Lætus in Compend. Hist. Rom. T. 3. Hist. Aug. p. 381.* eum obscuris genitum parentibus esse asserat: cui suffragatur *Joh. Baptista Egnatius lib. 2. Principum Rom. T. 3. Hist. August. p. 443.* Qvæ qvidem nodum non omnino solvunt: ex circumstantiis verò cæteris non est obscurum, qvod Tarduccio defendere placuit. Imò in hac acie suppetias fert eidem *Boterus*, qvi *lib. 1. Cosmograph. Part. 2. p. 111. col. 1.* stabilit, & esse in Arabia nobiles, & eos tanta valere potentia, ut nulli vel Principum vel Magnatum pareant: sed solis istis nobilibus omne genus hominum reliqvorum subjectum sit. Qvo tam insigni cultu nobilitatis Arabicæ splendor plus satis effulget.

QVÆSTIO XLIII.

An intra ditionem Romanam locus sit Nobilibus? Neg.

AFfirmat qvæstionem *Magnus Lipsius lib. 1. Elect. c. 29. p. 441.* ita fatus: Genus apud Romanos duplex alii Patricii; alii plebeji. Rursum ex utrisq; alii Nobiles, alii novi. Nobiles censebantur illi soli, qvo-

rum Majores Magiſtratum ceperant, qviq; jus habebant imaginis ponendæ. Novi, qvorum Majores vitam privatam vixerant,& qvibus imagines nullæ. Regum temporibus, & poſt regifugium aliqvot annis, penes ſolos Patricios, Magiſtratus erant: ideo & nobilitas. Poſtea per contentiones Tribunicias communicati cum plebe honores, ſimulq; nobilitas, & imagines. Imò non rarò ex eo plebejus qvispiam nobilis ante Patricium: ut Claudii Marcelli, ut Decii, Flaminii, Luctatii, & qvæ aliæ è plebe familiæ plenæ honorum. Non enim ex genere, ſed ex imaginum multitudine omnis nobilitas: & imagines ex Magiſtratu. Hæc ille. Verùm, ut, qvod res eſt, ſcribam, non offendit Nobilisſimus Author membra verè dividentia, qvæ analogicè partiuntur. Non enim Roma, ſeu civitas Romana dividebatur in Patricios & Plebejos, ſed in Patres & Plebejos: h. e., in imperantes,ſeu eos,qvi erant cum imperio: & parentes, in Relatum & Correlatum. *Plutarch. in Romulo T. 1. p. 8. col. 2. Lit. D.* Et qvid ſcribam de Nobilibus, qvibus nec Principium adſignatum,ne Definitio ſtructa convenit. Sileo in præſens novos, & eos ad inſeqventes qvæſtiones ſervo. Imò non rarò non facit ad rhombum: cum vox Nobilis & Patricius interdum idem valeant: qvod Antiqvitatum Amatoribus non eſt obſcurum. De Claudio Marcello &c. non unum oritur dubium, ſumma prudentia eximendum. Sed nec ex imaginum multitudine eſt omnis nobilitas. Imò potiùs nulla. Qvippe *Livius lib. 4. Ducadis 1. pag. 47.* planè demonſtrat, plerosqve ex Albanis & Sabinis oriundos nec ex genere, nec ſangvine, ſed per cooptationem in Patres habere, aut à Regibus lectos, aut, poſt Reges exactos, juſſu populi.

Ima-

Imagines sanè non erant caussæ Efficientes, sed mera signa nobilitatis. *Vernul. lib. 2. Polit. cap. 4. p. 209.* His ita confirmatis statuo, Nobiles, Patres, & Senatores qvoad rem unà διανοίᾳ gaudere: Idqve liqvet ex loco proximè laudato Livii, ex loco *Ciceronis lib. 3. de ll. T. 4. pag. 460. Lit. C. Liv. lib. 1. Dec. 1. pag. 11. Lit. A. Godolevai in Comm. in Eundem p. 17. 18. & Liv. rursum lib. 1. Dec. 1. pag. 17. Lit. B C.* & tandem ad Negativam descendo, per locum *Livii lib. 9. Dec. 1. p. 206.* Senatum qvi ex Regibus constare dixit, unus veram speciem Romani Senatûs cepit. Patricios autem differre à Patribus, autor est *Vellejus Paterculus lib. 1. Hist. Rom. p. 16. Lit. A.* inqviens: Romulus centum homines electos, appellatosq; Patres, instar habuit consilii publici. Hanc originem nomen Patriciorum habet. Hunc sensum fovet pariter *Plutarchus in Romulo p. 8. col. 2. Lit. D.* Patricios tamen ipsos **Lehm.** *in Annal. Spirens. lib. 2. cap. 40. pag. 162. col. 1. & 2.* vocat **die Obristen und Fürsten über Rom.** Atqve hæc nobilitas planè eminenter est consideranda: ideoqve ad hoc forum non pertinet. Consuli potest ex Antiqvis *Livius lib. 4. Decad. 1. p. 158. Lit. B C. & l. cit. p. 161. Lit. C. Svet. in Aug. c. 5. p. 64. c. 10. p. 68. Id. in Tiberio c. 1. p. 146. & cap. 2. p. 148. Justinus lib. 43. c. 5. p. 333. n. 10. 11. 12. Trebellius Pollio T. 3. Hist. Aug. p. 52. Et Joh. Bapt. Egnat. in Annot. pag. 527.* Ex *Junioribus Besold. lib. 2. Polit. c. 11. p. 406. Bodinus lib. 3. de Rep. cap. 8. pag. 460. 461. 462. 463. Id. lib. 5. de Rep. cap. 4. pag. 853.*

QVÆSTIO XLIV.

An homines novi sint nobiles? Neg.

NOvos homines si qvis nobilibus accensuerit, perinde facit, ac is, qvi cœlum terræ copulat, rotundis jungit qvadrata. Magnificus Dn. D. Brunnem. in Polit. sua manu scripta mihi diffitentis sententiæ autor est. Monens enim Principes de collegiis uniendis: novis etiam hominibus aditum, ad talia tamqve splendida Reip. corpora parare molitur: ast eos, secretos à Nobilitate, plebejos nuncupat. Excellentissimi hujus Viri sensum mordicus tenet, strenueq; tuetur *Plutarchus in Catone Majore T. 1. p. 104. col. 2. Lit. E.* inqviens: Romani eos, qvi obscuris orti Majoribus per seipsos innotescere cœpissent, novos homines vocare solebant. Qvæ verba tam sunt novorum hominum nobilitati confirmandæ, ac purgatorii commentationi ex Scriptura Canonica stabiliendæ est nonnullorum Pontifici Romano nimis addictorum auctoritas, ad, nescio qvæ, portenta, in libris Machabæorum assurgentia, confugientium. Accedit etiam Ipsi *Sen. lib. 4. Benef. c. 30. p. 72.* Aliqvando, inqviens, daturum me etiam indignis qvædam non negavero, in honorem aliorum: sicut in petendis honoribus qvosdam turpissimos *nobilitas* industriis, sed *novis*, prætulit. *Vide Lips. in Com. p. 79. n. 13.* Nec robur addere eidem renuit *Sallust. in Catilin. p. 21. hac verborum serie:* Antea pleraq; Nobilitas invidia æstuabat, & qvasi pollui Consulatum credebat, si eum, qvamvis egregius, novus homo adeptus esset. Affirmativa placet *Nobilissimo & Amplissimo Dn. Cellario lib. 1. Polit. c. 19. §. 17. p. 298.* qvæ levi tibicine est fulta. In Appiani testimonio acqviescit, qvod non infert inferenda: cum per superiùs laudata,

data, tum per vocem γνώριμος, qvam *Bodinus* reddit per vocem Nobilis *lib.3. de Rep. c.8. p. 461.* Verùm vox iſta Græca apud Ariſtotelem paſſim de Optimatibus, ſecundam ſpeciem Reip. conſtituentibus, accipitur: qvi à Nobilibus Politicis differunt tanqvam Cauſſa ab Effectu: nimirum & Optimatibus creandorum Nobilium eſt poteſtas. Noſtris inſtitutis novus homo commodè ſignatur ille, qvi obſcuritatem natalium ex decreto Principis, vel alia Majeſtate, primus ob res præclarè à ſe geſtas nobilitate mutat. Qvo ſenſu Excellentisſimorum Dominorum Publiciſtarum cenſuram faventiorem ſubmiſſè mihi polliceor.

QVÆSTIO XLV.

Num Germani ſint nobiles? Aff.

INvictis Germanis jam olim nobilitatem in ſummis fuiſſe deliciis, ſubtilisſimus Germaniæ Veteris vindex *Tacitus in lib. de Moribus Germanorum c. 2. & 3. p. 610.* arguta hac brevitate, ex more ſuo, manifeſtat: Germani Sacris adeſſe, inter Germanos, aut concilium inire ignominioſo eſt nefas: multiq; bellorum infamiam laqveo finierunt. Reges ex nobilitate, duces ex virtute ſumunt. Unde liqvidò conſtat, non aberràſſe à linea Excellentisſimum illum naturæ myſtam & omnigenæ eruditionis cornu copiæ, *Dominum Kirchmajerum*, Profeſſorem Wittebergenſem clarisſimum, *in Com. ſuo in Tacitum p.117.118.* ſtatuentem, non ante Taciti ævum, ſed & ante Francorum Imperatores eam invaluiſſe. Videantur adhæc meliùs percipienda Auctores ibidem à Domino Kirchmajero laudati. Confirmat

mat idem ipsa Chronologia. Nam Tacitus vixit Anno ante redditam humanæ genti salutem 120. *Bodinus in Methodo Histor. c.10. p.386.* Francorum imperium, in Carolo M. solo Anno post Christum natum 771. prid. Non. Decemb. cœpit. *D. Christ. Matth. in Theat. Histor. p.817. col.1. §.2.* Qvare explorati jam juris est, nobilitatis palmam, in Germania, licet Roma labante, vixisse. Nec *Calvisium* sententiam meam oppugnare confido, qvi *in Chronol. sua p.638. col.2. §.* Mense Majo confirmat, Carolum Imperatorem, victis Saxonibus, jussisse qvosdam militum suorum, ob strenuè belli patrata, nobiles. Argumentum videlicet à particulari Brocardicis debilitatam vim solet adferre. Qvin & Juniores Politici idem asserunt, fulcris ex vario Accidente sibi partis. *Besold. lib.1. Polit. c.11. p.406.* Apud Germanos olim fuisse eos nobiles, qvi servitutem nunqvam servierant. Fidem assertionis suæ ipse Auctor vindicet. Ego tales nobiles verorum nobilium turmis associare non immerito vereor, qvòd caussam proximam non videam. Magno autem autori assurgo, fidemq; ei arbitror, Germanorum nobilitatem adstruenti ex ipso opposito remoto. *Is idem lib 1. Polit. c. 11. p. 498.* Eandem omnium aliorum Regum & Principum nobilibus præfert, ex privilegiis à Summo Christiani Orbis Principe collatis, cæterorum Regum immunitates à tergo relinqventibus: qvod, num pace fiat Regum, Principum, & Nobilium Christiani imperii, in præsens expedire supersedeo. Privilegia non adeo videntur extendere & amplificare nobilitatem. Ex Majestate superiore & digniore major qvoq; propullulare creditur auctoritas, nobilitas major. Nec hoc diffite-

fitetur *Saavedra in Symb. Polit. p. 649.* qvi ex conservatione Nobilitatis in Germania primariam ei præter cæteros gloriam adſignat: cui cum memoratus autor in Germania decus ſuum & ſedem aptam ſecernat, ego de fonte ejusdem & prærogativa cum nemine contendam. Tandem etiam *D.* Contzen *lib. 8. Polit. c.20 p.606. col. 1.* qvæſtionem propugnat, nobilitatem Germaniæ aſſerens unicum Imperatoris fulcrum, & qvidem ejusmodi, ut, ſi concordiæ ſtuderent, ex ea aliqvoties millia eqvitum ſelectiſſimorum celeriter haberi poſſent. Et hactenus Viri tanti me judicio ſubmitto: ſuperioribus verò qvæ addit, aſſeverans, eò rem deveniſſe, ut ſine nobilitate nihil Principes posſint, cum, qvæ ad ſententiam meam probandam ſufficiunt, monſtraverit, in improbanda ſententia ſeqviore non operabor. Scilicet novimus omnes, Principem non à Nobilibus ulla ratione pendere, nec poteſtatem Majeſtatemq; ſuam à Nobilibus vel mercari, vel mendicare. Sive enim domi, ſeu militiæ res fuerint gerendæ: penes Principem perpetuò eſt omne regimen, potentia univerſa, nulli communicanda, niſi ei, qvem Princeps ad tanta ornamenta evexerit. Conſulatur & *Dreſſerus Parte 5. Iſagog. Hiſt. p. 241. 242.*

QVÆSTIO XLVI.

An Patricii Germani ſint nobiles? Aff.

B*Eſold. lib. 1. Polit. cap. 11. p. 411. §. 3.* Patricios cenſet eos eſſe, qvi non imperatoria autoritate, ſed peculiari civitatis conſvetudine tales cenſentur. Unde is ipſe eos domi Nobiles & Stadtjunkern appellat:

qvòd tantùm in loco consvetudinis tales sint, extra non item. Horum patriciorum originem ex *Spangenbergii Chron. Saxon. c. 121. p. 163.* ad Henricum Imperatorem, qvi in extinctorum Hunnorum familias alias surrogavit, (*Witich. C. 1. Reink. de Orig. Nobil.*) refert JCtissimus Dn. *Sprengerus lib. 1. Instit. Juris publ. c. 8. p. 49.* illosq; Nobilibus propinqvos esse assirmat. Et hos inter primas tribuisse Norinbergensibus dicit Reinkingium. Secundo loco dignatum esse Augustanos, qvos à Ludovico Imperatore genuina decoratos nobilitate asserit. Ulmenses tandem, ut & Francofurtanos, à Corolo V. nobilibus adjectos esse testatur. Principatum istum Norinbergenses indeptos esse ait idem ibidem ab Henrico VI. Imperatore Anno 1198 cum cives Imperatorem post hastiludia, ibidem celebrata, Donaverdam comitati essent: nobilibusq; montana incolentibus eos æqvat, *Dresser. Parte 5. Isag. Hist. p. 302.* primatum hunc sicco præterit pede, & de suo Besoldi sententiæ subjicit, Patricios Noricos natales suos Antiqvis, Præcellentibus, & honestis Majoribus debere. Non verò hîc moror Dresserum: cum omnino apertum legam de caussa Efficiente, Majestate Suprema, caussa item extra movente, comitatu, atq; societate, pariterq; primatu: Noricosq; Patricios, qvin & Augustanos, Ulmenses, & Francofurtanos veræ & genuinæ nobilitati detrahendos esse, non possum induci, ut credam. Qvanqvam verò à *Dn. Reinkingio* & Halam Sveviæ, & Aqvisgranum *loc. cit.* cum nobilitate sua obliteratam reperio: tamen religio vetat, qvò minùs ipsis ausim denegare, qvod tributum esse ipsis à Magnis Principibus partim confido, partim persvasum habeo. De illis, res dubio vacat omni. *Dresserus* enim autor est

Parte

Parte 5. Isag. Hist. p.241.242. cum arces ipsos nobiles condidisse, tum ad torneamenta admissos esse, tum deniq; hæc privilegia ab imperatore Caracalla obtinuisse. De his qvoq; nil qvicqvam ut dubitem, ansam mihi præbet, multitudinem nobilium sub jurisdictione tantæ civitatis habitasse, legenti, nisi qvòd simul additum offendo, nobiles istos sub jurisdictione Magistratûs vixisse: qvæ res mentem turbat: qvam serenat privilegii, Magistratui isti, certis de caussis dati, conceptus, in qvo, nullo meliorum monente, acqviescam *Spreng. lib.3.Instit. Juris publ. c.32.p. 491. D. Christianum Matthiæ lib. 1. System. Polit. Exercit. 4. Sect. 6. p. 189. th. 1.* sensu suo abundare concedo, & Magnificorum Dominorum Publicistarum examen accuratius, qvod pluribus nodis solvendis erit, imploro, judiciumq; benignius spero.

QVÆSTIO XLVII.

Num Patricii Veneti sint nobiles? Dist.

BOdinus *de Meth. Hist. c. 6. p. 197.* controversiam hanc hac verborum structura expeditam dat: Reipubl. Venetorum antea popularis fuit, sed paulatim in Aristocratiam mutari cœpit, cum magna pars civium ac plebejorum opificiis intenta, sponte sua se à rebus agendis subduceret: peregrini verò & inqvilini non admitterentur, nec jus imperii cuiqvam, nisi de Rep. bene merito, & avarè admodum, tribueretur: paulatim familiæ Veteres interire cœperunt. Ac multò pauciores essent, nisi Genuensi bello triginta peregrini jus civitatis emissent: cum civitas inopia premeretur. Unde liqvet, diu ibidem & Patricios & nobiles raras fuisse aves. Cæ-

terùm *idem lib. 3. de Rep. c. 8. p. 467.* demonſtrare nititur, Patricios Venetos in iſta Republ. primas partes poſtea tenuiſſe ob jura Majeſtatis. Hos ipſos ſecutos eſſe nobiles, qvi extra Patriciorum album cenſeri: & poſtremos eſſe plebejos: nobilesq; pariter ac plebejos Citadinos appellari ſtatuit. Unde colligo, Patricios optimates & Magiſtrates fuiſſe, nobiles non item. Senſum meum confirmat *D. Conꝛen lib. 8. Polit. cap. 20. pag. 606. col. 1.* provocans ad *Tholoſan. lib. 4. c. 2. §. 13.* mirum non eſſe indicans, à Venetis foveri nobilitatem, qvòd Rempubl. habeant Ariſtocraticam. Nec ipſe abit à me *Bodinus lib. 1. de Republ. cap. 10. pag. 199.* Ducem Venetorum ideo Principem, hoc eſt, primum eſſe, qvod nihil aliud præter cæteros Patricios habere videatur, qvàm Principem in Republ. locum ac dignitatem in omnibus Collegiis: qvibus præeſſe, ac ſuffragium extremum ſuo jure ferre potuiſſe. Id qvod in Ariſtocratia fieri amat. Nobilitatem verò non prorſus exulaſſe, ſtatuminat *D. Conꝛen loc. cit.* ubi nullam navigationem ſine nobilitate permiſſam eſſe ſcribit: Qvid? Ipſe Politicus hic triplicem Venetis nobilitatem fuiſſe fatetur *lib. 1. Polit. cap. 14. p. 29. col. 1. §. 3.* (Videatur *Jacob. Juſt.* in der kleinen Wunderwelt *pag. 33.*) eò qvòd à Romulo, & ſeqventibus Regibus Romanis, eorum nonnullos Henetos, poſtea Venetos, eſſe dictos, & ibidem ſedem cepiſſe, lego apud *Livium lib. 1. Dec. 1. pag. 4. Lit. C.* per virtutem ſuam Regum gratiam aucupatos, & ad hoc in civitate culmen evectos eſſe autumo: unde ad poſteros nobilitatem perrexiſſe, & adhuc effulgere cenſeo.

QVÆ-

QVÆSTIO XLVIII.

An Patricii Genuenses sint nobiles? Dist.

OLim qvidem nobiles fuisse, non renuo. Qvippe refert *Thuanus lib. 61. pag. 113. Lit. C & D.* Genuenses nobiles, qvo nomine illos vocatos esse refert, qvi in Rep. ab Anno M C. (Altiùs enim non proferunt Genuenses Reip. suæ cunabula) honoribus & muneribus publicis ornati fuerunt. Qvæ res mihi autor est, ut statuam, sine jure Majestatis Summæ tanti tituli splendorem primùm non Magistratus munia obeuntibus non contigisse. Et hoc judicium roborat Thuanus ipse, qvi laudatos nobiles antè Patricios dictos fuisse paulò pòst asseverat: licèt de tempore non constet. Deinceps verò hi ipsi à Simone Buccanigro, excusso Vicecomitum jugo, Anno 1454 lege hanc ob rem lata, eoqve Duce creato, à Principatu & reliqvis Magistratibus, de nimia ambitione, arcebantur: qvorum administrandi provincia postea solis popularibus est tradita. Populares autem eos dictos esse narrat, qvi tunc novi, hoc est, nondum munerum publicorum erant participes.

QVÆSTIO XLIX.

An Parthi tolerent Nobiles? Aff.

EXcellentissimus ille Polyhystor *Dn. Cellarius lib. 1. Polit. c. 19. §. 14. p. 296 297.* propugnat ajentem sententiam: nec, qvod dicitur, aërem verberat. Auctoritate nimirum adminicula sibi qværens, &, qva nihil est majus, *Isid. Pelus. lib. 4. Epist. 70. p. 37.* nihil antiqvius, *Id. lib. cit. Epist. 130. p. 67.* nihil præstabilius, *Augus.*

lib.5. de Musica T. 1. c.5. p.372. Lit.C. veritate, Parthis discerni vult nobiles à vulgo: qvod illi eqvitando publica & privata negotia obeant. Huic assertioni se opponere videtur *Justin. lib.41.c.2.p 313. n.5.* scribens, Parthorum vulgus nulli manumittendi potestatem permittere, ac per hoc omnibus servis nascentibus indies crescere. Si enim nulli copia sit libertate donandi ullum: unde proveniet nobilitas? Sed salva res est. Nodum solvit ipse Historicus *n 6* ubi Antonium, bellum Parthis inferentem, cum eidem qvinqvaginta eqvitum millia occurrerent, solos qvadringentos liberos habuisse refert Liberi autem à Nobilibus planè non differunt. Ulterius pergit solidare Magni illius Viri sententiam *Historicus noster Ejusdem libri cap. 3. pag.315. n.4.* hoc discrimine servos liberosq; secernens, qvòd servi pedibus, liberi non nisi eqvis incedant. Qvicunq; ergo à se invicem discernuntur, non possunt non adesse, & semper ob usus Reip. salutares animo æqvo ferri.

QVÆSTIO L.

An Turcia ferat nobiles? Neg.

V*Ernul.lib 7.Polit.Tit.9.c.3.p.209.col.2.* affirmativam defendit ideo, qvòd moribus Turcicis nobilitas ex cujusq; virtute ponderetur. Unde eam ultra nepotes non propagari ait: ut sibi qvisq; generis dignitatem renovare nova virtute studeat, aut ignobilis censeatur: adoptatum autem ab illustri & nobili non fieri nobilem: qvòd nobilitas, qvæ transfunditur, sit velut ex traduce: adoptatus autem non sit ex sangvine adoptantis. Verùm qvæ hæc est nobilitas, qvam

qvam Principis potens dextra non perficit? *Vide Salomon* Schweiger *lib.2. Itinerarii c. 48. p. 160. Laz. Soranzium in Ottomanni sui Parte 1. c. 4. p. 9. Bodinum lib.3. de Rep. c. 8. p.471. col.1. §.1. Besoldum lib.1. Polit.c.11.p.408.* Turcas statuit habere nobiles genere, qvos Tzlebios vocant, sed parum honorare ignobiles istos nobiles. Qvippe Sultani sibi ab illis metuentes, ad nullas dignitates eos evehunt, sed ipsis Mamelucos præferunt, utpote qvos, qvoties libet, rursum ejicere absq; periculo seditionis possunt. Ast & hanc nobilitatem non admitto, cum, autore *Seneca Epist. 44.* ante nos qvod fuit, nostrum non sit. Proinde negativæ subscribo, edoctus à *Tarduccio Parte 1. Turca vincibilis cap. 2. p. 202.* omnes Turciæ Bassas, Beglerbegos, Agas, & reliqvos Tribunos & ordinum ductores, milites, & Aulicos esse imperatoris mancipia. Qva servitute nec liberari illos, ait idem, etsi supremos dignitatis gradus accipiant. Qvin imò curam Turcæ majorem non esse, qvàm ut in occupatis regionibus nobilitatem exscindat, ait *D.* Conring *lib. 8. Polit. c. 20. p. 605. 606. col.2.*

QVÆSTIO LI.

An Hispania gaudeat nobilibus? Aff.

NOn est opinionis incertæ, Jobelum Jobelos, qvi nostris temporibus Iberi, & ipsi Hispani appellantur, produxisse *Joseph. lib.1. Ant. Judaic. c.11 p.5. col.1. Justin. lib.44. c.1 p.334. n.1.* Hi Atavo Noacho geniti cum eo ipso nobilitatis jura, qvod ante monstratum, per potestatem Summi omnium Principis summam,

sibi

sibi communicata, ad posteros, tantæ gloriæ capaces protulerunt, & in hunc usq; diem procul dubio generosum stemma firmissimè collocaverunt. Ulterioribus fulcris munitam dat Hispanorum nobilitatem *Dn. D. Conring lib. 8. Polit. c. 20 p 606. col. 1.* ita mihi suppetias eundo: In Hispania Nobilium sunt præcipuæ in tam vasto imperio partes, crevitq; mirandum in modum nobilitas tot Ducum, Comitum, Præfectorum, Navarcharum officiis aucta, ut, nisi novi, nobilitate donati, in subsidium venissent, antiqva nobilitas tantis negotiis impar fuisset. Reperi qvoq; *apud Eundem lib. 8. Polit. c. 10 p 576. col. 2. § 6.* Nobiles Hispanos negotiationi operam dare, ut tam augustæ dignitatis servantissimi præter cæteras gentes rem augere, ac partum sibi decus tueri valeant. Nec à scopo meo me aberrare permittit *Justinus*, qvi *lib. 44. c. 1. p. 334. n. 1.* ipsam Hispaniam Europæ terminos claudere, nec tantùm incolis suis, verùm etiam Italiæ, urbiq; Romanæ cunctarum rerum abundantiam sufficere *ibid. n. 4.* pronunciat: cui rei cum tuendæ, tum amplificandæ qvàm opus est nobilitate, in qva ferè omnia media maxima imperia fundamenta sibi ponere, ex seqventibus probabitur: qvippe qvæ bonis à se collectis propugnatricem sibi postulant, qva in re se dat solertem Nobilitas. Ipse qvoq; Caj. Julius Cæsar, qvi *teste Lipsio lib. 1. Poliorcet. dial. 9. p. 54.* ipsi Romanæ Eloqventiæ Parenti dubiam fecit palmam, muniens, præter Italiæ, Galliarum, Asiæ atq; Græciæ, etiam Hispaniarum civitates potentissimas, referente *Svet. in Eod. c. 28. p. 19.* laudatis munitionibus florem nobilitatis: qvo deficiente, tota Resp. in unius Regis unico corpusculo periclitatur, *Vernul. lib. 2. Instit. Polit.*

Tit.

Tit. 9. c. 6. p. 211. 212. præfecisse creditur: qvòd servi plerunq; sint proditores: *D. Conßen lib. 8. Polit. c. 20. p. 609. col. 1.* Nobiles autem à proditionis scelere adeo abhorreant, qvàm qvi maximè. *Cardanus de Arcanis Prudentia Civilis. c. 73 p 297.*

QVÆSTIO LII.

An Gallia nobilitatem respuat? Neg.

Gallia sanè, qvam in provinciæ formam à C. Julio Cæsare redactam esse literis proditum reliqvit *Suet. in Cæs. c. 25. p. 16.* gentemq; fovet opulentissimam ac humanissimam, *Scal. lib. 3. Poët. cap. 107. p. 403.* qvare nec immerito à *Sleid. T. 1. lib. 8. de Statu relig. p. 258. col. 2.* Germaniæ Principum ac civium domicilium audit, & à Maximiliano I. Imperatore omnibus regnis orbis antepofita est, *Lans. in Consult. Princip. Europæ Orat. 3. pag. 97.* nobilitatis nutrix & mater ferè altera est. Eam nimirum Rex suus, qvi *καὶ ἐξοχὴν* Rex dicitur *Eidem ib. p. 144. 145.* ab omni munere liberavit, solisq; suis usibus belli obligavit. *Besold. lib. 1. Polit. cap. 11. p. 408.* Ulterius progreditur *D. Conßen lib. 8. Polit. cap. 20. pag. 606. col. 1.* additq; Nobiles in Gallia & Reip. moderatoni præesse. Hinc *Thuanus lib. 63. pag. 181. Lit. D.* qvasi Canonem formans, eqvitatum Gallicum ferè nobilitate constare asserit. Qvam rem postea paradigmaticè demonstrat cum *lib. 72. p. 449. Lit. A. & lib. 77. pag. 611. Lit. A.* ibi sub Navarri exercitu Tribuni eqvitum turma universa Antonii Rupilaurei nobilibus constabat, & agmen claudebat: hîc evincitur, copias ferè omnes Gallorum Anno 1483 cum Hispanis in Belgio certantium è nobilitate coactam

 fuisse.

fuiſſe. Is ipſe in ſpecialiora inqvirens, cognito, retulit mihi *lib. 95. p. 441. Lit. D.* Picardiam præ aliis & nobilitate & eqvitatu excellere. Tandem ex hypotheſi redit ad Theſin, nobilitatem regni Galliarum robur eſſe *lib. 92. p. 341. Lit. B.* eamqve, ob inſitam virtutem, acriore ſenſu præditam, injuriam, regi illatam, in ſe redundantem æſtimari putat *l. c. Boterus*, Galliæ nobilitatem probaturus, & Thuano acceſſurus, generoſæ ejusdem & ad fortia atqve memoranda qvæqve audenda & patranda natæ fortitudini addit liberalitatem & munificentiam *lib. 1. Partis 1. pag. 18. col. 2.* univerſæ ſocietatis humanæ qvaſi gluten. *Cic. lib. 1. Off. T. 4. p. 472. Lit. F.* à qvo ſimul operoſiore & extenſiore hujus qvæſtionis explicatione ſolvor.

QVÆSTIO LIII.

An Britannia faveat Nobilitati? Aff.

BRitanniam, qvæ circiter annum à Chriſto nato M. CCC. XX. dicta fuit Anglia, teſte *Lanſio in Conſult. Princip. Orat. 2. p. 72.* cujus dimidium, Principe Severo, paruit Romanis, *Barth. in Com. in Claud. p. 85. col. 1.* eidemq; toti Scoticum regnum Jacobus IV. hujus nominis Rex conjunxit, *Voſſ. in Dedicat. præmiſſa lib. de Arte Gram. p. 11.* odio habere nobilitatem non potuiſſe, enucleatè exponit *D. Contzen lib. 8. Polit. cap. 20. p. 606. col. 1.* indefeſſo labore curaq; perenni res Britannorum conſtitiſſe univerſas pronuncians. Clariùs qvæſtioni ſatisfacit *Boterus lib. 2. p. l. p. 220. col. 1.* Qvi cataphractos meruiſſe eqvo nobiles, & his ipſis munitionibus ſeu tegumentis à levis armaturæ militibus fuiſſe diſtinctos profite-

fitetur, ad qvæ exercitia, ipsius sententia, nobiles Britanni erudiuntur. Commendat Eosdem *Historicus* laudatus ex comitate & humanitate *lib. 1. Parte 8. p. 197. col. 1. in f.* qvo veræ magnitudinis perpetuo insigni, non solùm M. Crassus, ut est apud *Plutarch. T. 1. in Ipso. pag. 165. col. 1. Lit. C.* sed & Miltiades excelluit: & hic qvidem adeo, ut *C. Nep. in Ipso. p. 357. col. 2. Lit. A.* referat, Virum tantum inde apud omnes civitates auctoritatem & nobile nomen sibi acqvisivisse. Qvin & peregrinorum amore eos inclaruisse idem refert. Unde pluris æstimandi sunt Romanis, qvi, *Dione Cassio Autore T. 2. Hist. Aug. p. 11.* imperio peregrinos ante Nervam Coccejum non tulêre: similes Israëlitis, qvi tempore Salomonis in terra sua 153600 proselytos numerârunt: *D. Franc. de Interpret. Script. p. 949.* Nec minùs ea conspicui fuerunt patientia Lacedæmonii, qvi vel ad cænas peregrinos admiserunt, si penes *Petr. Vict. lib. 4. V. L. cap. 19. pag. 85.* est fides.

QVÆSTIO LIV.

An Polonia admittat nobiles? Aff.

C. *Romerus*, ipse Polonus, atq; ideo testis assiduissimus, *lib. 1. de situ & gente Poloniæ p. 496. col. 2.* rem ab ovo orditur, & nobiles, ait, antiqvitus milites, nunc eqvites, ferè ab eqvestri militia, cui sunt obnoxii, à Latine loqventibus & scribentibus appellari. Vernacula autem lingva Schiachta, à generis nobilitate, mutuato, nisi fallor, à Germanis vocabulo (qvasi Geschlechter) vocantur, & Ziemianie, qvasi agrarii, vel, ut vulgò interpretantur, terrigenæ, à terra & agris, qvos ferè

colunt & habitant antiqvitus, hereditarios, pretióve, seu Principis beneficio partos. *Spreng. lib. 1. Instit. Juris publ. cap. 8. pag. 42.* rem alio argumento probat, nullos se invenisse ratus nobiles, majore potestate donatos, qvàm in Polonia. Ibi enim nobilitas suos reges eligit (id qvod proximis annis nos docuit Potentissimus Rex MICHAEL, cui DEUS Divinam virtutem indat, ut invicto mentis robore in hostes suos impetum faciat, eosqve ita adoriatur, ut ipse & sibi, & regno suo, victoriam perpetuò reportans, gratulari, & cum C. Julio Cæsare exclamare possit: Veni, vidi, vici! *Suet. in Ipso. cap. 37. pag. 25.*) & vix ibi Principes & Comites reperiuntur, &, siqvi aliqvando sunt, ut in Polonia Princeps Razevil, in Comitiis tamen non desunt nobiles, qvibus cedere tenentur. Domino Sprengero accedit *Dn. Magirus in Polit. manu scripta Part. 1. Sect. 1. cap. 5. p. 18. in pr. D. Conten lib. 8. Polit. cap. 20. pag. 606. col. 1. Thuanus lib. 61. p. 99. Lit. A & B. & pag. 101. Lit. D & E. Boterus lib. 1. Cosmograph. Parte 1. p. 85. col. 1. & 2. & lib. 2. Part. 1. p. 225. 226.* Unicum tamen notavit, qvo indicium facit, obligari & nobiles Poloniæ ad præstandam Regi suo obedientiam, qvòd teneri ait nobilitatem citra Regis impendia in castra prodire, & cum hostibus conflictari. *Id. l. c. p. 226. col. 2. §. Das Fürnehmeste.* Paulò pòst verò aliud ejus subjungit privilegium nobilitatis, nempe potestatem armorum, qvæ ipsi soli est data, & stipendia eqvo facta. *Id. ibid. pag. 227. col. 1. §. Also / daß.*

QVÆ-

QVÆSTIO LV.

An Svecia amplectatur nobiles? Aff.

M. *Lungvitius parte 2. Hist. Svecica p. 67. & seqq.* prolixus est in legibus fundamentalibus religiosissimi, potentissimi, bellicosissimi, & felicissimi hujus regni, perseqvendis, & in Capitulatione Regis GUSTAVI ADOLPHI, cujus gloria Germaniæ à posteritate nunqvam obliterabitur, plus satis demonstrat è tribus ordinibus, qvibus Svecicum Regnum efflorescit, nobilitatem inibi non infimæ caveæ esse: pariterq; ex tot familiis, qvas nominatim appellat, additis pariter officiis eminentioribus, qvibus illæ ea tempestate functæ sunt. Ubi sicco pede præterire neqveo Pontium Gardiam, qvem ex Petrocoriana libertate Virum strenuum, JOANNES Rex Sveciæ Anno 1481 in Livoniam cum exercitu miserat, eiq; tandem filiam naturalem matrimonio junxerat: cujus rei me admonuêre *Thuanus lib. 73. p. 485. Lit. A & D. Müllerus in Annal. Varior. Regnor. p. 56. in f.* Cujus pronepotem Heroem illum incomparabilem Dominum, Dominum Magnum Gabrielem de La Gardie, Perennans Germania tota Scriptis Reginæ Sveciæ ultra sexus & solii sui mensuram & limites adsurgenti, CHRISTINÆ subjungit in Dedic. præmissa Claudiano manu menteq; indefessa Magni Sui Eqvitis Dn. Casparis Barthii, Phœnicis Germaniæ, nisi fide fraudandus debita sit *Celsissimus nunqvam satis laudandæ Germaniæ Orator*, Dn. Buchnerus, qvi *in Com.*

in Hymnum Prud. de Nat. Dom. p. 11. hoc illuſtratum dedit elogio, mirum in modum bellicoſa ſuſpicit Polonia, religioſa colit Dania, admiranda Gallia amplexatur, Svecia tandem ſua è nobilitatis ſplendore ad Comitis culmen traduxit potentisſima & felicisſima, continuarum ferè victoriarum receptaculum prodigioſum: ſoloq; Invictisſimo Rege conſtituit inferiorem. Commendare conarer & hîc Generoſos Heroes, nobilium Svecicorum facilè Principes, Schlangium & Bannerium Juniorem: qvorum hic in campis Tuis, Nobilisſima & Præclarisſima Lipſia, ſtrenuè cum hoſte ſuo pugnans vel captus vicit: ille verô haud novercali terræ Tuæ gremio, antè ad Viſurgim mulctatus, & emortuus, membra ſua, animæ divinæ in decretorio die unienda, credidit cuſtodienda: niſi & illos à Te nimiùm qvantum commendatos eſſe noviſſem, & Te per illos memoriam indelebilem Tibi peperiſſe ſcirem: qvanqvam aliâs Te inſita, qvàm extraria, gloria ſplendeſcere malle, veri juſtiq; autores reſponderint.

QVÆSTIO LVI.

An Hungaria toleret nobiles? Aff.

Regem Hungariæ potentisſimum, juribus Majeſtatis illuſtrisſimum omnibus fuiſſe ſeculis, & futurum eſſe, Dum, *Senecæ Tragici verbis ex octav. Act. 1. ſc. 2. p. 333. 334.*

Terrâ cœlum media libratum feret,
Nitidusq; certas mundus evolvet vices,
Numerusq; arenis deerit, & Solem dies,

Noctem

Noctem seqventur astra, dum siccos polos
Versabit Arctos, flumina in pontum cadent.

Et inde promptum esse ad impertiendam nobilitatem, qvæ cum reliqva dignitate seu potiùs potentia à Principe fluit, *Arnis. lib. 2. de Juribus Majest. c. 3. p. 290. Perez in Jure Publ. p. 196.* probatum dederunt. Hæc est illud præsidium, cujus magna parte Turcis prodita, & subacta jam olim, reliqva tamen portio Principum & nobilium virtute resistit, imò & libertatem tuetur. Hos tolle, cæteri nil magnæ laudis agentes, pacti agellos suos & ædiculas, magni illius imperii discessio fient. Qvanqvam verò modis omnibus Tyrannus eos tentaverit: nunqvam tamen vicit *D. Conring lib. 8. Polit. c. 20. p. 616. col. 1.* Tantum tamen abfuit, ut ipsum, qvemadmodum omnia humana, in qvibus nihil firmum, nihil stabile, nihil diuturnum reperiri potest, *Muret. Orat. 24. pag. 281. 282.* concidunt, fixum fore possit, ut potiùs mole rueret sua. Siqvidem Hungarica Nobilitas attrita est discordiis atq; rebellionibus sub LUDOVICO Imperatore, qvi anno M. D. XVII. rerum est potitus. *Tarduccius in proœm. Turca vincibilis pag. 187.* Forsan discordiarum harum caussa, ut sibi qvisq; persvadet, cui non est obscurum, neminem crimen in pectore gestare, qvi non idem Nemesin in tergo: *J. Lips. lib. 2. de Const. c. 13. p. 86.* exstitit contumacia illa nefanda, qva restitere memorato proximis lineis eidem Imperatori suo. Cum enim, Imperatore LUDOVICO in Turcas bellum moliente, comparerent qvidam nobiles: hoc audito, ulterius progredi recusârunt: Regeq; reliqvos operiunte, ipsi sua prædicantes privilegia, qvibus

bus ad comitandum ipsum Regem, non ad prodeundum in militiam cum ipso obligarentur, *referente eod. l. c. p. 188.* abstinuerunt à defensione patriæ, cui, qvoad vita suppeditat, deesse, & turpe & nefas est, verbis *Livii lib. 5. Dec. 1. p. 288. Lit. B.* Qvid? qvòd ob graviores rationes Ferdinandus Austriacus Anno M.D.XXVI. à potiore nobilitatis Hungaricæ parte Rex fuit creatus. *Id. l. cit. p. 189.* Adferet & Qvæstioni lucem nobilis Pannonii, Petri Raci, egregium facinus. Partem montis prope opidum Niscerdam, qvam Mosci insidebant, impetu, Petro isto Duce, ceperunt Pannonii: ab eaqve deinde secundùm proximum latus munitiones proferunt, ipsoq; præeunte in propugnaculum, in qvod primum incurrerant, rursus injiciunt ignem, qvi tota nocte grassatus est. *Thuanus lib. 69. p. 367. Lit. D.*

QVÆSTIO LVII.

An Dania adversetur nobilitati? N.

OMnium seculorum vitam, judicio *Barthii in Animadverf. in Pornoboscodidascalum p. 307.* meritus Scriptor *Thuanus lib. 60. p. 82. Lit. E.* meæ subscribit sententiæ, præcipuæqve inter Danos auctoritatis eqvitem illum Petrum Oxum sistit, qvi annos admodum decem apud Christiernam, Dorotheæ, Caroli, Lotharingiæ Ducis, sororis, & Erici, Ducis Brunsvicensis, uxoris parentem exulavit. Qvod si ille majore auctoritate polluerit in generosa Danicæ Nobilitatis gente, fieri neqvit, qvin Dania nobilibus sit longè freqventissima. Vestigia Historici religioso premit

ꝯremit pede Politicorum non postremus *Besoldus lib. 1. Polit. c. 11. p. 406.* optimates, nullo in tanto regno vel Barone, vel Comite reperto, nudo nobilitatis titulo contentos esse sibi persvadens. Ut tanti Viri magnæ auctoritati videar velificari: eo forsan vivente destitutam fuisse inclytam Daniam Baronibus & Comitibus concessero: in præsens verò regni illius ratio aliud postulat: utpote qvæ & aliunde tanta tamq; celsa nomina sibi adscivit, & domi creatos celebrat, ipsa experientia fidem dictorum vindicante. Porrò diffusæ inibi, & ad solii regalis verticem evectæ nobilitatis, me commonefacit famosissimus ille Galliæ Politicus *Bodinus lib. 8. de Rep. c. 8. p. 146. 147.* de potentia illius hac verborum gravitate intonans: Danorum optimates ac patricii, ineunte FRIEDERICHO Daniæ Rege, Principatum, intercesserunt: nec priùs illum initiari, ac à Pontificibus constitui permiserunt: qvàm juràsset anno 1552 se nullum ex nobilitate capitis damnaturum esse, sed judicium Senatui relicturum: nobiles item omnes in subditos suæ jurisdictionis vitæ ac necis potestatem habituros, idq; extra provocationem, nec Principem mulctarum participem futurum, nec item honores aut imperia privatis daturum, sed hoc in Senatûs potestate futurum. Insignem verò potentiam, & si regiæ non æqvalem, saltem qvàm proximam! Sed huic limites fixit nuper gloriosè Defunctus Rex Daniæ, qvos ultra transire nobilitati forte nefas erit. *Hornius in Politica sua Architectonica*, qvi de hoc veriùs aperit, & prolixius omnia perseqvitur.

QVÆSTIO LVIII.

An Siculi eminere permittant nobiles? Aff.

SIculorum gens bellicosissima num belli gestis, an dominatu sibi pepererit nobilitandi facultatem, dubius exstiti diutissimè. Vicit tamen veritas, cujus, ex mente *Aug. lib 5. de Musica c. 5. T. 1. p. 372. Lit. C.* auctoritate, qvæ homine omni profectò melior est, nihil debet esse præstantius: mihiq; persvasit, nobilitatem Siculam è legitimis principiis profluxisse. Aborigines autor est *Calvis. in opere Chronol. p. 183 col. 1.* cum Pelasgi, gens Græca, à qvibus Faliscorum urbs condita est, ipsis associarentur, cum auxiliis suis bellum intulisse Siculis vicinis, eosq; sedibus suis pepulisse. Siculi igitur, peragrata Italia versus meridiem, nuspiam recepti, tandem, paratis navibus, in Sicaniam, (*Plin. loco mox citando* ipsam Siciliam à Thucydide dictam esse retur Sicaniam) qvæ olim Trinacria (aut Triqvetra à triangula Specie: *Plin. lib 3. N. H. c. 8 p. 41.* qvanqvam & id nominis accepit Insula Rhodos. *Id. lib. 5. N. H. c. 31 p. 79.*) dicta fuit, trajecisse & Sicanos, Hispanicum genus hominum, locis qvibusdam ejecisse, & insulam illam de se Siciliam vocâsse: idq; Chronologus ille factum esse putat ætate tertia ante bellum Trojanum, anno 26 Alcyonis sacerdotis apud Argos: qvi ipse se explicans, Philistum scribentem inducit, factum esse idem Anno 80 circiter ante Trojana tempora. (De ætate tertia videndus est *Barth. in Com. in Claud. p. 88. col. 1. & 2. Liv. lib 1. Dec. 1. p. 7. col. 1. Liv. lib. 2. Dec 5. p. 51. Lit. A. Id. lib. 1. Dec. 1. p. 2. Lit. C. Donatus in Com. in Terent. p. 410* nam

Cal-

Calvisius hic intra sacrum & saxum hærere videtur) Ex narrationis illius circumstantiis non obscurè infero, tum Principem fuisse & Gubernatorem, qvi & Siculis antè imperitaverit, nondum devictis, & Classis dux fuerit, qvi sine nobilitate vix tantam provinciam ornare potuit: sedes etiam ipsa nova, armis parta Siculis, non patitur me de nobilitate ista veluti nodum in scirpo qværere. Hærere mihi nec aqvam sinit *Berosus*, Chaldæus Historicus, non intra capita, sed libros, usurpatus, ab iis, qvi cum eo, nescio qva de lana caprina, contenderunt: eo, qvòd rebus iisdem prima fundamenta sternit, carere non potuerunt, *lib. 5. Rerum Antiq. p 337. col. 1.* testatus, in Siciliam puerum Galatheum cum coloniis à Tusco ad Herculem missum esse, qvi Janigenarum Rex fuisse traditur *Eidem l. c. Just. etiam lib. 23. c. 4. p. 216. 217.* Profectò è Sicilia Pyrrho, Magistratum esse creatum Hieronem memorat, cujus tantam fuisse modestiam prædicat, ut, consentiente omnium civitatum favore, dux adversus Carthaginenses primùm, mox Rex crearetur. Hujus futuræ Majestatis ipsa infantis educatio qvasi prænuncia fuisse dicitur. Qvippe Hiero genitus fuerat patre Hieroclyto, nobili Viro, cujus origo à Gelo, antiqvo Siciliæ tyranno, manabat. Paucis rem universam terminat *Boterus lib. 1. Parte 9. p. 205. col. 2. in f. & p. 206 col. 1. in pr.* In unica, eaq; non adeo illustri urbe, qvam indigenæ Palermo nominant, versus Septentionem sita, qvæ per situm suum rarissimum, multitudinem civium, confluxum nobilitatis pretiosa ædificia, vicorum pulchram structuram, & ordinem concinnum, terræq; amœnitatem & fertilitatem ita potens sit, ut duabus Siciliis alendis suffi-

cere qviverit, sæpenumerò non circulos nobilium, sed turmas & phalangas est cerni.

QVÆSTIO LIX.

An Lusitania aversetur Nobiles? Neg.

LUsitania, qvam à Luso, Bacchi Comite, ac Lysa bacchante cum eo, & Pane, universæ regionis Præfecto, nomen indeptum esse statuit *Plin. lib. 3. N.H. c. 1. p. 35.* & ex 360 gradibus, qvibus orbis terrarum describitur ducentos usurpare notat *Lans. Orat. 4. pag. 175.* cujus eqvos vento fœtus concipere fabulosum, & qvidem verè, putat *Just. lib. 44. cap. 3. p. 336.* nobiles in deliciis & oculis habuisse nullus dubito. *Tacitus lib. 1. Hist. c. 17. p. 419.* fidem statuminat, Cæcinæ Gallorum, Lusitanorum, Britannorumq; cohortes subdens, qvicum & aliis in Rheticæ juga transiturus erat. Cohortes illas non pedites fuisse, sed eqvites, statuo: cum qvòd *Lipsius lib. 2. de Milit. Rom. Dial. 4. p. 59.* regales cohortes eqvitibus constitisse profiteatur: tum qvòd ibidem in Tacito lego, has cohortes ideo convasasse, qvòd Dux ipsarum Cæcina viderit, latissimam alæ unius præsidio partem defendere non posse: alam autem hîc, ut alias sæpe, eqvites signare, edocet me antecessus, qvo ipsi reliqvo exercitui præferuntur: qva de re Tacitus l. c. cui adstipulatur *Lipsius lib. 2. de Milit. Rom. Dial. 2. p. 67. 68. 69.* Et is ipse numerum turmarum in ala eqvitum recenset *pag. 70.* *Calvisius* verò manifestè probat ex Chytræo *in Opere Chronol. p. 944. col. 1.* Sebastianum, Regem Portugalliæ, juvenem 24 annos natum, jam viginti atqve unum annos sceptra tenentem, trajecisse in Mauritaniam, spe restitutionis

Ma-

Mahummedis in regnum, qvi inde à Patruo Abdelmelecho auxiliante, Turca est ejectus. Deinde commissum esse præliū sangvinolentum Prid. Non. Aug. Anni à Christo nato 1578 refert, in qvo Sebastianus Rex cum tota nobilitate cæsus fuit. Qvæ res superioribus lucem præfert certissimam. Auctarium addo ex *Boteri lib. 2. Parte 3. p. 272. col. 1.* Sacro lavacro Sebastianus Rex Portugalliæ Patrem Consalvum de Sylvà, de Societate JESU Sacerdotem, unà cum plurimis Aulicis à peccatorum connatorum sordibus ablui jusserat. Consalvus verò paulò pòst à qvibusdam Æthiopibus seductus à Rege desciscebat: ipse Consalvus cæsus interibat. Immoderatè tam impia ferens Rex piissimus, exercitum sexcentis ultra mille nobilibus solis constantem, inqve Consalvi socios conscriptum, mittebat, gratiam pacis cum ipsis conciliaturus, nisi Baretto, Duci hostium, sanioris consilii hujus fastidioso, visum fuisset, æqvitate spreta, manum cum hoste conserere. Qvo facto Æthiopes non ferro, sed aëre gravi, morboq; pestili, vivorum consortio eximebantur, docentes sua ipsorum clade, justum esse & æqvitatis plenum, qvod Nero Imperator dixit apud Senecam *Trag. in Octav. Act. 2. Sc. 2. p. 346.* PRINCIPEM COGI NEFAS.

QVÆSTIO LX.

An India sit amica nobilitati? Dist.

INdiam, appetitam hodie nimium qvantùm à benemultis, qvos argentum & aurum, terra alba & rubra, qvam solus hominum error facit, aut magis reputat pretiosam, *Bernh. judice Serm. 4. de Adv. Dom. p. 4. Lit. D.*

& animarum est laqveus, mortis hamus, peccatiq; inescatio. *Basil. M. Orat. 5. p. 164.* Indiam, inqvam, Orientalem, cujus, ut & totius novi orbis, inventionem *Lazarus Soranzius in Proœm. in Ottomannum suum. pag. 1. & 2.* Joanni, Lusitaniæ Regi, & Isabellæ, Arragonum Reginæ: *Boterus lib. 1. Parte 4. p. 144. col. 1.* Viro Genuensi, Christophoro Columbo, qvi Anno 1492 eandem reperit, & ideo Hispanos, sibi hanc gloriam tribuentes, falsè risit, referente *Duro de Pascolo in Aul. Polit. pag. 198.* assignat, nobilibus carere non fit mihi verisimile. Nam si vel emissitiis tantùm oculis eam lustremus: fieri neqvit, qvin & pars Septentrionalis omnia, qvæ ad expugnandam hanc qvæstionem congeri possunt, prosternat & profliget. Scilicet in Provincia Mexicana, totam Americam deliciis & fœcunditate, antecunte, qvæ illustratur in Acropoli Provinciæ Metrapolitano seu Archiepiscopo habitante, regio Provinciæ Præfecto sedem figente, & Academia fulgente *Boterus lib. 1. Parte 4. p. 149. col. 1.* tam splendida, tamq; generosa creditur esse Nobilitas, ut nulli Europæarum provinciarum cedat. Universis illius ditionis Nobilibus nomen est Hycsdalgis, qvi jam memoratas immunitates militiæ rebus præclarè gestis sibi asseruerunt. *Id. l. c.* Accedo ad Australem, ibiqve magis nomine nobilitatis eminentes lego, qvàm legitima potentia venerandos. Qvippe vestitum ab ignobilibus diversum, variis variarum avium plumulis confectum, & umbilicum unà cum genibus obnubentem ostendente *Botero lib. 1. Parte 5. pag. 157. col. 1.* intueor, veræ nobilitatis, eò qvòd eodem Doctore cognosco, Brasilianos omnibus scientiis, religione item,

ad.

adhæc legibus, qvinimò & Principe, qvi nobilitati animam qvasi infundit, destitui, qvæ nobilitatem, excepta eâ, qvæ umbram veræ simulat, non repræsentat.

QVÆSTIO LXI.

An Muschovitæ seu Rutheni amplectantur Nobilitatem? Aff.

V*Ernul.lib.2 Instit. Polit. Tit.9. c.10.p.216.col.1.* Basilium, Magnum Ducem eorum, mirum in modum qvidem in Nobiles Imperii sui durum fuisse profitetur: non tamen eos fugari regno suo, qvin potiùs sibi in aula sua adesse, voluisse: qvin & sumptus suppeditâsse cum ad bella gerenda, tum ad Legationes obeundas. Filios etiam Nobilium tenuiores fortunæ qvotannis certo aliqvo stipendio oblato & collato adsumpsit. Adeo

Virtutis est, domare, qvæ cuncti pavent.

Sen. Trag. in Herc. Furente Act. 2. sc. 3. p. 22. Thuanus qvoq; lib. 72 p. 464. Lit. B. mecum faciens, qvæstioniq; fautor, captum in metu hostem Nobilem qvendam Muscum à Cosacis, cui nomen fuerit Cadravo, non inficiatur. Scilicet, Marce Seneca, tam gratiosa virtus est, ut insitum etiam malis sit, probare meliora. *Sen. lib.3. de Benef c.17. p.39. Boterus tandem lib.1. Parte 1. Cosmograph. p 90. col 1.* fidem facit assertioni meæ, & per vestitum Nobiles Muscos luci dat, ita pergens argutè: Vulgus non luxuriat in vestibus, sed Nobiles & Aulici, omni re vestiaria se simul amiciunt, multùm de die vestes mutant, Pavonum instar se suaq; ostentantes.

QVÆ-

QVÆSTIO LXII.

An ſub Principibus qvibusdam extra Potentisſimum Serenisſimorum Dominorum Electorum Collegium reperiantur nobiles? Aff.

CUm ſupra Quæſt. 14. cuiqve Principi poteſtatem nobilitandi jure reſervari ſtatuerim: ſpeciali notione memoratos jam in propoſita qvæſtione Principes Summos ſine piaculo eadem ſpoliare non potui. Nec enim ſub clypeo Celſisſimorum Ducum extra Romani Imperii, ſed & intra ejusdem Imperii pomœria præſidium & ornamenta varia conſeqvitur Generoſa Nobilitas. Borusſiam primùm videam mihi liceat, cùm qvòd olim Regibus Poloniæ invictisſimis ſubjecta fuerit: *Sleid. lib. 5. de Statu Relig. T. 1. p. 175. col. 2. & p. 176. col. 1.* tum qvòd Ducem ſibi primum, CASIMIRO, Poloniæ Rege ſic volente jubente, ALBERTUM, Marchionem Brandenburgicum, paulò pòſt FRIDERICI, Daniæ Regis, filiam Dorotheam, in matrimonium ducentem, & Academiam Cönigspergenſem, inſtituentem, ſuſceperit: *ibid.* tum deniqve qvòd Serenisſimus ac Potentisſimus ELECTOR Brandenburgicus ſtrenuè pugnando pro Imperio Romano-Germanico, oppreſſaqve tantùm non tremenda antè ipſis Turcis Polonia, religioſisſimo item ac invictisſimo Daniæ regno, regimen perfectisſimum ac tanto Heroe perqvam dignisſimum meruerit. De preſſa Bo-

Borussiæ & projectâ prorsus conditione ista refert Amplissimus & JCtissimus Dn. Sprengerus *lib. 3. Instit. Juris publ. c. 7. p. 399.* Distingvuntur Prussi & profano & sacro ordine: & plebeji melioris hîc, qvàm in Polonia, sunt conditionis. Hi enim iisdem statutis cum nobilibus ligantur, sola prærogativa minores: interim nec à consiliis publicis, nec à dignitatibus, exclusi. *Id. pag. 400.* addit: De nobilium statu Rex, ut in Polonia, cognoscit. *Boterus lib. 1. Parte 1. Cosmograph. pag. 70. col. 1.* Nobilitatem Prutenicam graphicè delineat hoc ferè sensu: Prutenica Nobilitas præcipua qvadam virtute naturam, ingenium, & idioma suum tuetur, longè splendidiora & pretiosiora ædificia exstrui sibi curat, ipsis Nobilibus Polonis: fovet salutaria instituta, legibusq; se submittit, acceptis semel: comitatis est studiosissima, rebus gerendis prudenter accommoda, & artium exqvisitissima cognitione illustrissima. Et siqvis inqvirere in statum Nobilitatis Prutenicæ novissimum satagat: cognoscet, virtutem in pretio esse, & coronari, magniq; fieri: idq; verbis *Nobilissimi atqve Amplissimi Dn. Professoris Becmanni in discursu Polit. Disp. 11. c. 2. th. 2.* Novissimè Serenissimus ELECTOR Noster in Borussia Viros Præcellentes Calovios, VVikkartos, Dennemarkkios Nobilium nomine ac jure donavit, in firmati ibi suprematûs sui testimonium. Florentinorum nobilium multitudinem non exiguam esse arbitror. Nimirum in maritimis agris arces bene multas locatas percepi: *Botero teste lib. 1. Parte 1. pag. 34. col. 1.* qvæ argumen-

mento mihi ſunt, tot inſignia domicilia non paucioribus poſſeſſoribus, iisq; excellentioribus, habitari. Sabaudiæ verò Nobiles, cum Eodem Authore, *l. c. p. 30. col. 1. inf.* ſub Septenorum millium numerum convoco. Pergendum jam mihi ad eos Nobiles fore duco, qvos Sacrum Romano-Germanicum Imperium amplectitur & tegit. Qvos inter pleniore emicant jubare, tanqvam primæ magnitudinis ſtellæ, Sileſiæ, totius ferè Germaniæ Prytanei, ac Pietatis, virtutum, ac eruditionis paradiſi, nobiles, nulli nobilitate ſecundi. Hujus autem nunqvam condignis laudibus decorati conſpicuæ & generoſæ Nobilitatis palatii nobilitas à Nobilisſimo & Excellentisſimo Dn. *Sprengero* in duas Claſſes meretur ſecerni *lib. 3. Inſtit. Juris publ. cap. 4. p. 389.* Altera eam ſiſtit, qvæ jura Majeſtatis ſibi communicata refert, & Superiórem Præfecturam, vulgò **das Ober-Ampt** dictam, unà cum Rege Bojemiæ, agnoſcit: qvam **die Eylf Stände** appellant. Hæc ipſa nullam in conventibus publicis habet ſesſionem. Altera verò ſub Principibus degit, & jus Sesſionis in dictis conventibus habet. Illam qvæſtio hæc non moratur: huic ſoli intenta ſuperare ſe non dubitat. Dubio adhæc omni eam ſolvit Nobilisſimus ac Conſultisſimus Dn. D. Joachimus Curæus, Sileſiæ Suæ Livius, *lib. 1. Chorographiæ Sileſiæ p. 89. 90.* hoc ornatu fulgidus: Anno poſt renatam humanæ genti ſalutem M. CC. LXXXII. è vita excedebat Dux Glogovienſis Conradus, annis obſitus: annos enim LXX. & qvod excurrit natus rebus hu-

humanis valedixit. Hoc Duce rerum potito, Ducatus Glogoviensis, per Acropolin suam ideo celeberrimus, qvòd ea virtute civium suorum Anno M. C. & IX. ad obsidionem sui solvendam, Imperatorem HENRICUM Qvintum compelleret, autore *Lehm. in Annal. Spirens. lib. 5. c. 42. p. 479. col. 2. Lit. A.* qvi quidem Eandem eodem tempore Regno Poloniæ subjectam fuisse scribit, populo armari; animari opibus cœpit. Mirabantur idem & indignabantur Magnanimi Poloni, Principis illius odio flagrantes. Hic verò hoc affectu non permotus id egit unicè, ut, subditis passim nova immunitate donatis, limites suos extenderet, & novas identidem colonias cogeret: resq́; cessit ex sententia. Etenim eadem stimulus est additus cum multis Germaniæ civibus, tum præcipuæ Magnificæ & Generosæ illius Nobilitati: ut, antiqvis sedibus relictis, ad salubriores adspirarent, & fixas ibidem seligerent: eiqve ex ipso Germaniæ meditullio cunabula & genus suum deducenti & commendanti. Nonnulli nobiles à longa vetustate natales suos derivantes, è locis HEDVIGIS, Principis magnæ & pientissimæ, qvæ HENRICI Barbati, Ducis Silesiæ, pariterqve Magni Ducis Poloniæ, signante *D. Curæo l. cit. p. 50.* uxor exstitit, fidei Conjugalis & veræ prudentiæ possessione perpetua, immortali memoria inter omnes dignissima: *Id. ibid. pag. 63.* Parenti subjectis eò moverunt. Testem is ipse laudat locupletissimum, Virum Imperio Romano non tantum Consiliarium,

ſed & auxiliarium natum, Triumq; Imperatorum immortalium cor continuum & ſapientiæ ubere fortisſimum, Magnificum, Generoſum, Strenuisſimum, Nobilisſimum, Dn. JOACHIMUM [illegible] / ſanctisſimæ recordationis, Eruditæ [illegible]ipubl. per omnem Germaniam ſysſitia (*Plutarchus in Lycurgo T. 1. pag. 15. col. 1. Lit. C & F.*) perennia aperientem, æternum patriæ ſuæ cælitusq; demisſum parentem, virtuteqve & munificentia ſua humanæ laudis menſuram multis modis transce[illegible]tem, Muſagetam & Evergetem meum in cineribus ſuis glorioſisſimis mihi nunqvam non exoſculandum. Vir verè Generoſus & perqvam celeberrimus, compertum habens, ingenia illuſtria & divina, perinde ac plantæ, ſi transferantur, feliciùs, ſurgunt, plerunq; patriam, indicio *Daniel. Heinſ. Orat. 18. pag. 413.* cum fructa relinqvere: qvanqvam Juvenibus peregrinationem disſvadeat *Lipſius in Præfat. præmiſſa libello de Amphith. p. 2.* & Plato lege caverit, neqvis civium ſuorum peregrè ad luſtrandas exteras provincias proficiſceretur, niſi XL. ætatis annos prius compleviſſet: ut nimirum annorum plurimorum decurſu, animo ipſius prudentia confirmato, ad res, qvæ in hoc mundo occurrere ſolent, conſiderandas, maturiore cum judicio accedere, eosqve ad communem patriæ utilitatem conferre posſis: ad exteros exiit patria ſua. In iſto itinere ſuo, qvo non unum regnum, unamvè provinciam peragravit, invenit non in Stiria ſolùm, ſed & inter Tirelios

gen-

gentis suæ Nobilissimæ insignia, quæ non procul Glogovia, qvàm Majorem Geographi nominant, arcem sibi statuit, DEO propitio, Viro Magnifico, Generoso, Nobilissimo, ac Strenuissimo Dn. JOANNE SIGISMUNDO DE BERG/ in Herndorf/ Glade/ & Tzetschwitz Hereditario, gravissimo ac celeberrimo Bergiano-Herndorfiensis Fundationis Fidei-Commissario, & Ducatus Glogoviensis Senatori spectatissimo, suspiciendo, Dn. Mæcenati, & Fautori, suo honoratissimo, & ad ultimum Spiritum submissè fovendo, reverenterqve habendo, jam traditam, incultam, & ab omni temporum exulceratorum hostiumqve infensissimorum injuria defensam: à qva DEI Clementia paterna omen omne malum, nomen omne noxium dextra Omnipotentiæ suæ propulset, & à Generoso Dn. Habitatore, Ipsiusqve sera Nobilissimaqve posteritate antè relinqvi non permittat, qvàm

— Nascatur seges in profundo,
Vel fretum dulci resonarit unda,
Qvamqve discedat glacialis Ursæ
Sydus, & ponto vetito fruatur:

Sen. Trag. in Hercule Oetæo Act. 4. Sc. 4. pag. 447. Porrò MECHTILDIS, Imperatoris HENRICI AUCUPIS Uxor, ex mente *Calvis. in opere Chronol. p.884. col. 2. circa m.* ex opinione *D. Curæi* HENRICI Ducis Glogoviensis marita: *lib. 1. Chorograph. Sil. p. 90.*

magnas opes nobilium in terras hasce secum traduxit. Qvi nobiles, cum Dux CONRADUS zythum Episcopatui prætulisset, & Frater Ipsius rem indignam tanto Principe statuisset, & propterea eum in carcerem detrusisset, Principem suum, carcere liberatum, terræ suæ reddiderunt. Qvam fidem adeo veneratus est Dux ille memorandus, ut nobiles illos plurimis privilegiis donatos, claros etiam divitiis fecerit. *D. Curæus ibid. p. 91.* Referam & Hollatos nobiles mihi liceat, qvos bona sua, cum pleno dominio & venationibus, possidere, ut plurimùm allodialia, & à novis exactionibus libera ait *Dn. Spreng. lib. 3. Inst. Jur. Publ. c. 22. p. 455.* Liberam etiam habent ex Regum, Principumve Liberis eligendi, qvem velint, facultatem: qvod privilegium CHRISTIANI I. beneficio illis datum est. Nulla bella circa Ordinum consensum Principes suscipiunt. Nobilium lites in Senatu, qvi qvotannis bis peragitur, dijudicantur: à qvo ad Cameram Imperialem appellatur. Inter Nobiles qvidam reperiuntur tam divites, ut solùm uno anno ex saginatione porcorum summam 4000 Thalerorum confecerint. Finiant tandem Qvæstionem & ultimo argumento enodent, Nobiles Alsati, Holsatis non prorsus inferiores. Geminam autem, nisi mens fallat, inducit Nobilitatis classem. Altera nuncupatur ea, qvæ plurima à CAROLO V. obtinuit privilegia, à Rhenana distingvitur, pro immediata habetur, & ad Circulares Alsatiæ conventûs vocatur. *Dn. Spreng. lib. 3. Inst. Jur. Publ. c. 10. p. 412.* Altera comprehendit eos, qvi appellantur Befreyete Landsossen / qvi,

qvi, qvamvis in qvibusdam, utpote bonis nobilibus, à contributione exempti sint, non tamen mediatæ Principis subjectioni per hoc subtrahuntur. *Idem lib. 2. Inst. Jur. Publ. cap. 40. pag. 332. 333.*

QVÆSTIO LXIII.

An Batavi ferant nobiles? Aff.

BAtaviam, mentionem primam Ejus faciens *Plin. lib. 4. N. H. c. 15 p. 61.* nobilitat, nobilissimam eam appellans insulam. Cunabula ejus non ignobilia adsignat *Calvis. in opere Chronol. p. 378. col. 2. §. 6.* Batoni, Cattorum Regis filio, novercam fugienti, & ad Menagium, Tongrorum Regem venienti, à qvo accepit sinistras Gallicæ oræ partes; in qva tempori condidit arcem Batoburgum, & inde postea tutam terram Bataviam appellavit. De ipsius situ *Tacitus lib. 2. Annal. cap 1. p 51. ita.* In insula Batavorum Rhenus uno alveo continuus, aut modicas insulas circumveniens apud principium agri Batavi dividitur, servatq; nomen & violentiam cursus, qva Germaniam prætervehitur, donec Oceano misceatur: ad Gallicam ripam latior & placidior affluens, verso cognomento Vahalem accolæ dicunt: mox qvoq; id vocabulum mutat Mosa flumine, ejusq; immenso ore, eundem in oceanum effunditur. *C. Julius Cæs. lib. 4. de Bello Gallico c. 2. p. 90.* hæc adjungit. Mosa profluit ex Vesego monte, qvi est finibus Lingonum, &, parte qvidem Rheni recepta, qvæ appellatur Walis, insulam efficit Batavorum: De fortissima ejus gente, præter Cæsarem, Svetoni-

tonium, Tacitum, & alios, videndus est *Dresserus in Poligraphia p. 9.* & Lehm. *in Annal Spirens. lib. 1 c. 2 p. 2. col. 1. Lit. A B D. Christ. Matth. in Theat. Hist. p. 1096. & p. 1142. col. 2. §. 25. p. 1138. col. 2. §. 15. 16.* & præcipua industria legendi sunt Thuanus, Sleidanus, Meteranus, &, qvi peculiari studio res ejus consignavit, in Historia Sua Batavica, Hadrianus Junius (cujus laudibus satiari neqvit *Thuanus lib. 61. p. 112. Lit. F. & p. 113. Lit. A.*) Autor Theatri Europæi, pariterq; corporum illorum Structores, è qvibus Jus publicum, tanqvam è magno Oceano, in Politicorum libellorum rivulos dimanat. Ad specialiora traductus intueor me propugnantem qvendam Præfectum Alosti, qvi, cum Antverpia à Gallis caperetur, nec effugio daretur locus, se, cum eqvitibus nonnullis, è pomœriis in fossam præcipitem dedit, cui nomen erat Tianio, è Merodana familia Viro nobili. *Thuanus lib 79. p. 613. Lit. A.* Martinus etiam Skenkius, Batavorum exercitûs contra Hispanos Dux, Verlam urbem ubi astu cepisset, contendit ad Lecestrium, Comitem Angliæ, & ab eo eqves creatur, torqve item aureo CIↃ. aureorum, honoris & rei benè gestæ caussa donatur, *Thuanus lib 85. p. 120. Lit. D.* Supersedeo referre tot familias, nobilitate maxime insignes, qvæ terra mariq; pro patria sua spiritum tantùm non divinum exhalaverunt, & insigni fortitudine perinde, ac Daiphantus apud *Plutarchum de Virtutibus mulierum T. 2. p. 216.* coronas meruerunt, ac, cum Acilio Glabrione, visendæ magnitudinis leonem trucidante, prudentiæ ex victoria laudem & famam inexstingvibilem sibi pepererunt. *Ludov. Cal. Rhod. lib. 13.*

Lit.

Lit. A. c. 19 p 889 Lit D. & alios ad imitationem sui illexerunt: juxta tritum illud *Isid. Pelus. lib 1. Epist. 73. p. 20.* τῶν ἰσχυρῶν πιπτόντων τὰ ἀσθενέστερα παιδεύεσθαι: id est: Fortibus cadentibus erudiantur imbecilliora. Vereor enim, ne tantorum Heroum meritis etiam summæ laudes multò meæ sint inferiores. Nam si, *Bernhardo monitore serm. 3. in Festo omnium Sanctorum p. 291. Lit. M.* Perfectos perfectum laudare decet: tantum abest, ut perfectionem mihi pollicear, ut potiùs, cum *Oratore Latino*, statuere habeam, *de Amicit. T. 4. p. 574. Lit. D.* nihil esse repertu difficilius, qvàm qvicqvam omni ex parte esse, vel in suo genere, perfectum. Profectò ideo

--- Qvi favoris gloriam veri petit,
Animo magis, qvàm voce laudari (& laudare) velit:

Atrei verbis incitatus apud *Sen. Trag. in Thyeste Act. 2. sc. 1. p. 63.* Colophonem tandem addo *Vernul. lib. 2. Instit. Polit. Tit. 9. cap. 10. p. 216. col. 1.* censura, non aspernenda: Batavi, inqvientis, etsi nobilitatis nullam habent rationem in muneribus civilibus: bello tamen Nobiles præficiunt. Qvippe qvando Tribuni & Centuriones Nobiles sunt: plus auctoritatis habent: qvia tota familia in Domini auctoritate versatur, & ab illis plura sperantur: Cui sociandum puto *Besoldum lib. 1. Polit. c. 11. p. 406.*

QVÆSTIO LXIV.

An Rectores Academiarum sint Nobiles? N.

QVamvis, si, qvod res est mihi, pace Magnificorum Officiorum Academicorum, à qvibus veniam liberioris hujus sententiæ meæ submissis

precibus rogo, scribere liceat, omnibus exqvisitè ponderatis, veram nobilitatem, propriéq; sic dictam, & qvalem in præsens juris facio publici, Magnificis Rectoribus Academiarum denegare cogar: primò qvòd à nulla Majestate collatam possideant hanc potestatem: cui soli competit nobilitandi facultas: *Perez de Jure Publico p. 196.* deinde qvòd concilio Academico nulli, eligenti Rectores Academicos, communicata sint hæc jura: adhæc semestris modò sit dignitas, qvæ nec in familiam, nec posteros transeat: qvin ipsa forma nobilitatis destituatur. Porrò etiam privilegiis iisdem non fruatur, qvæ Majestas tribuit à se nobilitatis: & tandem *Schönbörnerus lib.4. Polit. c.3. p.388.* (qvanqvam hoc ultimo argumento sensum meum fulcire non constitui) Rectores Academiarum mixtum tantum habere imperium adjudicat *per allegata ibid.* cum multi nobiles & mero gaudeant imperio: tamen salva religione, qvæ ad veritatem fatendam me obstringit, fieri non potest, qvin statuam, Rectoratum Academicum non dignitatem esse solùm inter principes dignitatis eminentissimam, sed & Magistratum cum Majestate qvadam unitum, & hac de caussa nulli procul habendum. *Nobilissimus ac Excellentissimus Dn. D. Zieglerus in Tract. de Jure Majest. Exercit. de Jure Academ. Erigend. th.11.* asserit, Rectores Academiarum habitu purpureo, qvo passim per omnes Europæ Academias ornari soleant ipsi, Cardinalium hac in parte æmulos esse. Et Cardinales ideo rubro pileo donari solere scribit, ut significetur, eos, qvi in illum ordinem leguntur, paratos esse debere, pro libertate Ecclesiastica, propriam,

priam, si ita opus foret, vitam morti exponere. Qvæ verba si justiore judicii trutina singula librentur, memoratæ jam meæ sententiæ sat firmamenti qvæsitum fuerit. Subjungam etiam, qvæ solertia *Nobilissimi ac Clarissimi Dn. Wendelini lib. 2. Instit. Polit. c. 20. th. 15. p. 255.* notavit de qvorundam Rectorum Academiarum privilegiis, ubi Rectorem Academiæ Patavinæ, more Senatorum Venetorum, purpuratum incedere, eumq; posse aurea uti stolâ, & , exacto hoc munere, aurea donatum catena in ordinem Eqvitum S. Marci recipi ait: Rectorem Academiæ Bononiensis facultatem habere absolvendi ab Excommunicatione: Et eandem Rectorem Academiæ Juliæ, durante officio, esse S. Palatii Lateranensis, Aulæ, & Imperialis Consistorii Comitem refert. Qvæ assertio num Nobilitatem Politicam firmet, penes eos sit judicium, qvi auctoritate & judicio de re commodè sentiendi & accuratè pronunciandi valent.

QVÆSTIO LXV.

An Doctores sint Nobiles? N.

H*Ornius lib. 2. Polit. c. 7 p. 366.* dubitare videtur, ita fando: Nobilitatis Genus conseqvuntur Doctores in Academiis. Nam in præmium ac testimonium eruditionis, Majestatis auspiciis confertur illa dignitas, eqvitum Prærogativæ in imperio Germanico semper æqviparatæ. *Excellentissimus Dn. Doctor Zieglerus* istius sententiam oppugnare creditur in *cit. Tract. de Jure Majest. Exercit. de erigend. Acad. th. 17.* Magnifico ac Nobilissimo Dn. Carpzovio adsurgens di-

ſtingventi inter nobilem titularem in Concreto, & Nominalem in Abſtracto: illum dicit eſſe Doctorem, non hunc: Er nennet einen Doctorem einen Edeln/ nicht einen Edelmann. Qvicum & ego facio. Nec puto fore, ut ullus meam ſententiam oppugnet. Video enim Doctores nunqvam immediatè à Principe ſuo nobilitari: qvod Nobilibus, de qvibus mihi hic ſermo eſt, contingit. Adhæc multi Doctores, in Aulis Magnorum Regum ac Principum, nobilitantur: nobiles verè Doctoris titulum nunc qvidem non affectant. Et qvamvis objici posſit, nonnullos Principes, Comites, Barones Doctoris titulum non aſpernatos eſſe: id qvod qvidem manifeſti juris eſt per exempla ea, qvæ laudant *Lanſ. in Conſultât. Princip. Orat. 2. p. 24. 25. & Sprengerus lib. 3. Inſtit. Juris publ. c. 9. p. 384. & c. 10. p. 407. 414 416.* tamen hæc ratio ſtatus his temporibus non adeo magni pendit: unde facili negotio mihi perſvaderi patiar, poſthac nunqvam fore, ut tanti Magnates Sceptra ſua infulæ, aliàs magna incitamenta ad ſtudia, omni induſtria colenda, & gloriam in Civitate parandam adferentis, ſubmittant. Præterea hæc Nobilitas Doctorum non tranſit per Diploma aliqvod Principis in uxorem & liberos: temporaria item eſt, & cum vita Doctoris finitur: differt etiam gradus Doctoris à Nobilitate: & hæc differentia tantùm non lippis & tonſoribus nota eſt. Alia ſilentio tego, non adeo relatu neceſſaria, ſimul & ea, qvæ Nobilisſimi atq; Excellentisſimi Dn. Hornii ſententiæ eſſent regerenda, qvæ ſolutu eſt facilis. Illud tantùm tango, Eqvitum, qvod Dominus Hornius ſtatuit, Prærogativam Doctoribus Romano in Germanico Imperio non æqviparari. Conſentit huic

huic & *JCtissimus Dn.* Reinking *lib. 1. Regim. Ecclesiast. & Secul. Classe 5. c. 11. p. 684. n. 54.* Verùm medium in solis Accidentibus acqviescere videtur. Videatur *D.* Liebenthal *in Colleg. Polit. Exercit. 10. p 336. th. 39.* qvi longè aliam conditionem tribuit Eqvitibus, ac Doctoribus. Celeberrimus hic JCtus pro Affirmativa sententia firmanda omnem qvidem movet lapidem *l. c. p. 333. 334. th. 25. 26. 27. 28.* sed parum videtur proficere. Scilicet potissimum robur sibi vigere putat in legibus (cætera enim non sunt ponderosa) citatis, qvæ JCtissimo Ulpiano nomen hoc nobilis tribuunt. At nulla ratio me incitat, ut credam, hic intelligi Politicam. Nam procul dubio tam Superlativus qvàm Positivus significant celebritatem ac excellentiam *in ll. cit.* perinde, ac apud *Claud. de Nupt. Honor. & Mariæ p. 58. col. 2. v. 26. &c.*

Ante fores jam pompa sonat, pilentaq; sacram
Præradiant ductura nurum. Calet obvius ire
Jam Princeps, tardumq; cupit discedere Solem.
Nobilis haud aliter sonipes, qvem primus amoris
Sollicitavit odor, tumidus, qvatiensq; decoras
Curvata cervice jubas Pharsalia rura
Pervolat, & notos hinnitu flagitat amnes,
Naribus accensis: mulcet fœcunda magistros
Spes gregis, & pulcro gaudent armenta marito.

Addam & *Justinum lib. 6. c. 9. p. 78. n. 1. 2. 3. 4.* ita loqventem: Epaminondæ morte etiam Atheniensium virtus intercidit. Siqvidem amisso, cui æmulari consveverat, in segnitiam torporemq; resoluti, non, ut olim, in classem exercitusq; sed in dies festos apparatusq; ludorum, reditus publicos effundunt: &, cum actoribus nobilissimis Poëtisq; theatra celebrant, freqventiùs

scenam, qvàm castra, visentes, versificatoresq; meliores, qvàm Duces, laudantes. Qvintilianum etiam præsidem & patronum caussæ meæ adscisco, ita pro eà pugnantem *lib. 8. Orat. Institut. c. 4. p. 456.* Levia sunt hæc in hoc reo crimina: metum virgarum Navarchus nobilissimæ Civitatis pretio redemit.* In hunc locum interpres qvispiam in margine hæc delineavit: Navarchus summus Rector & Princeps totius navis dicitur, & ejus est, reliqvis imperare, in omnibus iis, qvæ ad navigationem faciunt. Sed interpres iste videtur erràsse. Non enim, qvod ipsa arguunt Qvintiliani verba, hic significatur Præfectus uni navi, sed omnium navium, & totius Classis celebrioris civitatis, qvem vernacula lingva den Admiral nominat. Nec hoc tegendum silentio, Dn. D. Lubenthal ex hypothesi solvere qvæstionem, non ex Thesi, uti jure merito solvenda erat.

QVÆSTIO LXVI.

An Doctores Theologiæ sint Nobiles? N.

LOgicorum ἀξίωμα; qvo, Genere sublato, Speciem qvoq; tolli, dicitur, nec hîc sua virtute defraudare conor: qvod scio, longa ætate invictum aliàs perstitisse, ac etiamnum, applicatum Nobilitati Doctorum Theologiæ, tanqvam Speciei, deleto Genere, in favillas non posse redigi. Etsi enim non ignoro, Theologiam, qva non Græco errore, eam Philosophiæ partem vocô, qvæ ad Contemplationem DEI atq; ad animi incorporalitatem indagatione componitur: *Boeth. in Porphyrii lib. 1.* à qvo ipso interdum adducuntur τὰ περὶ θεολόγων: hinc Orpheus, Musæus, Linus Theologi audiebant, qvia

in

in operibus ſuis ſecretiora qvædam de diis & rebus ſacris tractabant: *videatur Auguſt. de Civit. DEI lib. 18. c. 14. Euſeb. Pamph. de Præparat. Evang.* qvi copioſe Theologiam impugnant: *Frid. Lindenbrogius in Com. in Amm. Marcellinum pag. 82.* ſed illam ſapientiam rerum divinarum, à DEO ex Archetypa Theologia expreſſam ac efformatam, ac Creaturæ rationali gratioſè communicatam *Beatus Nobiliſſimus ac Ampliſſimus Dn. D. Himmel. in Syntagm: Theol. Diſp. 1. th. 9. 10.* Theologiam, inqvam, omne bonum, à DEO datum, mille paraſangis antecuntem, *Diodochius de Perfect. Spir. c. 67. T. 5. Biblioth. Patrum. p. 465.* magis Spiritus Sancti illuſtratione, qvàm vi ingenii addiſcendam: *Savanarola lib. 3. de Scient. Diviſ. pag. 400.* occupari in cognoſcendo & colendo DEO, qvo rerum intellectualium nihil eſt præſtantius. *Origen. περὶ ἀρχῶν c. 1. p. 668.* qvi, qvod vult, bonum eſt: & ipſe eſt idem bonum: *Auguſt. lib. 7. Confeſſ. cap. 4. pag. 125. Lit. A.* qvi eſt mundi Rector & gubernator, hominum liberator & adjutor, Angelorum ſapor & decor, in ſeipſo principium & finis, reproborum terror & horror: in creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in Angelis deſiderabilis, in ſeipſo incomprehenſibis, in reprobis intolerabilis: *Bernhard. ſerm. 4. In parvis. p. 443. Lit. G.* In qvo qvicqvid eſt, ipſemet eſt DEUS, *Scal. lib. 3. Poet. cap. 112. p. 111.* producere ex mente DEI hominum Genus univerſum ad vitam æternam *Joh. 17. v. 3.* lucem in acceſſibilem, pacem, qvæ exſuperat omnem ſenſum, fontem, qvi adſcenſum neſcit, ſed deſcenſum: *Bernh. ſerm. in Vigil. Nativit. Dom. pag. 21. Lit. M:* cujus verba explanat his verborum pigmentis: *Excellentiſſimus Dn. D. Franzius in Tract. Theol. de*

Inter-

Interpret. Script. p. 408. Unico vitæ æternæ nomine complectitur DEUS omnia, qvæ in æterna vita piis contingent, ut sunt ipsa salus, transfigurationes carnis, conditionum, beatis corporibus competentium, illustramenta, conversatio cum DEO, amor DEI inenarrabilis, & alia, qvæ nec auris audivit, nec oculus vidit, nec in cor hominis pervenerunt: *Esa. 64. v. 4. & 1. Cor. 2. v. 9.* anqvirere per Verbum DEI, *διὰ τούτου μορφοῦται ὁ Χριστὸς ἐν ἡμῖν, καὶ ἡμεῖς κατὰ Χριστὸν μορφούμεθα*: hoc est: qvo Christus in nobis formatur, ac nos rursum juxta Christum formamur. *Isid. Pelus. lib. 3. Epist. 107. p. 264.* & per Sacramenta, qvæ dignus ad vitam accipit: *Bernh. serm. 2. in Cœna Domini pag. 149. Lit. A & B.* pariterq; per fidem, qva sine qvicqvid præsumitur, non est ulla animi solida magnitudo, sed ventosa qvædam inflatio, & timor inanis *Bernh. serm. 4. de Adscens. Dom. pag. 203. Lit. G. Videantur ejusdem verba phalerata serm. 3. in die S. Andr. p. 336. Lit. E.* & inde Theologos triplici nobilitate radiare, & omnibus Doctoribus palmam præripere sentio, qvam nobilitatem jam præmissa sat edocent: tamen non ausim Doctoribus Theologiæ nobilitatem Politicam addicere. Nam cùm & pauca apud Dn. Publicistas, qvos vocant, legam de Nobilitate Dn. Doctorum Theologiæ: utpote illi tantum prærogativam tangunt, qvam Objecti sui nobilitas his conciliat: & virtus Heroica, Decumana item eruditio, & Prudentia admiranda, singula, ut sic dicam, transcendentaliter pensitata, invitent, alliciant, excitent agentem ad Nobilitatem tantis meritis impertiendam, non effectui re ipsa producendo inserviant:

nec

nec rei natura eò collineet: qvippe bonum hoc & donum è civitate provenit, pagos, vicos, urbes, provincias, regna plantaturum & amplificaturum, non præcipuo ſtudio regnum DEI ſtructurum, qvæ cura Dn. Doctoribus Theologiæ imponitur: nihil ſanè cognoſcere qveo, qvod me moveat, citra Principis auctoritatem, qvæ hîc prora eſt & puppis, ad largiendum aliena. Illuſtribus olim Epiſcopos pares fuiſſe habitos, didici *à Nobilisſimo Dn. D. Ziglero in Tract. de Jure Majeſtatis. Exercit. de Jure erigendi Academias th. 17.* & ſæpè numero id inculcat *Lehmannus in Annal. Spirenſ.* Aſt hæc potentia hac tempeſtate Summos Principes ornat atq; auget, non ad Sanctorum Procerum, in Academiis fulgentium, cathedram deſcendit. Qvid *Burgoldenſis Parte 2. Diſcurſuum ad Inſtrum. Pacis Oſnabrug. Diſcurſu 15. pag. 127.* ipſis tribuat, cum Auctor celeberrimus mihi, dum hæc paro, à ſupellectili mea literaria magnam partem remoto, & Gubinæ, in altera patria mea, agenti deſit, non habeo ſcrîbere. Nobilisſimus & Benivolus Lector ſcrinia Ejus excutiat, oro, &, qvæ ſale ſparſa ſunt ſuo, excerpat. Nobilitatem tamen in Tantis Viris repono vel hac, de qva à me conſcripta luci do, infinitis intervallis excellentiorem, Theologiæ Profesſionem Theologiq; vitam cum *Iſidoro Peluſ. libr. 1. Epiſt. 129. pag. 33.* vocans regnum DEI: τὴν Θεοῦ βασιλείαν: cum *Bernhardo ſerm. 3. in Natal. Dom. p. 8. Lit. D.* Angelorum delicias: θεῖον χρῆμα καὶ τῶν ὄντων ἁπάντων τιμιώτατον: Poſſesſionem divinam & omnium rerum præſtantisſimam: cum *Eodem lib. 3. Epiſt. 306. pag. 329.* κανόνα ἄφθογγον, hoc eſt, regulam ſua non ebuccinantem.

QVÆSTIO LXVII.

An Doctor Juris Excellens seu JCtus sit nobilis? Dist.

PRimæ caveæ JCtos laudabo duos, qvi Affirmativam sententiam tuentur. Scilicet primus prodeat *Magnificus, Excellentissimus, & Consultissimus Dn.* Reinking *qvi lib. 1. de Regim. Ecclesiast. & Seculari Classe V. cap. 11. p. 684. §. 57. 58.* Nobilissimos eos dici ait *per l. 2. §. ult. ff. de Excusat. Tut. l. providendum 7. C. de Postulando.* Verùm neutra harum legum patrocinatur Celeberrimi illi JCto per ea, qvæ notat ad utramqve legem JCtissimus Dn. Dionys. Godofredus. Nec abludit ab hoc *Nobilissimus Dn. D. Zieglerus in Tract. de Jure Majestat. Exercit. de Jure Erig. Acad. th. 7.* Dn. Reinking vestigia legit *Nobilissimus ac Excellentissimus Dn. Spreng. lib. 1. Instit. Juris publ. c. 8. p. 44.* qvi duabus in legibus suam sententiam fundat: qvarum prior Egregii titulo Ulpianum honestat: posterior partes officii Advocati exseqvitur: atqve ideo neutra, qvod debet, efficit. *Cicero* sanè *lib. 1. de Oratore T. 1. p. 184. Lit. D.* ita JCtum describit: si qværeretur, qvisnam JCtus verè nominaretur: eum dicerem, qvi legum, & consvetudinis ejus, qva privati in civitate uterentur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cavendum, peritus esset. Et hîc Orator planè JCtum delineat. At qvid hoc ad Nobilitatem? Qvin *l. Advocati 14. C. de Advocatis divers. Judic.* propriissimo sensu de Advocatis, qvos caussarum patronos nuncupat, loqvitur, JCtos præterit. *Dn. Arithmæus in Pericul. primis Disput. 7. Corol. 1. pag. 78. 79.* propugnare Affirmativam etiam satagit: verùm

verùm operam eum ludere, argumenta Ejus non obscurè probant. *Berosus* qvidem nobilitatum à Summo Principe JCtum *Noachum lib. 5. Rer. Antiq. pag. 335. col. 2.* nobis sistit, qvi Vetuloniæ non jura tantùm docuisse, sed & jus dixisse, & ex Præscripta ejus Remp. moderatus esse dicitur. Ast Ego Noachum supra verè nobilitatum asserui, non tanqvam JCtum & Juris Antistitem atq; Professorem, sed ut Vicarium DEI in regenda minuta illa Rep. in diluvii periculis servata, vel potiùs familia unica, qvæ tamen postea totius terrarum orbis exstitit seminarium. Novum exemplum suggerit *Ælius Spartianus in Didio Juliano T. 2. Hist. Aug. p. 197.* asseverans, Didio Illi Juliano, qvi post Pertinacem Imperium adeptus est, Proavum fuisse Salvium Julianum, bis Consulem, Præfectum Urbi, & JCtum, qvod magis eum nobilem fecit. Verùm structura Orationis, ambo officia & JCti honorem includens, celebritatem, non Nobilitatem nostram, vindicat. Non tamen dubito, qvin & multi Excellentissimorum Dn. JCtorum per solam fiduciam cognitionis suæ illustrissimæ & monumenta insignia, qvæ inde in universam Ecclesiam, Remp. & rem familiarem possunt redundare, nedum per alias præclarissimas Virtutes, præprimis per omnium Virtutum reginam, Prudentiam, oculos mentium Potentissimorum Regum & Principum ita feriant, ut & ad hanc etiam potentiam ab Ipsis provehantur, & ad dignitates eminentiores deinde adspirent, secus ac qvidam Nobiles, qvi præter titulos & imagines, & misellum illum è latere pendentem gladiolum, avitæ virtutis immemores & pristinæ gloriæ, planè nihil jactare norunt: Exemplis rem statuminare detrecto: qvòd de penuria ipsorum

utrinq; nemo qveratur. Qvare nemo moretur præcipitatum Caji Caligulæ, *apud Svet. in Eod. cap. 34. pag. 231.* & Ferdinandi Hispaniæ Regis apud **Lehm.** *lib. 5. Annal. Spirens. c. 59. p. 512. col. 1. Lit. E. & col. 2. Lit. A B C.* judicium. Nam hæc convitia non polluunt Cordatos Dn. JCtos.

QVÆSTIO LXVIII.

An Licentiati sint Nobiles? Dist.

AFfirmativæ videntur favere cum *Nobilissimus Dn. Wendelinus*, qvi hodie in Sinensi regno ad Remp. totiusqve Regni regenda gubernacula solos admitti Doctores & Licentiatos, in examinibus renunciatos, *lib. 2. Polit. c. 8. th. 4. pag. 135.* refert, & è tam splendida provincia fortè arguit nobilitatem Nobilissimorum Dominorum Licentiatorum: tum *Nobilissimus & Excellentissimus Dn. Sprengerus lib. 3. Instit. Juris publ. c. 10. p. 414.* asserens, inter Episcopos Frisingenses fuisse, cui nomen fuerit Joanni **Tulbek**/ eumq; fuisse Decretorum Licentiatum. Ubi imprimis observandum duco, Illum loqvi de Licentiato in utroq; Jure, Hunc in Jure Canonico: mea autem hæc qvæstio versatur in Thesi: proinde ad eam solvendam illis opus est, qvæ supra ad Qvæstionem LXIV. observata sunt. In specie notandum esse puto, qvod in antecedente qvæstione relatum est: Licèt non diffiteor, plerunq; in Nobilitate conferenda pluris fieri Dn. Doctores: eò qvod hic majore dignitate inclarescant, qvàm Dn. Licentiati. Qvippe dignitatis Excellentia ulteriùs in Dn. Doctoribus, in Academia renunciatis, assurgere non potest: adhæc Doctores propiores videntur Nobilibus. Cæterum Dn. Licentiatis

ob

ob Virtutes & Morales & intellectuales, & alia Ipsorum merita non delaudanda, frustra sim, si qvicqvam ademero, qvod aditum Ipsis ad Nobilitatem, à Principe suo conseqvendam, parare possit. Qvippe Dn. Doctoribus his insignibus clarissimis pares citra religionis & æqvitatis dispendium nemo spoliaverit. Eadem enim Virtutibus sub Principe sunt præmia: *Plin. in Panegyr. p. 70.* Illa certissima, qvæ se diu multumq; circumspexit, ac rexit, & ex lento ac destinato provexit. *Sen. 1. de ira. cap. 12. pag. 544.*

QVÆSTIO LXIX.

An Advocati Nobilitate resplendeant? Dist.

Lege illa, qvàm jussit in Comitiis Moguntinis Fridericus III. Rom. Imperat. Anno 1441. in omnes Juris Doctores & Advocatos, hac verborum serie: Alle Doctores der Rechten / sie seyen Geistlich oder Weltlich / im H. Römischen Reiche Teutscher Nation, sollen / nach Laut der fürgenommenen Reformation, in keinem Gerichte / bey keinen Rechten / und in keines Fürsten oder anderem Rathe mehr gelitten / sondern gantz abgethan werden. Sie sollen auch fürbaß in und für Gerichte / oder Rechte nicht weiter reden / schreiben / noch Rath geben. Sintemal GOtt den Menschen mit seiner eigenen Weisheit begnadet / und versehen hat: so mag er in der neu-fürgenommenen Ordnung seines Rechtes selb wol warten: memorante *Dn. VVendelino lib. 2. Instit. Polit. c. 18. th. 8. p. 232. 233.* Negativam mordicus teneri prima fronte non paucis fit verisimile. Huic legi suffragari videtur *Am-*

plissimus & Excellentissimus Dn. Taubm. in Carm. Lyricorum lib. p. 200. ita canens:

Qvis ferre possit Scævolarum Simios
Cordatus Autor? Hos forenses Cerberos,
Locutulejos furfures: pecuniam
Tantùm peritos simplici plebeculæ
Crumenimulgis eliqvare fabricis:
Qvi litium strophas inexplicabiles
Fingunt, refingunt: & res clientulis
Semper cavillant, dum cavere nesciunt.

Delicium & Romanæ Musæ pullus, Plautus, *Lipsio ita laudatus lib. 2. Epist. qvæst Epist. 4. p. 237.* jamdudum iisdem pigmentis eos illustravit *Menæchmo in Menæchm. act. 4 sc. 2. v. 1. & seqq.*

Ut hoc utimur maximè more moro
Molestoq; multum! Atq; uti qviq; sunt
Optumi Maxumi, morem habent hunc:
Clientes sibi omnes volunt multos:
Bonine, an mali sint, haud qværitant.
Res magis qværitur, qvàm Clientium
Fides cujusmodi clueat.
Si est pauper, atq; haud malus: neqvam habetur;
Si dives malus est: is cliens frugi habetur.
Qvi neq; leges, neq; æqvum-bonum usqvam
Colunt: sollicitos Patronos habent.
Datum denegant, qvod datum est: litium
Pleni, rapaces, viri fraudulenti:
Qvi aut fœnore, aut perjuriis habent rem
Partam.

Prodigiosum est, qvod *Ammian. Marcell. lib. 30. cap. 12. 13. 14. 15. 16. p. 449. 450. 451. 452.* denunciat, mirum in modum flagi-

flagitia Advocatorum suæ ætatis detestatus. Quæ ipsa, ut & altercationes, ex nimiis Processibus ortæ, regno Pannoniæ, Rege Matthia Corvino, ipsos exturbârunt. *Gudelinus lib.4. Juris novissimi c.1. p.178. col.2. & p.179. col.1.* Nec opulens pariter & erudita Respublica Norica eos addmittit: *Boterus lib.1. Cosmograph. Parte 1. p.65. col.1.* Affirmativam nonnulli fulciunt variis anathematibus. Namq; argutantur *ex l.7. C. de Postulando.* ideo Advocatos esse nobiles, qvia lex eos nomine nobilissimorum dignetur. Næ patrocinium captiosum! In foro Gratianus Imperator nobilissimos Dn. Advocatos, hoc est, primipilares vocat: non ex aula, non à dextra Principum. Nec favet ipsis *l. laudabilis. C. h. t. per notata Dn. Dionysio Godofredo & legem ipsam.* Et qvis attenderit *l. Qvisqvis in f. C. de Postulando?* De nobilitate contendimus, non de honestate, & necessitate, qvas Viris JCtissimis & religioni litantibus ambabus, qvod dicitur, ulnis intra justitiæ & æqvitatis cancellos largior. Hos enim ipsa tuetur ὀνοματολογία, qva de *Excellentissimus Dn. Dempster. lib.5. Antiq. Roman. c.32. p.438. col.2 Lit. B.* Togatos, inqvit, dicimus eosdem, qvos Advocatos & Patronos caussarum; qvi in forensibus negotiis præmunientes, litigatoribus suum præbent patrocinium, qvorum patrocinia Substantivo Nomine dicuntur HONORARIA: Sine qvibus Atheniensibus inqvilinis, coram Judice comparere jus non erat: *Petr. Victor. lib.7 Var. Lect. c.22. p.167.168 Dn. D.* Liebenthal perinde, ac Autores anteriores, pro affirmanda sententia, tanqvam pro aris & focis, dimicat *in Col. Polit. Exercit. 10. th.32. p.335* per leges certas laudatas: qvibus idem, qvod Dn. Dempst. defendit, confirmatur: nobilitatis ibidem

nulla

nulla mentione facta. Qvin & ipsi Domini Advocati CAMERÆ ELECTORALIS BRANDENBURGICÆ ILLUSTRISSIMÆ, Viri Nobilissimi, Amplissimi, ac Consultissimi, Promotores mei honoratissimi, SERENISSIMI ac POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI Decretum suspiciunt, & se non Nobilitati jungi exigunt, sed Dn. Doctoribus & Dn. Licentiatis, ad Dominorum Professorum cathedram nondum evectis, præferri satagunt. In qvos, & reliqvos Dn. Dn. Advocatos, non derivabitur, qvæ in Rerump. pestes illas nefandas, qvas *Dn. VVendelinus l. cit.* Rabulas forenses appellat, effundi potest jure merito reprehensio acerbissima: qvæ vilissima capita, & pecora forensia, Nobilissimis illis Viris sudes in oculis sunt perpetuò. Ab injuria, ulli inferenda, abstinent Viri isti Cordati.

Circumretit enim vis ac injuria qvemqve:
Atq; unde exorta est, ad eum plerumq; revertit.

Qvod è *Lucret. lib. 5. Distichon recenset D. Christ. Matth. in Theat. Hist. p. 294. col. 1.* Imò, cum hoc contrariari naturæ, *Cic. censura lib. 3. Off. T. 8. p. 519. Lit. B. & p. 535. Lit. E.* videatur: pravamq; imitationem virtutis commoditatem suam credat *idem lib. 1. de Invent. T. 1. p. 79. Lit. B.* Consulunt Illi ipsi, ceu Viri Boni, *cum Eodem lib. 5. Epist. ad Famil. T. 3. p. 82. Lit. E.* servato populo, fortunis vel amicorum, vel civium, ductu tertii Præcepti Juris: JUS SUUM CUIQUE TRIBUITO, *§. 3. Instit. de Justit.*

ftit. & Jure. Inde corufcant, qvam Princeps non confert, fed præmiis exornat, &, qvæ hæc antegreditur omnia, Nobilitate, qvam Principis folius Gratia & potentia tribuit.

QVÆSTIO LXX.

An Medici fint Nobiles? Dift.

AFfirmativa placet *Viro Magnifico, Amplisfimo, Confultisfimo, ac Excellentisfimo Dn. Ægid. Blotio, Antecesfori in Academia Marchica Illuftrisfima qvàm Clarisfimo, p. m. in Difput. de ftatu hominum fect. 11. §. 7. & Dn. Spreng. lib. 1. Inftit. Juris Publ. cap. 8. pag. 44.* qvi ad qvatuor capita fenfa animi fui condicit 1. Ex Objecto argumentatur nobili, fc. fanitate. 2. Ex immunitatibus Nobilium, qvibus Medici fruuntur. 3. A Pari, fc. Dn. JCtis, qvos nobiles effe fibi perfvadet. 4. Ex Infignibus. Qvibus argumentis non adeo operofa folutione obviam procedere fuftineo. Nemo fanè nefcit, & ex Qvæft. LXV. fatis etiam patuit, nullum Dn. Doctorum, per omnes Facultates, circa nobilius Objectum occupari, fi difceffero ab Amplisfimis Dn. Doctoribus Theologiæ. Sanitatem enim mentis Viri illi DEI & Confcientiæ recuperare nituntur, vitæq; gentem humanam immortali reddere moliuntur: qvæ fluxum & caducum Dn. Medicorum illud Bonum albis veredis antecedunt. Sunt item cum Dn. Theologis, tum Dn. JCtis, tum deniq; Dn. Philofophis fuæ immunitates: qvin & Opifices qvibusdam fuperbiunt: at inde nemo intulerit, eos, qvi ejusmodi privilegiis donati funt,

esse Nobiles. Tertium argumentum expeditionem sui ex Qvæst. LXVI. depromet: qvartum hederam suspendit vino non vendibili. Negativam dilucidè defendere conatur *Bodinus lib. 3. de Rep. c. 8. p. 475.* sed frustra. Nam leges, qvas ipse tam ex C. qvàm ff. laudavit, ipsi non succurrunt. Imò *l. C. de Decret. Decur.* ei planè repugnat. Ambo enim Impp. Diocletianus & Maximinus servitutis Medicorum nullam faciunt mentionem: sed eis, qvi liberalium artium Antistites sunt, & medendi cura funguntur, immunitatem, cæteris omnibus post habitis, tribuendam esse sanxerunt. Qvæ ipsa immunitas non sufficit ad Nobilitatem Dn. Medicis adjudicandam: eò qvòd multæ in multis sunt collocatæ à Magnis Principibus immunitates in Civitate: qvæ nobilitatis nomine minùs dignæ videntur. Nec illas immunitates admitto ad probandam Dn. Medicorum Nobilitatem, de qvibus præcipit *l. Medicos. C. de Profess. & Medicis.* Nam etsi videantur tot immunitates repræsentare nobilitatem; eiq; admodum respondeant: tamen, qvia Imperator Constantinus non voce nobilitas utitur: sed loco Generis notione immunitas contentus sit: Speciales etiam versus respuant nobilitatem: ex hac lege nemini memoratarum inibi personarum jura nobilitatis cum ipso nomine tribuere sum ausus: idemq; ne *per l. Archiatros C. de Comitibus & Archiatris sacri Palatii.* mihi licere autumo: etiamsi hæc ipsa expresserit vocem: Nobilitaverit. Hæc statuens ad Magnificos ac Generosos Dn. JCtos provoco; & erroris, si qvem commisero, veniam, doctrinæ sublimioris & verioris perqvam cupidissimo, mihi precor ea modestia, qvam tantum Vir-

tutum

tutum & cognitionis culmen exigit. Et hæc notans non derogo Amplissimis ac Excellentissimis Dn. Medicis, & qvidem iis, qvos *Borcholt. in Com. in Instit. p. 65. col. 2. n. 3.* ad medendi artis exercitium adstringit, nobilitatem suam, intra eruditionis maximæ pandochæum, Virtutum variarum perennantem possessionem, & reqvisitum exercitium, diutissimis temporum spaciis innumerisq; progymnasmatibus conscriptam ac coactam Experientiam, totq; mentis & corporis contusionibus contra væsanos insipidorum Empiricorum contagiorumq; insultus partam victoriam, confirmatam. Unde mirum non est, floruisse Ipsos in præcipuis Orbis terrarum Provinciis & regnis. Coluerunt nimirum suos Hebræi *Bodinus lib. 3. de Rep. cap. 8. p. 475. Barth. in Com. in Claud. p. 140. col. 2.* Græcis admirabiles fuerunt Philippus, Chiron, Machaon, Podalyrius, Hippocrates, Galenus: (& hoc antiqvior Sabinus: *Muret. lib. 15. Var. Lect. c. 12. p. 409.*) Solares, & Ginges, Medorum Reges, Sabiel Arabum Rex, Mithridates Persarum, Mosues, Damasceni Regis Nepos, fuerunt Medici. *Pancirollus parte 2. p. 96. 97.* Galliæ qvoq; sui non defuerunt. *Lans. in Consult. Princip. Orat. 3. pag. 100.* Nec Hispaniæ *teste Eod. l. c. Orat. 4. p. 172. 173.* Pannonios commendavit Sambucus. *Id. l. c. Orat. 8. p. 331. 332.* Germania (nam Italiam, Medicorum Acropolin impar laudibus ipsius prætereo.) tandem suos Wekkeros, Hofmannos, Sennertos, Knoblochios, Wirthios, Weidneros, Curæos, Molleros, Polysios, Ursinos prædicat, & eos utpote peritissimos Viros, instar Angelorum, *monitu Drexel. Parte 2. Aurif. c. 9. p. 193.* suscipit & extollit. Roma, Latii Parens,

Auson. de Claris Urbibus Carm. 5. p. 108. Caput rerum: *Id. in Edyl. 10. pag. 155.* caput orbis terrarum: *Liv. lib. 1. Dec. 1. Lit. A. Godolevæus in Com. pag. 25.* Urbs invictissima: *Autor ad Herennium lib. 4. Rhet. T. 1. Operum Ciceron. pag. 73. Lit. C.* Qvid verò memoro Urbem illam? cum invictissimi Reges & Imperatores Medicorum filios magnifecerint. Primus sanè Imperatorum Romanorum *C. Julius Cæsar*, qvi Ciceroni ambiguam fecisse palmam dicitur à *Lipsio lib. 1. Poliorcet. Dial. 9. pag. 54.* Omnes Romæ Medicinam professos donavit civitate: *teste Svet. in Eod. c. 42. p. 29.* Medicos Augustus Imperator, annona Romæ admodum flagellante, multisqve ejectis urbe, incolere civitatem concessit. *Svet. in Eod. cap. 42. p. 96.* Ideo laudatissimus Imperator Medico Antonio Musæ, cujus opera Augustus ipse ex ancipiti morbo convaluerat, statuam, ære collato, juxta signum Æsculapii statuit: *Idem ibid. c. 59. p. 109.* Charicles Medicus tam fuit in deliciis Tiberio Cæsari, ut eum, singulos valere dicentes, non abstinens ejus consvetudine, appellaret: *Id. in Eod. cap. 72. p. 200.* Videatur *Tacit. lib. 6. Annal. c. 10. p. 205.* Aliis alii in deliciis fuerunt. *Sen. lib. 6. de Benefic. c. 16. p. 73.* Multas etiam reperias paginas, Codicis æterni, qvibus DEUS Opt. Max. se Medicum appellavit: Christus qvoq;, Filius DEI, hanc artem sæpissime factitavit: atqve ita pagellas illas veluti auro obryzo obtexit atq; illustravit.

QVÆSTIO LXXI.

Num Philosophi sint Nobiles? Dist.

NOn abnuit sanè *D. Conrin lib. 4. Polit. c. 14. p. 220. col. 1.* his phaleratis verbis usus: Si laurea decernitur

nitur victori, si victus in Prytaneo, si immunitas à vectigalibus, si alia ad fortitudinem invitamenta: qvanta est habenda cura sapientiæ, qva fortitudo cæteræq; virtutes reguntur? Qvæ ut suo loco laudem merentur & plausum: ita non feriunt, qvod minantur. Sapientiam virtutum omnium, qvas morum Magistri prudentissimi ferè cum lacte materno instillandas esse animis, illis ipsis ad perfectionem, in vita humana acqvirendam, confirmandis præcipiunt, laudari, nemo est, qvi negaverit, nisi simul professus fuerit, se è mentis potestate exiisse. Hoc enim est fundamentum veræ nobilitatis inconcussum. At inde inferre, Nobiles esse Philosophos, mihi nec Thales, nec Plato persvaserit. Princepsnè animi hanc culturam, mente confectam, præceptisq; paratam certissimis, & solidissimis vitæ actionumq; humanarum omnium regulis, sibi transscripserit? qvæ ipsi omnem per vitam non innotescit, ad hanc legitimè capiendam, nedum imprimendam, minùs proclivi. Vestigia D. Conzen videtur legere *Besold. lib. 1. Polit. c. 12. p. 462. 463.* aitqve, Professores, qvi Philosophi audiunt, si antiqvum Philosophiæ splendorem tuerentur, & Pythagoræ, Platonis, aliorumq; premerent vestigia: vel omnium primos, vel statim post Theologos locandos esse. Erat enim Philosophia rerum divinarum humanarumq; encyclopædia, qvæ comprehendebat, qvicqvid mens humana scire, aut capere posset. Sed nunc artium liberalium rudimenta tantùm tradit, & subalterna magis est, qvàm collateralis aliis superioribus disciplinis. Unde etiam in jure nostro differentia est inter Philosophos & libera-

beralium artium Professores. Qvo sensu Besoldus sese in errores agit præcipitem. Nam neminem puto his temporibus Philosophorum, aut Professorum Philosophiæ fore, qvi sine accurata Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, & aliorum priscæ sapientiæ Sectatorum cognitione ex Umbone edissertare ausit Academico. Evolvat Besoldi è familia qvispiam Magni Neandri, Silesiæ & Marchiæ verè Socratis, παιδόρȣ Magini, & aliorum Sapientiæ Antistitum, qvibus ferè omnes Academiæ per totam Germaniam illustrantur, scripta: inq; arenam cum ipsis transcendat, experturus, ipsos non hæsisse intra ima literatorum subsellia: sed micuisse inter suos suo tempore velut, ut cum Poëta dicam, inter stellas Lunam minores; nec eguisse laude Besoldi, cui vel invito profitendum est, se non semel aliqvid humani passum esse. Patitur & denuò, statuens, per leges, à se citatas, in jure nostro differre Philosophos & liberalium artium Professores. Nam *l. 6. ff. de Excusat. Tut. §. 5. & 7.* vocat Philosophos, qvos *l. cit. §. 1. 2.* Sophistas appellat. Nam Sophistæ Priscæ Sapientiæ ætati habebantur Sapientes. *Diog. Laert. lib. 1. Vit. Philosoph. p. 4. Cic. lib. 4. Acad. Qvæst. T. 4. p. 36. Lit. B. Plutarchus in Themistocle T. 1. p. 36. col. 2. Lit. F.* & hanc meam sententiam qvatuor Imperatores cum antecedentibus veræ & antiqvæ sapientiæ Vindicibus, Constantinus, Julianus, Valentinus, & Valens *l. 6. 7. 8. C. de Professoribus & Medicis* tutam præstent. Nec ex illa *lege 6 ff. de Excusat. Tutor. §. 5. & 6. 1. & 2.* nihil colligitur, nisi Philosophos illos immunitate à tutela donatos esse. Qvid privilegio isti cum Nobilitate commune est? Cur non colligat Besoldus

ex

ex l. 1. C. de decret. Decur. Nobiles esse antistites liberalium studiorum? qvia ex decurionum decreto immunitas tribui possit. Per hos autem Antistites intelligi Philosophos, nemini potest esse obscurum, per ea, qvæ ad hanc l. notat Nobilissimus JCtus Dn. Godofredus in notis Marginalibus. Qvanqvam autem Philosophis ex se; qvin & per qvotidianam experientiam denegem nobilitatem, qvam libellus hic meus contemplatur: inficias tamen ire renuo, ipsis inesse, qvo tantum insigne verè promereantur. Nam ut ea sicco pede transeam, qvæ notavit *Isid. Pelus. lib. 4. Epist. 76. p. 37. M. Tob Mag. in Epist. ad Lect. præmissa Sabbato Christiano p. 4. M Dannenh. Id. Boni Interpretis p. 232. 233. Lips. lib. 2. Epist. qvæst. Epist. 19. p. 249. Macrob. lib. 1. in Somn. Scip. c. 13. p. 85. 86.* Donat ipsa libertate: *Sen. Epist. 8.* Est infularum loco. *Id. Epist. 14.* Valetudinem animi confert, i. e. prudentiam. *Sen. Epist. 15. 16. 38.* DEO libenter pareamus efficit, & fortunæ qvò contumaciter resistamus: docet, ut DEUM seqvamur, feramus casum. *Sen. Epist. 16.* Ex bona mente omnes sumus nobiles. *Sen. Epist. 44.* Per hanc vitam beatam vivere possumus. *Qvintil. lib 5. Orat. Inst. c. 14. p. 316.* Ob hanc C. Julius Cæsar liberalium artium Doctores civitate donavit. *Sveton. Eod. c. 42. p. 29.*

QVÆSTIO LXXII.

An Grammatici sint Nobiles? Dist.

GRammaticos qvi spernant, eorum his temporibus hominum superciliosorum non sterilis est annona. Qvidam imperfectionis eos arguunt: *Canut. Cent. 2. Epist. 61. p. 272. 273. Ein undus Richerus in Obstetr.*

dicis, & Philoſophis ſubjiciunt. Una qvoq; voce complectendos eſſe tam literatores, qvàm Grammaticos, ſvadet vox ipſa Grammatica, qvam *Qvint. lib. 2. Orat. Inſtit. c. 1. p. 79.* in Latinum transferens Literaturam vocavit: qvæ nullum admittunt diſcrimen, excepto eo, qvod in nomine diverſo diverſa ſibi peperit notio. Præterea Orthographia, ut omnia hîc ad vivum reſecem, ſternit viam, tanqvam pars Grammaticæ fundamentalis, tanqvam ejusdem & ſermonis principium remotum, & Cauſſa ſine qva non, ipſi Grammaticæ, Rhetoricæ, Oratoriæ, &, qvibus non diſciplinis? Philoſophiæq; ſolidæ eſt ut & Superiorum facultatum baſis, qvæ hoc inſtrumento carere non poſſunt. *Plutarchus tandem de Muſica T. 2. p. 648.* ubi definit Grammaticam artem appoſitam ad voces literis concinnandas atq; in memoria condendas, in Forma Denominante non reſpuit literas: qvomodo ergo id fieri posſit in Concreto?

Spectatum admisſi, riſum teneatis, amici:

Canit *Venuſina Syren de Arte Poet. T. 2. p 412.* Nec eſt, qvòd qvispiam adeo miretur Virgilium: & eum, qvi huic ſit explicando, immunitate donet: cum *Svet. in C. Caſ. Calig. c. 34. p. 231 referat*, Virgilium à laudato jam Imperatore ex omnibus bibliothecis fuiſſe amotum, nulliusq; ingenii minimæq; doctrinæ ipſi hominem viſum: & *Eraſmus Roterodamus, Nobilisſimo & Ampliſſimo Dn. D. Micrælio in Præfat. in Progym. Aphthon. p. 3.* Maximus inter Philologos Theologus, & inſigne ſuperioris ſeculi jubar dici meritus, nonnunqvam offendat, qvo inductus credat, vel Homerum Horatio dormitâſſe viſum eſſe. Unde *Auguſtinus. Vir, Barthio in Com. in Claud. p. 60 col. 1. ſanctisſimus & innocentisſimus, atq. Lipſio*

lib. 2. Elect. c. 17. p. 499. Antistes antistitum vocatus, rectè ait lib. 1. Confess. T. 1 c. 13. p. 70. Lit. C D. & p. 71. Lit. A B C. Grammatices elementa & rudimenta plus utilitatis habere, qvàm figmenta Poëtica, & Grammaticorum subtilitates. Ideoqve infero, & literatores commodè dici Grammaticos, & à duobus supra laudatis Imperatoribus *in l. munerum 18. §. ult. ff. de Muner. & Honor.* vacatione & immunitate donatos esse. Ut verò Imperatores dicti Grammaticis vacationem istam gratia sua indulserint: nemo tamen inde colliget, Grammaticos esse nobiles: eò qvòd multi immunitatibus & vacationibus gaudeant: utpote οἰνόπωλαι qvidam, Φαρμακόπωλαι item, nec non caussaria manumisfione immunes: qvibus qvi addixerit nobilitatem, certè sine Principis Majestate velificâsse creditur. Nec patrocinabitur forte nobilitati Grammaticorum. *l. 6. C. de Profess. & Med. nec l. un. C. de Professor. qvi in urbe Constantinopol. &c. nec l. un C. de Comit. & Tribunis Scholarum. nec l. 2. C. de privilegiis Scholarum.* qvia prima l. nobilitatem Ethicam signat. Secunda l. loqvitur de Eminentia, non de nobilitate. Adde notata *Dionys. Godofredo ad l. un. C. de Officio Comitis Sacri patrimonii*, ubi vicarios præfectos provinciarum fuisse, & vices præfectorum prætorio gessisse affirmat: qvibus annumerari Grammaticos tam Græcos qvàm Latinos ait *l. cit.* Tertia de libertate & manumissione honesta loqvitur: qvæ eo ipso non est hujus loci. *Vide Dionys. Godof. in Notis ad l. 1. C. de Comitibus rei militaris:* ubi Comitivam titulum honorarium nuncupat. Qvarta l. libertatem spectat & qvædam privilegia eminentia, qvæ nobilitatem veram non exprimunt. Qvia Comitivæ huic hac tempestate nullibi locum dari, facili

cili negotio experientiæ credo: facioq; cum *Ausonio Epigr. 130. p.32. ita canente:*

Felix (ut & nobilis) Grammaticus non est, sed nec fuit unqvam,
Nec qvisqvam est felix nomine Grammaticus.
Qvòd siqvis felix propter fatum exstitit unqvam:
Is demum excesſit Gramaticos canonas.

Idq; his temporibus ideo contingere autumo, qvòd inter rarò contingentia Grammaticus, vel in suo genere perfectus, est referendus: absolutos vix enim perpaucos longa licet in ætate inveneris. Ast inventos laude & celebritate sua nemo defraudaverit. Grammatica ipsa tanti fit *Qvintiliano lib. 1. O. J. c. 4. p. 26.* Ut minùs ferendos esse judicet, qvi hanc artem, ut tenuem & jejunam, cavillentur: qvæ nisi Oratori futuro fideliter fundamenta jecerit, qvicqvid superstruxeris, corruet: necessaria pueris, jucunda senibus, dulcis secretorum comes, & qvæ vel sola in omni studiorum genere plus habeat operis, qvàm ostentationis. Qva re animatus *Castellanus lib. 1. de Officio Regis c. 21. p.62. &c.* prolixè reprehendens eos, qvi vix primis elementis cognitis in alienum nomen invadunt, & cruda prorsus studia in Ecclesiam & Forum propellunt: pariterq; illos, qvi, sordida mercede soluta Grammaticis, & Scholarum tribunis, caritatem istam progenerant, corripiens, Principem ipsum juniorem ea imbuendum esse docet. Didicit hanc ipsam tanta industria Tiberius Imperator, ut, Grammaticis præcipuè appetitis, variis eos qvæstionibus, qvanqvam minùs utilibus, multùm experiretur. *Suet. in Tiberio c. 70. p. 195.*

Qvicunqve ergo hac laudis excellentia contentus esse neqvit: ad nobilitatem prodeat, triumpho dignus, si hac arte à Principe eam impetraverit, Grammaticus.

QVÆSTIO LXXIII.

An Notarii sint Nobiles? Neg.

AFfirmativam qvibusdam forsan videntur tueri *D.* **Liebenthal** *Colleg. Polit. Exercit. 3. p. 71. 72. & Dn. D. Zieglerus in Tract. de Jure Majest. Exercitæ de Jure Erigendi Academias th. 46.* Ideo si omnes rationes, qvibus pro firmanda Qvæstione, uti posset, summa industria qvispiã examinaverit: næ ejusmodi vix reperiet, qvo defensioni suæ præsidium qvæsiverit. Jam enim status controversiæ non adeo apertè fingi videretur. Mox scutum eidẽ qværeret ex caussa multis communi: particularia in seqventibus vicem Universalium subeunt. Jurisdictio adhæc non esse videtur magni momenti: ut & nomen judicis chartularii: cum nomen ipsum, & provincia Judicis aliud suggerant. Nec juvant qvicqvam verba Diplomatum, qvibus privilegia Notariorum consignantur & confirmantur, sic habentia: **Es sol den** Transsumpten **und** Vidimussen **der** Notariorum **allenthalben in und ausserhalb Gerichts vollkommener Glaube zugestellet werden/ allermassen als ob sie von einem Fürsten/** Prælaten/**Grafen/Freyherrn/** &c. vidimiret **und** authentisiret **wären.** Nam differentia inter Notarii officium & Nobilitatem desumenda est cum ex Objecto diverso, tum diversa caussa, & tum fine alio, tum deniqve Effectu non eodem. Qvod si qvis argumentari pro eadem sententia propugnanda studeat *ex §. 3. Institut. de*

Ado-

Adoption. ubi notarii seu tabularii, censente ibidem Dionysio Godofredo, personæ publicæ appellantur: omnia in eo §. exqvisita industria perpendens cernet, nihil hæc nomina ad tuendam sententiam conducere. Nam & accensi apud Romanos erant personæ publicæ, ad servitium suum publicitus lectæ, nulla hîc data ferè differentia ex utroqve officio sub una notione. *Rosinus lib. 7. Antiq. Rom. cap. 11. p. 541. col. 1. Lit. E. Id. lib. cit. c. 48. p. 580. col. 2. Lit. B C. lib. 10. c. 7. p. 756. col. 1. Lit. A D. & Lips. lib. 2. de Milit. Rom. Dial. 8. pag. 74. 75. lib. 4. de Milit. Rom. Dial. 2. pag. 157. & in Analectis pag. 381. 382. l. Non aliter 18. ff. de Adopt.* dicuntur servi publici: qvod nomen dignitatem signare ait *l. 1. & 2. C. de primiceriis, secundiceriis, & Notariis:* qvare & hôc ipso nobilitas hîc removenda est. Vid. **Lehm. in der Speyer. Chron.** *lib. 2. c. 25. p. 106. col. 2. Lit. C. Scal. lib. 2. Lect. Auson. cap. 13. p. 123. Elias Vinetus in Com. p. 242. 243.*

QVÆSTIO LXXIV.

An Studiosi sint Nobiles? Dist.

D. **Conken** *lib. 4. Polit. cap. 15. p. 220. col. 1.* duplici argumento sententiam fulcire nititur: alteram à caussa Efficiente proxima, lege videlicet, desumit: statuit enim, in Comitiis Augustanis & Anno 1530 & Anno 1548 eos nobilibus æqviparatos esse. Largirer qvidem ego, verum esse, ex causa fictum argumentum, nisi vox æqviparare aliud svaderet: nec mihi integrum foret, dubitare de consensu Recessuum imperii, dictis usibus respondente. Alterum argumentum capit ex caussa Impulsiva: sc. scientia seu eruditione: de qva ita

pergit. Una enim vera atq; unica nobilitas est virtus, & minor virtute, sed major stemmate, nobilitas est scientia. Ad qvæ verba notari velim, scientiam verè dici caussam & impellentem Principem ad nobilitatem ei conferendam, qvi non leviter eruditione est tinctus, sed penitùs imbutus: & promerentem: cum virtutum omnium sit fundamentum & firmamentum; imò veræ laudis nutrix ac mater: *Jani Gruteri in Præfat. præmissa T. Livio pag. 7.* censura: adeoq; vel Principi necessaria: *svasu Ejusdem ibidem. pag. 9. 10. 11.* Stemma autem posthabere eruditioni nullus concessero: cum ex hoc sensu & absurditatum plurimarum & rixarum infinitarum materia qvasi abyssus qvædam se diffunderet. Ego in duobus titulis nimirum *C. de studiis liberalibus Urbis Romæ & Constantinopol. & C. de incolis, & ubi qvis &c.* in qvibus bene multa leguntur partim de Doctoribus seu Professoribus, partim etiam de Studiosis, citra factam horum nobilitatis mentionem, acqviescere coactus sum. His ita præmissis non tam me profiteor ab omni religione alienum, ut temerè statuam, Nobilissimum, celeberrimum & spectatissimum Dn. Studiosorum chorum omni nobilitate spoliandum fore: cum sciam, hæc scribens, Francofordiæ, in patria mea, ipsa vita mea longè mihi amiciore, insignis virtutis simul & eruditionis eximiæ splendore fulgidissimos degere & Nobilitate, qvam hîc & aliàs æstimo plurimi, & miror unicè, clarissimos ultra XXX., earundemqve consortione tam amabili, Prætorem divinum nihil timere insidiarum & violentiæ. Illud clausurus adjicio, excellentiam

tiam & celebritatem communicatam Dn. Studiosis, etiam destitutis nobilitate, qvæ mihi harum paginarum autor exstitit, non prorsus à Nobilitate hac deviare. Nam, ut alia sicco prætercam pede, apud Germanos, qvos Prisca ætas Tuiscones nominavit, Dn. Studiosis gloriam istam per studiorum literarum institutionem donavit, teste *Beroso lib. 5. Rer. Antiq. p. 336. col. 1.* Ingævon, filius Tuisconis, referente *Eod. lib. 2. Rer. Antiq. p. 333. col. 2.* & cujus Nato Hermanno nomen sibi Germaniam invenisse, & circa annum à Condito Mundo 2123 ante Christum natum 1825 vixisse notavit *Calvis. in Opere Chronol. p. 174. col. 2.* Hujus nobilitatis ab ætate prima cupidissimum fuisse, & de ea impetranda se laboriosissimè exercuisse Augustum Imperatorem, *Svetonius* edocet *in Ipso. c. 84. p. 127.* Nec satis fuit incaluisse amore ejus CONSTANTINO IMPERATORI: sed literas disciplinasqve optimas pene exstinctas ab interitu vindicavit, librumq; ROMANO Filio reliqvit, in qvo summam totius imperii, sociorum omnium fœdera, hostium vires, rationes, consilia explicuit: qvem *Joh. Baptista Egnatius* in Bibliotheca publica asservari ait, tanqvam thesaurum, inq; eo multa de Venetis etiam suis disseruisse Imperatorem enunciat is ipse *lib. 2. de Princip. Rom. T. 3. Hist. August. p. 559.* Finem Ingævon præfixum consilio suæ institutionis habuit, ferociam humanæ menti eximendam, si fidem arbitrari est *Beroso lib. 5. Rer. Antiq. p. 336. col. 1.* vel potius *immortali Dn. Buchnero in Dedicat Com. in Hymn. Prud. de Nat. Dom.* Nihil, inqvit ibi, aut excellentius sapientiæ studiis, aut efficacius est literis ad animorum culturam. Qvicqvid enim in animis nostris incul-

cul-

cultum ac aſperum eſt: mollitur ac levigatur literis. In Diſciplinis & artibus qvoq; qvodcunq; horret ac ſqvalet, hinc formam ac lucem, ac cultum decentem mutuatur: ut, qvàm terruerat antè majeſtas illarum triſtis ac ſolitaria, tam ſuperinducta mox literarum comitas ac elegantia invitet ac trahat. Hac ipſa animi cultura ſpectatisſima factum eſt, ut Marcellum plus pœniteret interitûs Archimedis, qvàm excidii Syracuſarum: *Plutarch. in Marcel. T. 1. pag. 96. col. 2. Lit. B C.* ut Alexander ille Magnus Stagiram, patriam Ariſtotelis, antè dirutam, reſtauraret, civesq; diſperſos, & ſervitute oppreſſos, revocaret, & libertate donaret: *D. Chriſt. Matth. in Theat. Hiſt. p. 313. col. 1.* isq; ipſe Monarcha pepercerit Pindaro Poëtæ, familiæ ejus, ac domui, expugnans Thebas, cæſis ibidem Thebanorum 6000 captisq; 30000. *Id. ibid. p. 316. col. 1.* Eadem Celſum, Magiſtrum bonarum artium, ad Conſularem provexit prærogativam: *Symmachus lib. 10. Epiſt. 25. p. 370.* qvæ data eſt ad Theodoſium Imperatorem. Muſonium, Athenis Atticis antè Magiſtrum Rhetoricum, Aſiæ vicarium: *Ammianus Marcellinus lib. 27. c. 20. p 373.* Simpliciumqve, Urſicini Succeſſorem in præfectura vicaria in Urbe Hemonenſi, Maximini Conſiliarium ex Grammatico jusſit. *Idem lib. 28. c. 10. p. 389. 390.* Ideo

Nec cum mortali ſtudia immortalia vita
Parcarum rapidam fas temerare manum eſt:
Sed, qvibus aut Muſis ceſſare ætate in agunda,
Aut illibatæ cura fuit Sophiæ,
Mens eadem poſt fata manet: ſemperq; beatis
Otia pacato dantur in Elyſio.

Janus Gulielmus in Carm. ad Lipſ. lib. 2. Elect. p. 493.

QVÆ-

QVÆSTIO LXXV.

An Mercator Nobilitatis sit consors? N.

V*Ernul. lib. 2. Instit. Polit. Tit. 9. c. 8. p. 214.* negat argumentis, petitis à natura rei, Adjunctis, ac legibus, nobilitatem mercatori denegantibus. Cui addendus est *Dn. D. Blotius in disp. de statu & jure Personarum sect. 11. th. 14. D. Besold. lib. 1. Polit. c. 11. pag. 416.* Nec ab his deficiendi mihi est animus. Movet me assertio tremenda *Theophylacti in c. 22. Matth:* ex qvo eandem repetit *Excellentissimus Dn. Magirus in Sab. Christ. p. 616.* Negotiatorum genus avarum esse & lucricupidissimum profitentis. Hunc ita explicat *Isid. Pelus. lib. 2. Epist. 7. p. 120.* Neq; ex præfectis & Antistitibus improbi ac facinorosi ulli essent, si iis, qvæ præstò habent, contenti essent, ac rebus suis moderari scirent: κακίας seu improbitatis eos arguit, qvæ καὶ χωρὶς ἑτέρας κολάσεως κόλασίς ἐστιν, vel citra supplicium aliud supplicium est, *Isid. Pelus. lib. 3. Epist. 36. pag. 240.* qvicum nobilitati nulla est consortio. Memoriam merentur, qvæ tradit *Nobilissimus ac Amplissimus Dn. Cellarius in Polit. succincta p. 300. §. 21.* Apud Thebanos, inqvit, ad publica Magistratûs officia nemo admittebatur, nisi decem per annos mercaturæ se subduxisset. Et paulò pòst ait: Apud Russos ita contemnunt Nobiles mercaturam, ut etiam panem ostiatim petere malint, qvàm exercere mercaturam. *Cicero qvidem lib. 1. off. T. 4. pag. 492. Lit. D.* Mercaturam tenuem putat esse sordidam: at magnam ac copiosam, multa undiq; apportantem, multisq; sine vanitate impertientem, non esse vituperandam arbitratur: atq; etiam satiatam qvæstu seu contentam potius, ut sæpè ex alto in portum, & ipso

portu ſe in agros poſſesſionesqve contulerit, videri ſibi optimo jure laudandam ait. Verùm regero Oratori potentisſimo, non haberi mercatores ignobiles, qvòd virtute ſint præditi: ſed qvòd fieri neqveat, ut vitium abſit à mercatura: ita rem expediente alicubi ſacro illo Paræmiographo, nunqvam ſatis laudato.

QVÆSTIO LXXVI.

An Agricolis competat Nobilitas? Neg.

AFfirmativæ *Conſul Romanus diſertisſimus* favet *lib. 1. off. T. 4. pag. 492. Lit. D.* hoc ornatu agriculturam repræſentans: Omnium rerum, ex qvibus aliqvid exqviritur, nihil eſt agricultura melius, nihil dulcius, nihil ulterius, nihil libero homine dignius. Qvæ verba ipſe de *Senectute T. 4. pag. 552. Lit. D.* copioſiùs explanat, adſcitis ſibi ſociis *Plutarcho in Numa Pompil. pag. 23. col. 1. Lit. B. & Alex. ab Alex. lib. 1. Gen. Diar. cap. 9. p. 27. Bodino lib. 3. de Rep. c. 8. p. 476. Varrone lib. 1. de R. R. cap. 1. p. 1. 2. Petro Victorio lib. 5. Var. Lect. cap. 5. p. 95. Schönb. lib. 3. Polit. c. 46. p. 369. Caſo lib. 6. Sphaeræ Civit. c. 4. p. 298.* Honeſtatem hæc verba omnia inculcant, necesſitatem, & utilitatem: ultrà verò nihil, nihil de nobilitate: utpote qvam neſciunt & leges: qvippe per qvas agricolis convenit, propriæ commiſſos mediocritati, annonarias functiones ſub ſolito exactore agnoſcere. *l. 4. C. de Agric. & cenſitis, & colonis.* Huc ſpectat qvoqve *l. 6. & l. 18. C. h. t. Polyd. Vergil. lib. 3. de Rer. Invent. cap. 1. pag. 195. & ſeqq.* qvidem id unicè agit, ut probet nobilitatem agricolarum variis, qvas operoſè congesſit, rationibus: verùm iſtis omnibus operam ſuam luſiſſe videtur: eò qvòd plebejorum labori

bori

bori isti non semper fuisse, ex illis, qvibus sese defendere conatur, non est obscurum: licèt moderatoribus ejusdem iis, qvibus totius provinciæ gubernandæ copia & potestas data est. Qvæ ut respuere videatur *Dn. D. Christ. Matth. in Theat. Hist. pag. 153. col. 2.* tamen dijudicatu facillimum fuerit, in rem exacta industria inqvirenti, Cyrum non fuisse Agricolam, sed animi caussa, qvòd ingenio suo ferretur ad tale studium colendum, arbores plantâsse, ut à servis majore diligentia vestigia ejus premerentur. Qvod si etiam obtineret, singulos Regum operas suas locâsse in agrorum culturâ: nemo forsan inde commodè ratiocinaretur, agriculturam nobilem creare. Nam qvàm plurima patrant Principes & Reges per singulos dies, qvæ à nobilitate tantum differunt, qvantum ager ille mirabilis, de qvo *Lansius* agit *in Consult. Princip. Orat. 9. p. 377.* à vulgaribus distat.

QVÆSTIO LXXVII.

An Nobilitati aliqvid adsignari qveat, qvo secernatur ab aliis omnibus? Aff.

UT mens mea recta ratione omnibus possit placere: secerno ab ista libertatem: sed non omnem. Nec enim hic contemplor Libertatem Theologicam: de qva *Hieronym. ad Celant. Epist. de Instit. matris T. 1. p. 51.* Sola apud DEUM libertas est, non servire peccatis: qvæ & libertas conscientiæ dici potest. Removeo etiam Libertatem Metaphysicam: de qva *Claud. in Consul. Mall. Theod. p. 6. col. 2. v. 31.*

Sic patiens animus per tanta negotia liber

Emergit, similisq; sui: justiq; tenorem
Flectere non odium cogit, non gratia suadet.

Qvos versiculos ita interpretatur *Generosus & diffusissimæ lectionis Scriptor Dn. Barthius p.m. in Com. suo ad hunc Consulat. p.159. col.1. §.210.* Tantis negotiis inhæreſcit, libertatemq; suam qvodammodo vendit, & addicit animus præceptis veris Sapientiæ non imbutus. Libertas est nulli subdita, omnibus imperans, animi Nobilitas, qvam tantopere commendant Stoici, imprimis Epictetus & Marcus Imperator, non se rebus, sed sibi subjicere res gnaram. Cui opponitur opinio, qvæ nos cruciat: *Sen. in Consol. ad Marciam c. 19. p. 783.* sensus nostros transversos aufert: *Barth. in Pornobosc. od p. 5152.* & violenta res est: *Card. de Arcanis Prud. Civil. c. 91. p. 217.* Prætereo deinceps Libertatem Ethicam, facultatem illam, qva aliqvis facilè & expeditè omni loco & tempore, nec non in omne Objectum (Morale) sine impedimento virtutis actiones exercere potest. *M. Spengl. in Exercit. Eth. Disp. 3. sect. 1. th. 7. 8. 9. D. Wendelerus in Philosoph. Pract. sect. 1. c. 4. p. 30. th. 6 & p. 31. th. 7.* & hæc opponitur vitio, cujus operationem, huc facientem, graphicè depictam dat *Isid. Pelus. lib. 2. Epist. 188. p. 169.* Secedo insimul à libertate Oeconomica, de qva agit *Id lib. 2. Epist. 23. pag. 111.* qvæ nos nulla re permittit indigere, & saltem paucis contentos docet vivere: & *lib. 3. Epist. 223. p. 301.* qvæ in qviete seu privati hominis pacato & tranqvillo statu consistit. Illi opponitur paupertas, invitum illud malum, *Basilio M. Orat. 5. p. 112.* Huic regnandi cupido, fax prima certaminum Romæ inter Patres & plebem. *Ex Taciti lib. 14. Hist. Saavedra in Symb. Polit.*

Polit. p. 668. Nec feram Libertatem politicam, illam qvidem, cujus partem unam plebs in Democratia in eo ponit, ut omnes per vices imperent & pareant: cum justum non κατ' ἀξίαν seu dignitatem, sed κατ' ἀριθμὸν seu numerum ibidem obtineat: *Nobilissimus Dn. Cellarius in Polit. succincta. p. 157. §. 33.* Cui opponitur subjectio, plerisq; ingrata, qvòd, judice *Hornio lib. 1. Polit. c. 2. p. 89.* nemo tam vacuus sit ingenio, qvin sibi regendo sufficiens videatur. Qvin & illam amando ab hoc foro, qva de loqvitur *l. 176. ff. de Reg. Juris:* Infinita æstimatio est libertatis: cui opponitur Servitus, qva qvis dominio alieno contra naturam subjicitur. *§. 2. Instit. de jure personarum.* Vide *Perez. in Erotemat. Instit. Imperial. p. 12. quæst. 4. & 5.* Qvam tamen libertatem omnibus præfert. *Basil. Magnus. Orat. 5. p. 110.* Spirituq; potiorem credit. *Sen. lib. 2. de benef. c. 35. p. 15.* Admitto verò illam libertatem, qva optimus Princeps, gratia & æqvitate motus, benemeritos segregat ab imperita multitudine & servorum contuberniis: qvò præmia meritorum indepti pareant sine coactione Principi moderato & clementi, & jussa ejus hilari mente & vultu capessant, aliis beatiores & voluntate soluti. Hac de, sed suæ opinionis fece adhuc infecta, tradit *Clapmar. lib. 3. de arcanis Rerump. c. 2. p. 83.* cui opponitur ignobilitas, objecta non sine arguto contemptu Liviæ à Caligula apud *Svet. in Exod. c. 23 p. 221.* licet alio sensu. Privilegium ipsum qvoq; arceo. Illud *D. Conrin lib. 5. Polit. c. 18 p. 300. col. 2. §. 1.* definit lege concessam potestatem alicui vel aliqvibus agendi, vel non agendi, aut recipiendi, vel non recipiendi ultra jus commune. Qva in

in Definitione qvamvis nonnulla reqvirant emendationem: tamen eâ in præsens supersedeo, & idem ad Objectum Materiale refero, forsan non contradicente Subtilissimo Dn. Metaphysicorum Senatu. His ita perspectis, contraho, terram jam videns, vela, nihil hîc aliud indigitari confisus, nisi concessionem benignissimam summa libertate perpetuò utendi privilegiis illis omnibus, qvibus & stemmatis illius auctor, & stemma ipsum, in utroq; sexu à Principe decoratur: nisi usum complexumq; illorum individuum. *Id. lib. I. Instit. juris publ. c. 29. p. 186* Rhapisma qvoqve additum fuisse *Nobilissimus & Consultissimus Dn. Kirchmajerus in Com. in Tacit. Germ. p. 226.* docet. Is ipse antecedentibus hæc addit: An à Veterum manumittendi ratione per rhapismata & alapas? Cujus fit mentio *l. ult. C. de Emancipat. liber. & Novel. 81.* semota veteris priorisq; peosapiæ viliore existimatione. Prodeo hinc ad nonnulla solemnia, qvibus destitui nobilitatis collatio non assolet. Imperator, vel alius legitimus Princeps, nobilitaturus nonnullos, vel suis ipsius verbis utitur: *Sprenger. lib. I. Instit. Juris publ. c. 8. p. 43.* vel in diplomate signari curat: qvæ plerunq; antiqvum obtinent. Ipse Imperator Romanus, jam creatus & sedens, eqvites creat: qvorum nomina, ut adveniant, leguntur: qvi, ubi ad solium veniunt, genibus flexis advolvuntur, vultu in terram verso, Imperatorq; tergum gladio tangit.

QVÆSTIO LXXVIII.

An Princeps Nobilitans ad certum finem tendat? Aff.

Qvem-

QVemadmodum vetus placitum eſt, vel *Ariſtot.* autore *lib.1. Eth. Nicomach. c.1.p.1. & 2.c.2.p.3.* varios unius rei in Practicis eſſe fines: ita in præſentia nulli dubium eſt, qvin nobilitaturus Princeps fines ſibi qvamplurimos præfigat. Agmen ducat diſtinctio familiarum, qvæ ordinis eſt mater in Rep. *Beſold. lib.1. Polit. c.11. p. 408.* ἔστι δ' οὐδὲν οὕτως οὔτ' εὔχρηστον, οὔτε καλὸν ἀνθρώποις, ὡς ἡ τάξις: *Xenophon in Oeconomico:* qvam ſententiam ſic vertit *Voſſ. lib.3. O. J. c.1. p.537.* Nihil hominibus aut ad uſum commodius, aut pulchrius, ordine. Deinde qvoq; ſeminarium plantare ſuſtinet circumſpectus Princeps officiorum, qvibus uſus eſt & domi & belli. *Id. Beſold. l.c. p.409.* Armorum item inde ſtruere molitur officinam vivam: unde eadem depromat cum hoſte dimicaturus, præeunte viam Rege FERDINANDO IV. qvi, tumultu orto in Galæcia, nobiles, ad ſe accitos, militaribus præfecit muneribus. *Saaved. in Symb. Polit. p.597.* Eodem etiam idem efficaces ſtimulos generoſis animis ſubditurus eſt, qvi ad res præclarè gerendas magnum momentum habent. *Horn. lib.2. Polit. c.4. p.365.* Acuuntur nimirum boni integritatis & induſtriæ pretio: & præmia bonorum malorumq; bonos ac malos faciunt. *Plin. in Paneg. ad Trajanum. p.71. Vide Sen. Epiſt.10. & Saavedr. in Symb. Polit. p.10.* Faces etiam multitudini ſatagit Imperans accendere virtutum, qvibus qvi præſtant: eos, qvi illarum ſunt expertes, qvantum homines belluis, & angeli hominibus, antecellunt. Siqvidem non per forum tantum, tanqvam luminaria qvædam gradiuntur, ſed & ubiqve, ſimul atq; vel in tenebris conſpecti fuerint, alio-

aliorum oculos in se convertunt. *Isid. Pelus. lib. 2. Epist. 13. pag. 109.*

QVÆSTIO LXXIX.

An ordo Nobilium in bene constituta Rep. sit conservandus? Aff.

V*Ernul. lib. 2. Inst. Polit. Tit. 9. cap. 6. p. 211.* variis adminiculis conatur firmare. Primum capit ex Qvantitate & Qvalitate, aitq; Nobilitatem præcipuam & maximam Reip. partem esse. De Qvalitate nullus contendero: id enim manifestum est. De Qvantitate dubius mihi est animus. Multitudo enim, cum plebem, ut apud *Liv. lib. 1. dec. 1. pag. 17. Lit. D.* qvæ & vaga dicitur *Auctori ad Herenn. lib. 4. Rhet. T. 1. pag. 74. Lit. D.* significat, dici neqvit minima pars, qvod sentit Vernulæus: nam ejus est omnium maxima freqventia. Vide *Sen. lib. de vita beata c. 2. p. 652. Sen. in Troad. Act. 4. Sc. 2. p. 243. Lips. in Com. in Sen. p. 124. Eundem in de Amphitheatro. c. 14. p. 38. Scal. lib. 3. Poët. cap. 121. pag. 421.* Satius fuisset, si asseruisset, Nobilitate in pagis, ubi omnia sunt aperta, & nulla copia est judicis superioris, plebem rusticam intra concellos officii sui contineri: & huic assertioni assensum præbet ipsa experientia. Secundum intendit finem, nimirum defensionem patriæ, cui nobilitas sit destinata. Qvod argumentum qvoad finem robore suo non destitueretur, nisi careret medio. Nam magnam partem exercitus, qvo defendenda est patria, constat plebejis, qvi eidem maximè sunt tuendæ. Tertium argumentum fundamentum sibi qvæsivit in favore hostium,

um, qvi reportata victoria parcunt nobilitati. Sed & hoc levi gaudet fulcro: cum idem etiam interdum comitetur multitudinem belli devictam. Et hoc argumentum ad *D. Contzen lib. 9. Polit. Tit. 9. c. 6. p. 211.* autorem refertur. Quæ argumenta omnia ut non probent probanda: tamen negativæ tutelam non variant. Nam non facit ad rhombum, naturam ignorare nobilitatem, cupientem sanè ad pristinam æqvalitatem reduci universa. *Arnis. lib. 2. de Jure Majest. cap. 3. pag. 293.* Nam ipse DEUS nobilitatem instituit, qvod probatum est Qvæst. XII. Porrò pro negativa pugnat *Melch. Junius parte 2. Orat. p. 42. 43.* ex rerum Ungaricarum FERDINANDI I. Imperatoris appendice Joannis Sambuci, Cæs. Majest. qvondam Consiliarii & Historici, Eundem Imperatorem maluisse, exemplo avi sui MAXIMILIANI I. eruditos & sanos judicio, lingvarumqve usu promptos, è tenui familia, in consilium, qvàm generis longissima serie nobiles, aptos tamen minùs, & otiosos evocari, atq; adeo eos potiùs paulatim ex imperio suo emitti ratus. Verùm tantùm abest, ut despicatui habuerit nobiles exqvisitissimi judicii Imperator, ut potiùs, cum locus commodus daretur, ipsos evexerit, & bellicosos ac strenuos exercitibus suis præesse jusserit, dicens: *καλὸς θησαυρὸς πρὸς παῤῥησίαν εὐγένεια*: id est: Magnus thesaurus ad fortitudinem nobilitas. *Id. ibid.* Sunt etiam magni Reges ab Historicis notati, qvi cane pejus & angve odio habentes nobiles interimi curarunt. Nam Imperator AULUS VITELLIUS Nobiles viros, omnibus blanditiis tantùm non ad societatem imperii

allicefactos, fraudis vario genere occidit. *Svet. in Eod. cap. 14. pag. 378.* Nec minùs sangvinolentus fuit CONSTANTINUS CAPRONYMUS, qvi, narrante *Joh. Baptista Egnatio lib. 2. Princip. Rom. T. 3. Hist. August. p. 451.* nobilissimum qvemq; tollendum è medio curavit. DRACULA pariter, VVallachiæ Princeps, familias nobiliores inqvisitas funditus exstirpavit, spe generis nulli relicta. *Barth. lib. 45. Adversf. c. 14. p. 2089.* His solvendis omnibus regero ex *Symmachi lib. 9. Epist. 1. p. 311.* Interest serenissimorum temporum gloriæ, ut, sicuti omnibus in hac vita positis aut locatis, communis est cœli spiritus, lux diei: ita clementiam Principis sentiant vota & facta cunctorum: & ex *Sen. lib. 1. de clement. cap. 7. p. 622.* Princeps se talem esse civibus, qvalem sibi DEUM, velit. Pro confirmanda tandem sententia mea assevero, pleraq; regna in amplificanda & augenda nobilitate esse operata, non ex errore imperitæ multitudinis pendentia, sed prudentissimis consiliis adducta, qvibus se opponere est nefas. Defensionis clypeum Optimus qvoq; Princeps ideo deferet nobilitati suæ, ne odium incurrat subditorum, monitus exemplo TIBERII IMPERATORIS, qvosdam nobiles non suo vitio, sed fortunæ iniqvitate, pauperes, Imperio suo exturbantis. *D. Conring lib. 3. Polit. c. 9. p. 123. col. 2.*

QVÆSTIO LXXX.

An Nobilis ex virtute nobili ex Genere præferendus sit? Dist.

Ex

EX superius expeditis Quæst. XIII. & XXVIII. opinionis incertæ esse neqvit, nobilitatem illam, qvam Ethicam seu virtutis appellant, non dici commodè nobilitatem: cum virtus Nobilitati autor sit & incitamentum conferendæ nobilitatis: qvod incitamentum Efficiens esse non potest, propriè sic dicta: pariterq; nobilitatem, qvam Generis seu Physicam nuncupant: qvæ, si non emissitiis oculis inspiciatur, duratio est vel continuatio (ad Prædicamentum Accidentium sextum, vel, si Metaphysicè, qvod res exigit, contemplemur, suo modo ad primum referenda) qva in posteritate usq; ad ultimum Individuum Nobilitas Politica protenditur: Accidens verò sua ipsius Efficiens esse neqvit. Qvapropter de hac non illepidè canit *Lycus apud Sen. Trag. in Herc. Fur. Act. 2. Sc. 3. pag. 19.*

Non vetera patriæ jura possideo domus
Ignavus heres. Nobiles non sunt mihi
Avi, nec altis inclytum titulis genus:
Sed clara virtus. Qvi genus jactat suum,
Aliena laudat.

Unde liqvet, virtutem, etsi nec efficienter, nec effectivè nobilitet: cum nullum vel potentia, vel actu habeat influxum ad producendum nobilitatem: in genere tamen esse caussarum, qvæ suo modo caussantur effectum, seu ansam præbent eidem producendo. Ideo frustra est *D. Lichtenthal in Col. Polit. Exercit. 10. qvæst. 6. pag. 267.* qvi nobilibus virtute præferendos esse nobiles genere statuit. Nam ut caussa Eminens in operando Nobilitatem, tanqvam caussa, Accidente s. caussato vilior esse neqvit: ita &, veritatis stimulis, profiteri cogor, caussam imperantem non esse deteriorem caussato suo. Unde non in-

incommodè instituisse Bononienses ex Bodini *lib. 3. de Rep. c. 8. p. 468.* disco, ut Doctor qvoscunq; (qvam vocem de illis intelligo, qvi nulla virtute ultra plebejos assurgunt: nam hic semper respiciendum est ad Majestatem, qvæ contulit Nobilitatem, & hoc ipso splendorem & prærogativam hinc semper præfero Nob. Politicum nobili Ethico:) sangvine (loqvor ex mente Bodini) nobiles præcedat. Ratio in[illegible]qvens, ut & *l. Pronunciatum. 46. §. Matrem.* qvibus sententiam suam porrò fulcire laborat Bodinus, sunt à centesimo lapide advectæ, nec veræ probationis titulum merentur. *M. Velsteinius Decade XII. Quæst. Ethic. quæst. 9. pag. 173. 174.* solvere nodum molitur distinctione: at cum hæc *κρινό-μενον* non feriat: nolo in hac enucleanda tempus terere.

QVÆSTIO LXXXI.

Num Nobilis sit civis Romanus? Dist.

AFf. *Vultejus lib. 1. de Jurisprud. Rom. cap. 5. p. 11.* Ingeniorum conditio omnium est optima: qvippe qvi & cives Romani sint inde usq; à nativitate, & communionem juris à Romanis recepti indistinctè habeant. Unde fit, ut per eminentiam qvandam liberorum hominum appellatione nulli alii intelligantur interdum, nisi qvi ingenui sunt. Vultejo se opponit *Bodinus lib. 3. de Rep. cap. 8. p. 462.* negans qvæstionem hanc ob caussam, qvòd cives omnes, cum sumpserant virilem togam, ex institutis Romanorum, adacti fuerint ad militandum, cujus rei testem poscit, Plutarchum, in Graccho eandem probantem. Unde infert, si omnes, qvi militare fuerint coacti, nobiles fuissent, nullum

civem

civem fuisse ignobilem: qvod repugnaret Romanorum moribus: utpote qvi totam Romam in Patricios & plebejos tandem diviserunt. Ego, hanc litem diremturus, tempora, qvoad Romam, distingvens, utriq; accedo, & ex particulari universale concludere veritus, cuiq; civitati, Principi cuiq; suos mores suaqve jura evertere non conatus, Romæ Romanos, Galliæ suos Gallos, Sveciæ Svecos cives, citra discrimen Nobilitatis ullum, relinqvo.

QVÆSTIO LXXXII.

An Nobili competat Senatoria dignitas? Dist.

Omnino competere Romano, author est *Melch. Junius, qvi ex lib. 52. Dionis, & Orat. Mæcenat. ad August. T. 1. Orat. p. 23.* Nobilissimos, optimos, & ditissimos in locum rejectorum Senatorum Romæ sufficí, eosdemq; non ex Italia modò, sed ex confœderatis & subditis desumendos, svadet: nisi qvòd verba ipsa Junii significare videntur, per Nobilissimos hîc primores & excellentiores intelligendos esse putet. Apertiùs autem rem profert *Ulpianus l. Nuptæ 12. §. 1. C. de dignitate ejus, qvæ secundò nupsit:* his verbis usus: Senatores accipiendum est eos, qvi à Patriciis & consulibus usq; ad omnes illustres viros descendunt: qvia & hi soli sententiam dicere possunt. Competere, sed non solis, arbitratur *Plutarch in Qvæst. Cent. Rom. T. 2. p. 621.* ubi rem interrogans ita enodat: Qvare Senatores partim Patres Conscriptos, partim simpliciter appellàrunt Patres? An eos, qvi ab initio centuriati in Senatum fuerunt à Romulo, Patres appellàrunt & Patricios: qvasi

qvi essent generosi: ut qvi Patres suos haberent monstrare: postea allectos ex popularibus Patres Conscriptos nominaverunt? Vide *Liv. lib. 1. dec. 1. p. 11. Lit. A. & p. 17. Lit. B C. lib. 2. p. 37. Lit. D.* Sed hos è senum numero lectos fuisse constat ex *Cic. lib. de Senect. T. 4. p. 544. Lit D. & Barthio in Pornobofcod. p. 358.* Hæc de Romanis. Moribus Germanorum variè defertur Senatoria dignitas. In civitatibus primariis, Noribergæ, & alibi, Patriciis hæc dignitas traditur. Alibi etiam Politici Nobiles ordinem Senatorium non respuunt. Francofordiæ certè Marchionum Generosi Dn. de Greiffenpfeil / Fratres duo non minùs prudentia, qvàm opulentia, maximè conspicui, Senatoris honorem cum Nobilitatis eminentia unire non recusârunt, virili in ætate Patriæ Patrum nomen non tam ambientes, qvàm commerentes: ab Augusto Imperatore ducti, delatum hoc rarissimum nomen summa modestia aversante. Aversandum verò putat *Ambros. in Responsor. ad Epist. 61. lib. 10. Symmachi p. 444.* inter Christianos, qvò gentilibus Senatoribus prophanæ deferatur voluntatis defectus: qvæ cum grano salis accipienda conjicio, scilicet de temporibus persecutionis Christianorum, ubi omnia, ut cum *Tacito lib. 1. Annal. c. 1. p. 3.* loqvar, vi, ambitu, & pecunia turbabantur. Nunc, ubi deficit persecutio interimentium, non qvidem cessat lingva adulantium: qvæ licet plus perseqvatur, qvàm manus interficientium, *si penes August. in Ps. 69. T. 3. p. 745. Lit. A. est fides:* tamen hanc facilius licet effugere, qvàm istam: qvòd illa vi, hæc contemptu

temptu & legibus, opprimatur. Nec obscurum est bonis, omnem, qvi probatos Senatui Viros suscipit, maximè Principem promereri. Sibi enim accrescere putat Princeps, qvod cuiq; istorum adstruatur: nullumq; in eo gloriam ponit, qvò sit omnibus major: nisi maximi fuerint, qvibus major est. *Plin. in Paneg. ad Traj. p. 102. Vide Besold. lib. 1. Polit. c. 7. p. 121. 122. §. 2. & 5. D.* Contzen *lib. 7. Polit. c. 8. p. 481. col. 1. §. 3.*

QVÆSTIO LXXXIII.

An Nobiles participes sint futuri salutis æternæ? Dist.

EQvidem, qvoties oculos in perditos & conclamatos mores non exiguæ partis generosæ nobilitatis hac tempestate conjicio: qvibus se lenonum qvorundam, & lurconum, alienæq; mensæ assectarum nefando ore & exemplo præcipitem agi in abyssum perditionis patitur: vix à lacrymis mihi temperans ingemisco, eos, qvi de Christi erant grege, ab eo horrenda apostasia deficere, & ad castra hostis, Christi nomini perqvam infensissimi, diaboli cæco impetu transire. Nam magnum prorsus & mirabile sacramentum est animæ suscitatio: *Bern. Serm. 2. de Resurrect. Dom. p. 171. Lit. M.* Nemoq; ex se malo bonum per seipsum facit: *August. de Gratia Christi contra Pelag. & Cælest. lib 1. c. 10. T. 7 p. 775. Lit. D.* Qvin audiamus Spiritum illum DEI sanctissimum, qvi ὁδηγήσει ἡμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν: id est: ducet nos in omnem veritatem. *Joh. c. 16 v. 13.* Is per optimum oraculorum Christi interpretem, Paulum (qvo nomine hic ipse honesta-

neſtatur ab *Iſid. Peluſ. lib. 2. Epiſt. 280. p. 221.*) his tremendis verbis omnium nobilium pectora ferire, & ad ſalutem ſuam ſeriis precibus qværendam commovere ſatagit ex *1. ad Corinth. 1. v. 26. 27. 28. 29.* Βλέπετε τὴν κλῆσιν ὑμῶν, ἀδελφοί: ὅτι οὐ πολλοὶ σοφοὶ κατὰ σάρκα: οὐ πολλοὶ δυνατοί: οὐ πολλοὶ εὐγενεῖς: ἀλλὰ τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ Θεός: ἵνα καταισχύνῃ τοὺς σοφούς: καὶ τὰ ἀσθενῆ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ Θεός: ἵνα καταισχύνῃ τὰ ἰσχυρά. Καὶ τὰ ἀγενῆ τοῦ κόσμου, καὶ τὰ ἐξουθενημένα ἐξελέξατο ὁ Θεός: καὶ τὰ μὴ ὄντα, ἵνα τὰ ὄντα καταργήσῃ: ὅπως μὴ καυχήσηται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτοῦ: i. e. Videte vocationem veſtrûm, fratres: qvòd non multi ſapientes juxta carnem, nec multi potentes, nec multi nobiles: ſed ſtulta mundi eligebat DEUS: ut pudefaceret ſapientes: & infirmia mundi eligebat DEUS: ut pudefaceret fortia: & ignobilia mundi, & nihili facta eligebat DEUS: & qvæ non erant: ut, qvæ erant, opprobrio afficeret: ne gloriaretur ulla caro coram ipſo. Hoc tamen oraculum divinum balſamo Evangelii edulcat Ampliſſimus ac Excellentiſſimus *Dn. D. Balduinus in Com. in hanc Epiſtolam & h. l. p. m. 76.* Salus eorum, qvi hujus mundi divitiis, nobilitate, potentia, aliisq; dignitatibus excellunt, non omnino deſperata: difficilis tamen atq; rara eſt: eò qvòd majora ipſis occurrant impedimenta, qvibus à ſtudio pietatis & ſimplicitate fidei avocantur. Et paulò pòſt: Solet tamen DEUS ſubinde etiam advocare aliqvos de pingvibus terræ. Non enim omnes nobiles rejecti, licèt non multi electi ſint. Videantur in hunc textum Hugo Cardinalis, Excellentiſſimi Viri D. Himmelius, Aretius, Crocius & alii: in *Pſ. 47. v. 10.* D.

Sel-

Selneccerus, D. Gesnerus, D. Cramerus. Plura his addere non lubet. Patres venerandi explicent dictum illud *Matth.5.v.3. & c.22. v.3.* qvæ nobilitati spem non adimunt salutis, mortalitati non subjectæ. Ad *Bernhardum* finiens provoco, viam ad eandem ita munientem *serm. 2. de Circumcis. Dom. p.31. Lit. M.* Hoc est salvationis nostræ principium, cum inspicimus respuere, qvod diligebamus; dolere, unde lætabamur; amplecti, qvod timebamus; seqvi, qvod fugiebamus; optare, qvod contemnebamus. Admirabilis planè, qvi hæc operatur admirabilia.

QVÆSTIO LXXXIV.

An Nobilitas ubiq; sit eadem? Dist.

ARist. *lib.1.Polit.c.6.T.2.p.385. Lit.B.* affirmat de Græcis dicens: ὀ μόνον παρ' αὐτοῖς εὐγενεῖς, ἀλλὰ πανταχοῦ νομίζουσι· τοὺς δὲ βαρβάρους οἴκοι μόνον. Non solùm apud seipsos nobiles, sed ubiq; putat: Sed apud Barbaros domi tantùm. Negat D. Liebenthal *in Colleg. Polit. Exercit.10. th.5. p.254.* Variam esse apud varias gentes nobilitatem persvasissimum habens ea de caussà, qvòd, cum ex Jure Civili magis, qvàm naturali, proveniat, secundùm mores & instituta civitatis ac gentis varietur. Distingvit *Cromerus lib. 1. de statu & gente Poloniæ p. 497.* qvoad formidandam Nationem Polonicam. Qvippe eidem jam Nobilitas pari dignatione est omnis. Nec ullum est Patriciorum in ea Comitúmve discrimen, exæqvata tempore qvodam omnium conditione. Nuper adeo paucis qvibusdam parentum, vel ipsorummet, amplitudine atq; meritis, & Principum beneficio, Co-

mitum decus partum est demum. Porrò ibidem à creatis Nobilibus, ait, obtineri & posſideri bona terrestria statuto qvodam novo non licere: sed posteritatem eorum pari cum aliis eqvitibus natis jure esse cepisse. Nobilisſimus *Dn. D. Cellarius in Succincta Polit. p.299. §.19.* alia aggreditur rem via, distinctione nodum solvi posse statuens hoc verborum apparatu: Inter nobiles parentibus à nobilibus natos alii sunt genere tantùm tales: qvi nimirum nobilitatis insignia sine virtute propria possident: qvos cum *Aristot. lib. 1. Polit. c. 6.* non incongruè domi tantùm & apud suos nobiles aliqvis appellare posset: alii genere simul & virtute tales, qvos ubiq; nobiles, cum *Arist. l. c.* aliqvis nuncupet: cum, qvocunq; terrarum venerint, nobilitas illa valeat. Secundùm *Aristot. lib. 3. Polit. c. 13.* est εὐγένεια τοῦ γένους ἀρετή: id est: Nobilitas est virtus generis. Ego, ut plurima in pauca contraham, ad Arist. Affirmativam regero, argumentari ipsum à Particulari, soliq; Græciæ, odio forsan Barbariæ, adscribere, qvod universæ omnino convenit Nobilitati. Imò dum Barbaris Nobilitatem domi tantùm adjudicat, vel eo ipso nobilitatem veram, &, qvam nuncupant Metaphysici, essentialem intra patriæ septa ipsis adstruit, patriâ unit alienam. Negativam sententiam nobilitari conjicio per fallaciam illam, qvæ dicitur à Dicto secundum qvid, ad Dictum simpliciter. Nobilisſimi Dn. Cromeri sententiæ nihil iniqvitatis me attulisse rear, si eandem sub Accidentis σόφισμα redegero. Ad Dn. D. Cellarii sensum accuratius respondendum mihi puto, primaq; fronte nego Generis Nobilitatem reperiri in orbe. Deinde virtutis seu Ethicam nobilitatem Politicæ esse basin, non

ipsam

ipsam nobilitatem, nullus dubito: ideo ens cum non Ente copulari posse prodigiosum mihi videtur. Ad Aristot. descriptionem excipio, & ipsam hallucinari, & medio sufficiente destitui, fieriq; inde Fallaciam, qvæ dicitur Petitio Principii. His ita præmissis, Nobilitatem in actu suo Formali perpetuò & ubiq; esse eandem affirmo. Qvippe ipsa se Forma eo segregat ab aliis omnibus, qvòd det Formato esse ultimum. *Scheibl. Parte 2. Operis Log. c. 5. p. 263. col. 1. n. 2. 3. p. 280. col. 2. §. 85.* Qvæ contra hæc opponentur, æqvivocam, vel (summum) analogicam qvandam nobilitatem vendent, inde nullius pretii habendam.

QVÆSTIO LXXXV.

An Fides in Nobili reqviratur? Aff.

Sunt non pauci virtutum sandapilarii, qvi mordicus tenent, fidem his temporibus non reqviri, Diriumq; imitantes sufficere credunt simulatam fidem, qvâ is ipse, omnium possessionum preciosissimam esse amicum fide & prudentia præstantem asserens, Histiæum dolosè ludere sategit: at vicissim Histiæi ludum non effugit, memorante *D. Christ. Matth. in Theat. Hist. p. 205. col. 1. & 2.* Ipsa natura viam omnibus præit, dum terram Atticam, omnium regionum Græciæ nobilissimam, fide nobilitandam censuit: inde nimirum plus seminis reddens qvàm acceperat: qvam terræ illius fidem sic appellat Rhetorum Romanorum facilè Princeps *Qvintil. lib. 12. O. J. c. 10. p. 714.* Menander elusit. Nec bruta laudabile hoc respuunt ingenium: tam qvæ secernuntur à feris, qvàm

qvæ domeſtica ſunt animalia. Pori ſane Regis Elephas, ſentiens, qvæ feræ eſt prudentia, Regem in acie contra Alexandrum M. graviter eſſe ſauciatum, multa jacula leviter & molliter proboſcide ſua evulſiſſe dicitur *Plutarcho de Animant. Comparat. T. 2. p. 404.* Canem etiam Xanthippi, Patris Periclis, *idem refert in Themiſt. T. 1. p. 38. col. 1. Lit. E.* fide maximè excellentem. Navim conſcenderat Xanthippus, extrarios inviſurus. Advertens hoc canis, dominum ſuum deſerere noluit. In mare proinde inſiluit, juxtaq; triremem natando Salaminam pervenit: ubi ſtatim exanimatus exſpiravit: eodemq; loci humatus eſt, qvi poſtea κυνόσημα, id eſt, canis ſepulcrum, dicebatur. De eodem animante *Cardan. de Arc. Prud. Civil. c. 73. p. 279.* id nunqvam eſſe proditorem. Rationem rei inveniſſe non abs re credo *Calvetonem in notis in Benzonis lib. 3. Hiſt. Nov. Orbis c. 5. p. 295.* qvi miſericordiam, & *Joannem Lerium in Hiſt. Navigat. in Braſiliam lib. 3. p. 207.* qvi humanitatem ejus mirum in modum commendat. Diris contra ea & exſecrationibus omnibus digna eſt perfidia Cloëti, nobilis adoleſcentis: qvi Noveſium cum 1000. bellatoribus tuebatur. Hunc ipſum Dux Parmenſis ob fidem violatam laqveo necari, & è feneſtra ſuſpendi juſſit, fidem vindicante *Thuano lib. 85. p. 122. Lit. E. & F. & p. 123. Lit. C. D.* Næ ἀρετῆς καὶ φιλοσοφίας ὅρον nuncupat *Iſid. Peluſ. lib. 2. Epiſt. 112. p. 165.* τὸ μετὰ συνέσεως ἄπλαστον, hoc eſt, Virtutis & Philoſophiæ metam ac regulam ſimplicitatem cum prudentia conjunctam. Proinde, *Gvicciardinus, Nobilis Florentinus in Hypomneſ. Polit p. 284. §. 21.* commodè ait, laudari candidi apertiq; ingenii ho-

minem

minem ab omnibus: utpote qvæ virtus genuina generositatis nata sit: ut aliqvando damnosa fuerit. Contra ea verò licèt simulatio utilis esse videatur, exosam tamen esse, & aliqvid turpitudinis habere statuit idem, & ob versuta improbaq; aliorum ingenia tantummodò necessariam. Nec ullis Simulatoribus patrocinatur exemplum Ludovici XI. Galliarum Regis, qvi Filium suum Carolum scire Latine vetuit, præter illud: Qvi nescit dissimulare, nescit imperare. *Durus de Pastolo in Aulico-Politico p. 226.* Nam παραίνεσιν mox *idem addit p. 227.* his verbis: Sed tu cum Philosopho:

Nec dissimula, nec simula: hoc MALIS relinqve.
Ajunt: Simulanti simulato: ast ego contra:
Nunqvam simula: nec mala te malum esse cogant.

Vid. Lehm. in Annal. Spir. lib. 7. c. 96. p. 913. col 1. Lit. C. D. D. Zincgr. Parte 1. Apophthegm. German. p. 52. Fidem qvoq; Christianam s. religionem, qvam à Britannia primùm receptam esse retur *Vossius in Dedicat. præmissa lib. de Arte Grammat. p. 5 6.* nobili non esse negligendam, ex rei natura intellectu non est difficile. Qvippe de ea ita *Augustissimus Augustin. in Qvæst. in Utrumq; Testam. mixtim. Qvæst. 102. T. 4. p 792. Lit. D.* Nullius, inqvit, adjutorio, sed unusqvisq; fide sua salvatur: Et *Bernh. serm. 4. de Ascens. Dom p. 203 Lit. G.* Qvicqvid sine fide præsumitur, non est ulla animi solida magnitudo, sed ventosa qvædam inflatio, & timor inanis: Et *is ipse Serm. 3. in die S. Andreæ p. 330. Lit. D.* Cor est in peccatore, anima in

corde, mens in anima, fides in mente, Christus in fide. *Vide Eundem serm. 2. de Resurrect. Domini p. 169. Lit. F. & p. 170. Lit. D.* Religio vetat, ne silentio prætercam Cedro digna verba *Nobilissimi Politici Dn.* Schönbörners/ qvibus ad religionis amorem, altiùs animis generosæ Nobilitatis, infigendum utitur *lib. 2. Polit. c. 11. p. 258. 259.* Summum illud & æternum Numen neq; mutabile, neq; interiturum, qvod interest animis nostris, & cogitationibus mediis intervenit. Ex qvo omnia, per qvod omnia, in qvo omnia rectè agnoscere, & sincerè colere, fundamentum est & columna totius Reip. Hac sola virtute universa hominum constat societas: hic murus aheneus, hoc propugnaculum, hoc tutamen est, hac sola Romana gens orbem terrarum subegit. Hanc si tollis, vita hominum stultitia, scelere, immanitate complebitur. Utriq; autem, tam qvi imperant, qvàm qvi parent, arcta qvadam catena inter se devincti, magnum imperio robur & fulcrum addunt, si non fictè, non perfunctoriè, non superstitiosis animis religionem tueantur & propagent: magnam econtra ruinam eidem & stragem accersunt, si susceptæ fuerint, contrà qvàm fas est, impiæ religiones. In qvam nudam vim majestatis valere ait *Hornius lib. 2. Polit. c. 5. p 329. 330.* nisi qvatenus commendatur subditis. Nam, *juxta Ambros. in Responsor. ad Epist. 61. lib. 10 Symmachi p. 442.* nihil majus est religione, nihil sublimius fide. Ideo nemo cogi potest, ut credat invitus. *Cassiodorus lib. 2. Ep. 28. p. 45.* Herodianaq; malitia est & Babylonica crudelitas, nascentem velle exstingvere religionem, & allidere parvulos Israëlis. Siqvid

enim

enim ad salutem pertinens, siqvid religionis oritur: qvicunq; resistit, qvicunq; repugnat: planè cum Ægyptiis parvulos Israëlitici germinis necare conatur, imò cum Herode nascentem perseqvitur Salvatorem. *Bern. Serm. 3. in Epiph. Domini p. 35. Lit. D.* Cujus libertas in Comitiis Augustæ Vindel. Anno 1555. habitis immediatæ Nobilitati parta est *per Recess. Imperii p. 400. §.* Und in solchem. *In pacis Svecicæ instrumento punctos. n. 12.* Statibus imperii reddita. *Sprenger. lib. 2. Inst. Juris publ. c. 3. p. 204. Vide Limnæi lib. 6. de Jure Publ. c. 3. n. 37.* Amantem hujus fuisse cum D. Jacobum de Saltz / dynastam ducatus Glogoviensis, post Episcopum Silesiæ, tum Balthasarum de Promnitz, nobilem ex districtu Freistadiensi, prioris Successorem, satis constat: qvod moderationem eorum erga confessores doctrinæ Evangelicæ jam nascentis admodum prædicat *Excellentissimus Dn. D. Joachimus Curæus in Annal. Siles. p. 398.* tum etiam Thomam Morganum, nobilem Anglum, qvi ob religionem exulavit, docet *Thuanus lib. 79. p. 684. Lit. C.* Finiturus tandem Qvæstionem accedo ad fidem datam religiosè etiam nobili habendam. Videtur qvidem qvibusdam hodie Pseudo-Politicis, & honestatis decoctoribus prudentiæ genus, multa promittere, ad rem verò manus emortuas ostentare: qvod solemne fuit Antigono, sibi nomen per dilationem promissorum parientis DATURI: *Plutarch. in Æmilio Paulo p. 69. T. 1. col. 2. Lit. E.* Et *Excellentissimus Dn. Rupertus in Mercurio Acad. p. 27.* ut & Parthis, qvibus in dictis atq; factis nulla exstitit Fides, nisi qvatenus expediebat. *Justin. lib. 41. c. 3. p. 315. n. 10.* Sed cum jure meritò laudetur,

detur, & inter maxima humani generis bona fides colatur: *Sen. 5. de Benef. c. 10. p. 89.* langvor iste astusq; turpis est & bonis odiosus: *Card. de Arcanis Prud. Civil. c. 97. p. 439.* summæq; specimen improbitatis, candoris specie & ingenuitatis fel suum maximè tegere. *Plutarch. de Herodoti Malignit. T. 2. p. 693.* Certè Germani, populus liber, *Sen. 2. de ira c. 15. p. 566.* nec ab astutia & calliditate, sed à detecta & nuda omnium mente celebratur *Tacito de Moribus Germ. cap. 7. p. 617.* Ab eadem se commendari voluit & hostibus C. Julius Cæsar. Obsidione cinxerat ipse Ataguam, opidum: Ataguaniq; Legatos ad eum miserant, promittentes, fore, ut se inseqventi die Cæsari dederent, si ipsis vitam concederet. Qvibus Cæsar respondit, se Cæsarem esse, fidemq; præstaturum. Qva re perfecit, ut ante diem XI. Cal. Martii opido potiretur, Imperatorq; appellaretur. *A. Hirtius de Bello Hispaniensi c. 2. p. 589.* Qvem imitetur qvisq; Nobilium, Nobilem se ratus, cui conveniat præstare fidem.

QVÆSTIO LXXXVI.

An Nobiles possint fieri Clerici? Aff.

SAcerdotium hac tempestate profectò videtur iis, qvi de eo ex ingenio ejus judicium ferre commodum nesciunt, res floccifacienda. Cum enim, (ita qverentem lego *Bern. serm. 3. in die S. Andreæ p. 332. Lit. M.*) proh dolor! alicubi (excipio meritissimo scientiæ & virtutis suæ fiduciam habentes Antistites, Ecclesiastas,

&

& Pastores) pestilentialis morbus excreverit, ut præficiantur Ecclesiis, qvos nec scientia, nec vita commendet: cæci duces cæcorum, & præcipitati ad præcipitium perducentes: legimus, & qvotidianis etiam experimentis discimus, cujus vita despicitur, restat, ut prædicatio contemnatur. *Bern. serm. 1. de Convers. Pauli. p. 39. Lit. D.* Et qvi olim aurei æstimabantur, hôc tempore lignei dicuntur. *D. Casp. Fink. in Qvæst. illustr. sect. 3. p. 1059. &c.* qvanqvam alia διανοίᾳ hæc verba Scriptor Amplissimus interpretetur. Nihilominus non vereor ulla ratione, qvin ad Qvæstionem hanc enucleandam & tuendam transeam. Apud Germanos non est insvetum, nobiles, præsertim de familia Pontificis Romani, defungi sacerdotio, & Clericos fieri. Nam ibi in majora capitula in Canonicos non nisi nobiles, & qvidem tales, qvi suam familiam juratò docere possunt, von 16. Ahnen / admittunt. Qvanqvam jus Canonicum aliàs nobilitatem non adeo curet. *Spreng. lib. 2. Instit. Juris publ. c. 31. p. 293.* Capitolum Moguntinum ex 42. Canonicis constat, qvi Nobiles sunt, & ante receptionem 8. Ahnen tam ex paterno, qvàm materno latere demonstrare tenentur: ex qvibus 24. cum Præposito interius consilium constituunt, ex qvo Episcopus eligitur. *Id. lib. 3. Instit. Juris publ. c. 1. p. 385.* Ad Episcopatum Eichstetensem ab Anno 1429. non nisi nobiles, unico interjecto Comite de Pappenheim/ admissos esse refert, nonnullorum etiam nomina simul recenset *Id. l. c. c. 30. p. 410.* Capitulum Tridentinum, qvod Episcopum eligit, partim ex Nobilibus, partim ex Li-

teratis conſtat. *Id. l. c. p. 415.* Canonici in Epiſcopatu Monaſterienſi debent eſſe de 8. Nobilibus Anteceſſoribus, vulgò Ahnen von Vater und Mutter: qvod, prout in cæteris Cathedralibus Germaniæ (NB. contraria hinc inde repugnat experientia) fit, anteqvam recipiantur, documentis & juramento confirmare debent, & ſimul, ſe per annum in Italia & Francia ſtudiis incubuiſſe. *Id.l.c.p.416.* In Epiſcopatu Leodienſi,ibidemq; in S. Huberti monaſterium, nemo cooptatur, niſi Nobilis, vel Licentiatus ſ. Doctor *Id. ibid. p. 417.* In Abbatia Campodunenſi omnes Monachi nobiles ſunt, & nobilitatem ſuam per 8. gradus, vulgò 8. Ahnen demonſtrare tenentur. *Id. ibid. p. 419.* Biturigis Sulpitius, Nobilis qvidam inſignis, Epiſcopatum nactus eſt. Lehm. *in Annal. Spirenſ. lib. 2. c. 41. p. 166. col. 2. Lit. C.* Qvin & apud eandem gentem metu belli Nobiles Clericorum perſonas induebant. *Id. lib. cit. c.43.p.178.col.2. Lit.E. & p.179. Lit. A.* Nobilis qvidam de Köckritz Epiſcopatui Miſnenſi non ſine auctoritate præfuit. *Dreſſer. in Poligraph. p. 119.* Scriptor ille plenus antiqvæ & reconditæ doctrinæ Tertullianus,ita laudatus à *Lipſio lib.5. Epiſt.Qvæſt. Epiſt.9. p.324.* Carthaginenſis, Patriæq; ſuæ, Epiſcopus, nobilis fuit inſignis, & ſcripſit de Præſcriptione contra Hæreticos. *Calviſ. in opere Chronol. p. 484. col.2.* cujus verba repetit *D.Chriſtian.Matthiæ in Theat.Hiſt.p.589.col.2.* De Tertulliano videndus *D. Chemnit. in Orat. de Lect.Patr. p. 3. in Loc. Comm. col. 1.* Daniæ qvoq; id inſtitutum eſt, ſi credendum eſt *incomparabili Dn. Conringio* (qvo elogio Vir Nobiliſſimus celebratur ab *Hornio lib. 2. Polit. c.1. p.324.*) *c. 1. §. de Origine Juris Germanici p. 156.* Id qvod probat *Arnoldus tunc temporis Lubecenſis Abbas lib.3. Chron. Sclavorum.*

c. 5.

c. 5. his verbis: Scientia qvoq; non parum profecerunt Dani. Nam Nobiliores terræ, filios suos non solùm ad Clerum promovendum, verùm etiam secularibus rebus instituendos, Parisios mittunt: Ubi literatura & idiomate lingvæ terræ illius imbuti, non solùm in artibus, sed etiam in Theologia, multùm invaluerunt. Siqvidem per naturalem lingvæ celeritatem non solùm in argumentis Dialecticis subtiles inveniuntur: sed etiam in negotiis Ecclesiasticis tractandis boni Decretistæ seu Legistæ comprobantur. Ipsum qvoq; Constantium Imperatorem Nobilibus decrevisse sacerdotia, *Symmachus lib. 10. Epist. 61. p. 415.* autor est. Qvin & Regem Nemorensem fuisse sacerdotem, *Svet. in C. Cæsare Caligula c. 35. p. 232.* refert, eundemq; eidem multos jam annos potito sacerdotio validiorem adversarium subornâsse. Nec diffitetur *Plutarch. de Iside & Osiride T. 2. p. 48.* Ægyptiorum qvoq; Reges in sacerdotio curando fuisse occupatos. Druides Galliæ Regibus non erant impares, *Cæsar. lib. 7. de bello Gallico. c. 4. p. 158. 159.* In Cappadocia tandem sacerdos Bellonæ majestate, imperio, & potentia secundus à Rege, consensu gentis illius habebatur: qvod officium Nicomedi Bithynio adjudicatum est: qvi, Regio Cappadocum Genere ortus, propter adversam fortunam Majorum suorum, mutationemq; generis, jure minimè dubio, vetustate tamen intermisso, sacerdotium id repetebat. *A. Hirtius de Bello Alexandrino. c. 10. p. 500.* Nostris moribus Clericatus despectui Nobilitati videtur, ob egestatem, qva plerunq; Clerici premuntur, ne nimirum ditescentes ad Pontificatum adspirent. Unde à vetustate remotiore petitum videtur nostro seculo prodigium Nobilis Clericus.

QVÆSTIO LXXXVII.

An Nobiles constituendi sint aulici Principum ministri? Aff.

NEgativa sententia scutum sibi qværere potest ab Aulo Vitellio, Romanorum Imperatore, qvi, pronus ad cujusqve, qvacunq; de caussa, necem atq; supplicium, nobiles viros, omnibus blanditiis tantùm non ad societatem imperii allicefactos, vario genere fraudis occidit: etiam unum veneno, manu sua porrecto, in aqvæ frigidæ potione, qvam is, affectus febre, poposcerat. *Suet. in Eod. c.14. p.378.* Adhæc Eqvitem Romanum proclamantem: cum raperetur ad pœnam: Heres meus es: exhibere testamenti tabulas coëgit: utq; legit, coheredem sibi libertum ejus adscriptum, jugulari cum liberto imperavit. *Id. p. 397.* Maximinus item Pater Nobilem circa se neminem est passus, prorsus ut Spartaci aut Athenionis exemplo imperaret. *Julius Capitolinus T. 2. Hist. August. p. 410.* Meminerat forsan, se Romæ, etiam à servis Nobilium contemptum esse ita, ut ne à Procuratoribus qvidem eorum videretur. *Id. ibid. p. 400.* Næ scutum perforatum! qvo argumento non parabitur incolumitas. Pulchrè ait *Plin. in Paneg. ad Trajan. p. 72.* Nescio, an plus moribus conferat Princeps, qvi bonos esse patitur, qvàm qvi cogit: & *Id. p. 74.* Discimus experimento, fidissimam esse custodiam Principis, ipsius innocentiam. Hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Nemo ferè est, qvi ad cædis mentionem non exhorrescat, & aversetur eum, à qvo illa perpetrata dicitur. *Muret. lib. 7. Var. Lect. c. 23.*

c, 23. p. 181. Tremendam illam legem omnibus jussit, omnibus promulgari præcepit divina Majestas *Exodi 20. v. 13.* NE OCCIDITO. Et generale est axioma, qvod inculcat *Symmachus lib. 10. Epist. 70. p. 425.* Provisum est, neqvis temerè in alieni capitis discrimen irrueret, nî se idem priùs pœnæ sponsione vinciret. Ad posterius regero argumentum cum *Card. de Arcan. Prud. Civil. c. 111. p. 521.* Ea, qvæ infamiam, aut jacturam magnam tibi non pariunt, noli vindicare. Est enim furiosi: voluptasq; vindictæ momento perit, misericordiæ durat in perpetuum. *Barth. in Pornoboscodidascalo p. 84.* Ideo nemo pereat, nisi qvem perire etiam pereuntis intersit. *Seneca 1. de ira c. 5. p. 540.* Qvocirca firmiore talo consistere posse autumo sententiam, qvæ aditum parat Nobilitati generosæ ad percipienda & obeunda munera aulica. Constat nimirum lippis & tonsoribus, vel intra pomœria invictæ Germaniæ officia aulæ excellentiora committi plerunq; Nobilibus. Certè Regibus Francorum Nobiles adsciscebantur ad potiundum officiis aulicis. Lehm. *in Annal. Spirens. lib. 2 c. 15. p 78. col. 1. Lit. A. B.* In Episcopatu Brixiensi Spartam Pincernæ aulici Nobili de Thum hereditariam esse me docet *Spreng. lib. 3. Instit. Juris publ. c 10. p. 416.* Eodem officio Hermannus Landgravius Hessiæ Anno 1370. Nobiles de Berlebsch donavit, *referente eodem lib. cit. c. 20. p. 445.* Eidem propugnandæ adsurgit Lehm. *in Annal. Spirens. lib. 2. c. 19. p. 91. col 2. Lit. E.* Auß den Adelichen Geschlechtern hat man erwehlet die Fürsten des Reichs / die man damals Grafen / Graviones oder Comites genennet. Daher in den Teutschen Rechten ein sonder Gesetz verhanden / daß sie die Reichs-Verfassungen

mit Fleiß studieren und begreiffen sollen / damit sie zur Regierung der Hertzogthum / Graffschafften / und Verwaltung der Städte mit Nutzen und Lobe gezogen werden können. Invictissimum pariter Imperatorem Romano-Germanicum constituere Consiliarios Imperiales aulicos partim Nobiles & Comites, partim Doctores, religione pariter mixtos: accedere qvoq; Consilium Bellicum, Cameræ, Ecclesiasticum, Conscientiæ, Confiscationis, inculcat *Spreng. lib. 1. Instit. Juru publ. c. 12. p. 57.* Idq; qvasi lege firmatum esse persvadet *Capitulatio Ferdinandi III. p. 368. §. 15. Ferdinandi IV. p. 443. §. 41. & Leopoldi I. p. 518. §. 4.* Qvod justè fieri defendit *Vernul. lib. 2. Instit. Polit. Tit. 10. c. 1. p. 217. 218.* Cum qvòd ministrorum celebritas Domino procreet famæ illustris augmentum: tum qvòd Nobilium eò dignitatis & eminentiæ provehendorum animi excitentur ad honestatem sectandam. Nam generosissimi cujusq; virtus pretium nullum laborum periculorumq; suorum desiderat, honoris præter & gloriæ. *Besold. lib. 2. Polit. c. 2. p. 596.* & præmia omnem vitam & societatem continent, & vinculum sunt & coagulum Rerumpubl. *Lips. lib. 5. de Milit. Rom. Dial. 17. p. 328.*

QVÆSTIO LXXXVIII.

An Nobilis admittendus sit ad Consiliarii Principis dignitatem? Aff.

NUlli dubium esse potest, qvin Nobili sit reserata janua tanti splendoris. Scrupulum enim omnem eximunt Recessus Imperii de Anno 1550. p. 37. §. Die andere. §. Wie Sechs. & p. 39. §. Und nach dem.

dem. Hos excipiat legis inſtar conſvetudo Nervæ Cocceii Imperatoris, qvem tradit *Dion Caſſius T. 2. Hiſt. Auguſt. p.10.* nihil unqvam de ſuo arbitrio ſtatuiſſe, ſed Principes viros ſemper in conſilium adhibuiſſe. Conſtat qvoqve, indice *Ælio Spartiano in Adriano Cæſare T. 2. Hiſt. Aug. p. 63.* Eundem & Senatores, & Eqvites Romanos in conſilium vocâſſe. *Vide Eundem p. 75. & Colerum de ſtudio Polit. p. 172.* Lehm. *in Annal. Spirenſ. lib. 2. c. 12. p. 75. col. 2. Lit. E. & p. 76. Lit. A. B. C.* Nemo eſt tam ſubducta ratione, qvi aliqvando falli neqveat. Inde prudentes viri ſunt adhibendi, monitore *Caſtellano lib. 1. de Off. Reg. c. 50. p. 115.* Nobilem autem prudentem eſſe, præſertim ad Principis aulam conſilii dandi ergò accitum, non ſinit me dubitare *l. 2. §. 43. ff. de Orig. Juris*, qvi turpe eſſe cenſet patricio & nobili, jus, in qvo verſetur, ignorare: qvòd & inſuper ejusmodi è cœlo tranſcendiſſe credantur, *Macrobio aſſerente lib. 1. in Somn. Scip. c. 11. p. 67. 70. 71.* Imò *Spreng. lib. 1. Inſtit. Juris Publ. c. 27. p. 136.* retur, vel Juvenes, nobili ſtemmate oriundos, perſpicacioris interdum ingenii eſſe, qvàm Senes, *per l. præcipiunt ff. de ædilitio edicto.* In his enim bona educatio, & continua cum exqviſitisſimis ingeniis familiaritas, ætatem ſupplent, ut eos potius vita & merita, qvàm ætas, ſenes faciant. Mentem autem, & rationem, & conſilium in ſenibus eſſe, nemo negaverit, niſi qvi neſcius ſit ſagaciſſimi ingenii, qvo admirabilem ſe probavit Conſul Romanus, tradens hæc *de Senectute T. 4. p. 554. Lit. F.* niſi qvi ignoret, qvod *Amm. Marcell. lib. 16. c. 24. p. 83. ait*: Negotiis difficillimis ſæpè diſpoſitionem tempeſtivam proſpexiſſe, & ſtatum nutantium rerum recto conſilio, in bonam partem accepto, aliqvoties divina remedia reparâſſe.

QVÆ-

QVÆSTIO LXXXIX.

An Nobilis constituendus sit Dux Belli? Dist.

AFfirmativa placet *Vernul. lib 3. Instit. Polit. Tit. 6. c 2. p 370. Adam* Contzen *lib. 8. Polit. c. 20 p. 608. col. 2.* ob insequentia adminicula. Scilicet incognitum non est, neminem tam projectæ esse conditionis militem, qvin maluerit Duci obseqvi nobili, qvàm ignobili. Deinde universi omnes aversantur eum, qvi nec sua dignitate se tuetur, nec majorum gloria resplendet. Qvid? qvòd Nobilis videtur natus ad imperandum & militandum. Nec spes decollat nervi rerum, qvo Nobilis exercitum juvare potest. Qvin videtur atrocior & venerabilior hosti & sociis suis Nobilis, ac obscuro loco natus. Nobilis etiam tueri potest Principis sui Celsitudinem. Qvæ argumenta, ut prima fronte applausum meruisse viderentur, successu temporis labant, accuratius ponderata. Nam primum in commodo medio apprehendendo labitur, & Accidens sistit pro Formali. Obseqvium à milite Duci præstitum, non ingreditur essentiam Ducis, sed congeries caussarum debitarum. Secundum consimili medio deteritur: Particulare enim pro Universali se ingerit. Tertium ad Accidens recurrit, & rarò contingenti sese fulcit. Fortitudo enim, & industria, & ad bellum prompta mens, tam in Persas, qvàm in altè cinctos cadit: *Sen. Ep. 33. p. 78.* & paucos viros fortes natura procreat: bona institutione plures reddit industria. *Ex Vegetio Saaved. in Symb. Polit. p. 663.* Eodem qvoq; tibicine solidatur qvarta ratio. Num qvid à divitiis subsidii speres? Qvæ aliena sunt nobis: qvia præter naturam sunt, neq;

neq; nobiscum nascuntur, neq; nobiscum transeunt. *Ambros. lib. 8. in Luc. c. 16. T. 6. p. 126. Lit. F.* Nec aura veris levior potest esse qvinto firmamento. Siqvidem hostis non ortum formidat & sangvinem, sed certamen, cui se adversarius profitetur. *Cypr. Tr. 3. de Simplicit. Prælat. T. 1. p. 373. Lit. B.* nec ullus in bello sibi jungi cupit stemma nobile, sed in virtute sibi associat consortem. *Bernh. serm. 27. in Parvis p. 454. Lit. E.* Ultimum argumentum liberale est ex alieno, & confert alii, qvod acceperat. Princeps Magnus patrio more, patria virtute lætatur, & sine æmulo, ac sine exemplo secum certat, secum contendit, ac, sicut imperat solus, ita solus est, qvi debeat imperare. *Plin. in Paneg. ad Trajan. p. 31. Perezium jam sisto, de Jure Publ. p. 228. 229.* Qvæstionem intra hæc septa solvere molientem: Plures, inqvit, svadent, præficiendum non nobilem, sed providum, & rei militaris peritum. Si enim tantùm Majorum nobilitate resplendeat: eum hostis despiciet: & miles proprius imperio non parebit: ut accidit Vitellio, qvi missus Galbæ aderat, Censoris Vitellii, ac ter Consulis filius: idq; satis videbatur, ut exercitum regeret. Verùm etsi superato Ottone Imperator fuerit: tamen, rebus ejus declinantibus, qvando arma cepit Vespasianus (*Tacit. lib. 1. Annal. & 2. Historic.*) nihil omnino potuit: qvia ignarus militiæ, improvidusq; consilii, ad omnes nuncios vultu & incessu trepidus, deinde temulentus. Grande tamen tunc momentum addidit Antonius, pace pessimus (*Saaved. Symb. 17. p. 211.*) bello non spernendus. Erat hic non stirpe clarus, sed rei militaris peritus. Non auctoritas sangvinis, sed fortitudo & industria hostem fundit. Plurimi tamen fa-

ciendam censeo sangvinis nobilitatem: cui libentius, qvàm novis hominibus, milites nostri obtemperent: modò conjuncta sit rei militaris peritia, & regendi disponendiq; aciei dexteritas. His faveo, hæc ita contraho verbis *Plutarchi in Cornel. Scip. p. 330 T. 1. col. 1. Lit. D.* Imperatorem exercitûs non minùs liberalitate, & domesticis virtutibus, qvàm bellicis artibus, ornatum esse oportet. Est enim belli finis victoria: cujus fructus maximè in liberalitate & clementia consistit. Hinc ducum gloria, hinc Imperatoriæ laudes emanant. Hinc minimè excludo gnarum rerum militarium nobilem, prælaturus illum, ubi se præbuerit occasio.

QVÆSTIO XC.

An Nobili dignitas Legati sit committenda? Dist.

DEfendendæ Qvæstioni fundamenta substernit ipsa experientia. In dubium enim venire neqvit, HENRICUM III. Galliæ Regem Annô 1483 Romam Ludovicum Castaneum Abennium, virum nobilem, misisse: *Thuani testimonio lib. 78. p. 633. Lit. A.* Et Helvetios ad C. Jul. Cæs. legatos misisse nobilissimos civitatis (nisi vox hæc hic celebritatem & excellentiam, ut sæpè alias, signet) ejusq; legationis Principem locum Numeium & Verodoctium obtinuisse, ipse *Cæsar* locuples testis est *lib. 1. Belli Civilis c. 2. p. 5.* Vide & *Excellentissimum Dn. Kirchmajerum in Com. in Taciti Germ. p. 228. Vernul. lib. 2. Polit. Instit. Tit. 5. c. 4. p. 181.* ad rationem transit, eâ nobili munus Legati arduum imponendum esse, ne dignitas tanta vilescat. Præterea invidiam expugnari

posse

posse Nobilitatis, si ad illud honoris culmen sibi non amputatam esse occasionem adverterit. Tandem etiam hoc ipso ornamento, Nobilibus delato, suspicionem ejici animis Nobilium contemptus sui. Ad primum excipio, dignitatem collocari à Principe in futuro Legato, nec qvicqvam ornamenti posse redundare in Principem. Legatum definit *Horn. lib. 2. Polit. c. 8. p. 376.* hominem, cui Princeps Regiam (vel potius suam) personam induit, eumq; dignitate maxima & illustri potestate ornat. Generali hac definitione repræsentat procul dubio Nobilissimus Dn. Hornius & Nobilem, & ignobilem, qvoad Subjectum denominationis: eò qvòd nec solius Nobilis, nec solius ignobilis, sed citra determinationem in communi appellatione acqviescit: innuens eo ipso nec minui Legati auctoritatem in plebejo, nec efferri & augescere in Nobili. Nam Principis auctoritate eadem uterq; effulget. Nec adeò magni momenti argumentum secundum esse credo. Nam & fieri potest, ut, qvòd tritum sermone habet Proverbium, & figulus oderit figulum: recteq; omnino canit *Plaut. in Bacchid. act. 3. sc. 6.*

Nullus est, cui non invideant rem secundam obtingere.

Tertium qvoq; argumentum tanti commatis non est, ut vel propterea obscuris parentibus orto negetur dignitas Legati. Singulare enim ingenio suo non est proclive ad recipiendum universalitatem, licèt Prædicatum videatur commune. Contemptus, qvo unus inqvinatur, proprium est in strictiore significatu: nec ejus consors, nec appetens est, qvem ille non ferit. Nec à vero me declinaturum esse spero, si pro vera caussa

alienam hîc se ingerere statuero. Tandem in rem præsentem venturus, nullum Legatum, sive Nobilis sit, sive de plebe, Nobilitate, eaq; Politica, ast ab ea, qvam hîc definio, toto cœlo differente, destitui censeo. Princeps eam donat, unde omnis nobilitas; tanqvam justa scaturigine sua, pleniore alveo profluit. *Perez. de Jure Publ. p. 277. D. Cellar. in Polit. succincta. p. 209. 210. §. 6. Arnis. lib. 2. de Jure Majest. c. 5. p. 359. D. Christ. Matthiæ lib. 3. Syst. Polit. Exercit. 3. sect. 4. Theorem. 1. p. 364.* Sancti etiam sunt & inviolabiles. *Pompon. l. ult. ff. de Legat. & Ulp. l. 7. ff. ad L. Jul. de vi Publ. Cæsar. lib. 3. de Bello Gallico. §. 2. p. 70. 71. D. Cellarius in Polit. succincta p. 210. §. 7. Schönbörn. lib. 3. Polit. c. 27. p. 322. Wendel. lib. 2. Instit. Polit. c. 15. th. 8. p. 210. 211.* Eminent Legati inter Administratores seu Curatores summæ potestatis. *Horn. lib. 2. Polit. c. 2. p. 230. 231.* Objecto utroq; prærogativam qvoq; sibi conciliant. *Videatur Casp. Ens in Schola Polit. Classe 2. Axiom. 8. l. 17. ff. de off. Præsidis. Tholosanus lib. 17. de Rep. c. 4. n. 13. Keckerm. lib. 1. Syst. Polit. c. 29. p. 37. Cæsar lib. 3. de Bello Civili c. 10. p. 406.* Nec res ab iisdem præclarè gestæ Spartam hanc extenuare poterunt. Vide *Lazarum Soranzium in Proœm. in Ottoman. suum. p. 3.* Illustris hæc Sparta autem est temporaria nobilitas, non transit ad Familiam Legati, & multis privilegiis caret, qvibus vera gaudet Nobilitas Politica. Hæc ita probanti mihi succurrit Sententia *Dn. D. Ottonis in Dissert. Juridico-Polit. de Jure Publ. Imp. Rom. c. 14. p. 515.* statuere sustinentis, personam Legati eam esse demum idoneam, qvæ, præter cætera, etiam generis nobilitate decorata sit. Mentem animi sui tranqvillat exemplo Aureliensium, qvi ad se missum Tonsorem Legatum à Ludovico Galliæ Rege tantùm non vita privarunt. Cederem

Viri

Viri auctoritati, nisi tot exempla in sententiam ejus me armarent, demonstrantia plus satis, plures mitti à Summis Principibus Legatos, nobilitate non radiantes, qvàm ea decoratos: id, qvod comitia Ratisbonensia, necdum finita, perspicue probant. Nec repugnat ratio, Nobiles æqvè, ac Ignobiles, dignos fore hoc celsissimo munere, modò perinde illi non destituantur Virtutibus, Legato in tam arduo negotio convenientibus, ac isti. Nam qvemadmodum ἡ θεία χάρις τὴν ἀρετὴν πανταχοῦ στεφανοῦσα: id est: Dei gratia virtutem ubiqꝫ coronat: *Isid. Pelus. lib. 4. Ep. 77. pag. 38.* ita etiam Magnates, qvos sua juvat virtus, magnum sibi nomen faciunt, teste *Livio lib. 1. Dec. 1. p. 7. Lit. D.*

QVÆSTIO XCI.

An Nobilis admitti debeat ad gubernacula Rerumpublicarum? Aff.

LEx me ad amplectendam hanc Qvæstionem stimulat, qvæ ab eo, qvi potestatem eam condendi habet, profecta, necessarium argumentum struit, judicio *Magnifici & Consultissimi Dn. D. Brunnem. Patriciæ ætatis verè Patris, ut & affectu certo reverenter suspiciendi, in Enchir. Log. lib. 3. Memb. 2. cap. 2. pag. 394. Ea est 14. ff. de Muner. & Honor.* laudante ad hanc Qvæst. firmandam *Sprenzer. lib. 1. Instit. Juris publ. cap. 8. pag. 43.* Licèt non sit dissimulandum, hanc l. non planè commodè huc accommodari, à centesimo lapide petitam. Verbis clarioribus eam expressit Invictissimi Imperatoris Germaniæ LEOPOLDI I. *Capit. Art. 41. Citante Spreng. lib. 1. Instit. Juris publ. cap. 28. p. 151.* Die Käyserl. und des

Reichs Aempter am Hofe und sonsten im Reich sollen mit Teutschen Reichs-Fürsten/ Grafen/ und Herrn/ vom Adel/ und die sonsten tapfferen Herkommens sind/ besetzet werden. Legem ipsam excipiunt exempla, consvetudinem monstrantia.] Nobiles de Rummel nimirum Præfecturam Civitatis Imperialis Roßheim jure feudi perpetui possident. *Spreng. lib. 3. Instit. Juris publ. cap. 32. p. 495.* Lehm. in der Speyer Chron. *lib. 2. c. 19. p. 91. col. 2. Lit. E. c. 39. p. 156. col. 1. Lit. D. c. 6. p. 67. col. 2. Lit. D. Thuanus* hæc suo comprobat calculo *lib. 79. p. 633. Lit. A.* ubi memorat, HENRICUM III. Galliarum Regem Ludovicum Castaneum, virum nobilem, Lugdunensi provinciæ destinavisse. Nec *Barthius* repugnat, hæc consignans *lib. 32. Adversar. c. 5. pag. 1471. col. 2.* Doctissimus ævo suo monachus Petrus Pictaviensis in Panegyrico de Hugone & Petro Mauricio hæc refert:

Ille super cunctos, qvos excolit ac veneratur
Gallia Lugduni, nobilitate nitet.
Hunc Latiæ Gentis Regum de stirpe potentes
Arverni populi progenuêre Duces.

Duces, inqvit idem, sunt Præsides, aut alii Romani magistratus, à qvibus nobilitatem hujus deducit: qvæ vox lapsis rebus, Principibus absolutè potentibus, data postmodùm est, ceu peculiaris. Excipit *Celeberrimus Dn. Spreng. lib. 3. Instit. Juris publ. c. 32. p. 494. 495.* Nobiles de Botzheim/ civitatis Schletstadt Hereditarios, Voigtos fuisse usq; ad SIGISMUNDUM Imperatorem: & Magistratus ex nobilibus olim constitisse: sed postea decretum fuisse, ne Nobiles in Magistratum amplius reciperentur. Qvod Decretum posteriorum seculorum

Im-

Imperatores, Reges, & Principes abrogarunt, ita, ut hinc inde Magistratus provinciam, sibi traditam, etiam nunc ornent Nobiles, juncti primoribus è plebe. *Perez.* de ea re *in Tract. de Jure publ. p. 199.* dubitare primùm videtur. Nam retur, nobiles, nobilitate & potentia sua fretos, ansam posse arripere, aliqvid in Principem machinandi, vel se ipsos efferendi. Postea concedit, nobiles præficiendos esse officiis in Rep. excellentioribus, si industria & virtute ad aucupandum regnum minimè ficta, pares sint oneri ferundo. Ad hujus membrum prius respondeo cum *Seneca lib. 3. de Ira. cap. 30. p. 597.* Omnia, qvæ naturâ fera & rabida sunt, consternuntur ad vana. Idem inqvietis ingeniis evenit: rerum suspicione feriuntur. Ad posterius regero, eruditione & prudentia celebres Nobiles vaciva semper aure imbibere Plautina illa verba memoratu digna ex ejus *Amphitruonis prol. v. 78.* VIRTUTE AMBIRE OPORTET.

QVÆSTIO XCII.

An Nobilibus Consulatus functio concedenda? Aff.

Consulis nomen ut dignitatis exstitit index: ita nec à nobilitate, præprimis apud gentem æternam, abhorruit. Nomen non obpugnat hunc sensum: qvòd deductum putat à Consulendo: vel qvòd aliis consulerent, vel qvòd ab aliis consulerentur. *D. Otto c. 3. Discurs. Juridico-Politici de Jure Publ. p. 50. Borcholten in Com. in Inst. Imperial. p. 9 col. 2. n. 3.* Nec res ipsa. Nam Romæ idem per morem à consule regente in annum seqventem renunciatur. *Cic. in Orat. pro L. Muræna T. 2. p. 471.*

p. 471. Lit. G & H. & p. 472. Lit. G & H. Prætorem negat Efficientem Consulis *Id. lib. 9. Epist. ad Atticum. Epist. 11. T. 3. p. 435. Lit. E & F.* Qvanqvam *Lipf. lib. 5. de Milit. Rom. dial. 2. p. 215.* Prætorem pro Consule accipiat: & ipse Cicero confiteatur, Vicarium Consulis Prætorem urbanum fuisse: *Philipp. 14. T. 2. p. 940. Lit. A. Dionys. Godofr. in Not. Marginal.* Majestas ejus, de qva *Id. Orat. in L. Pison. T. 2. p. 747. Lit. B. Cic. Orat. pro P. Sextio T. 2. p. 652. Lit. A & D. Vultejus in Com. in Instit. Imperial. p. 633. n. 43. Clapm. lib. 5. de Arcan. Rerump. cap. 113. p. 194. 195. Claud. in Consul. Olyb. & Prob. p. 2. col. 1. Polyd. Vergil. lib. 1. de Rer. Invent. c. 3. p. 113. Tacit. 1. Annal. c. 1. p. 1. 2. 3. Plin. lib. 7. H. N. c. 30. p. 116. totus Tit. C. de Coss. & Novel. 106.* Sparta ipsa: *Id. Philip. 8. T. 2. p. 897. Lit. D & E. & 898. Lit. A B. In Orat. pro L. Murana T. 2. p. 473. Lit. E. De Lege Agraria contra Rullum T. 2. p. 404. Lit. A. Lipf. lib. 5. de Milit. Rom. dial. 10. p. 283. 284. 285. & Cic. Philip. 5. T. 2. p. 876. Lit. E.* Effectus. *Vultejus in Com. in Instit. Imperial. p. 96. n. 4.* Subjectum. *Liv. lib. 4. Dec. 73. p. 165. 166.* Vestitus. *Plin. lib. 9. N. H. c. 36. p. 163. Lipf. in Com. in Tacit. p. 13.* Lictores. *Lipf. lib. 1. Elect. c. 23. p. 433.* Tempus. *Cic. Philip. 5. T. 2. p. 879. Lit. E. Lamb. T. 1. Com. in Horat. p. 314. Clapm. lib. 2. de Arcanis Rerump. c. 15. p. 65. Liv. lib. 4. Dec. 1. p. 162. Lit. A.* Inscriptio nominis in testis s. cadis. *Lamb. in Com. in Horat. p. 242.* Petendi consulatûs mos. *Plutarch. in Marc. Coriol. T. 1. p. 70. col. 1. Lit. C.* Collega etiam: *Nobilissimus, Amplissimus, ac Consultissimus Dn. Samuel Neander p. m. Vir παῤῥησιαστὴς & deterendæ iniqvitati natus, immortalitatemq; Magni Parentis & Sui cum Filiis & Nepotibus Nobilissimis, Consultissimis, & Clarissimis, Promotoribus & Fautoribus meis pietate sincera & studiis obviis colendis, strenuè probans, in Tract. de Just & Jure p. 72. Plutarch. in Camillo T. 1. p. 48. col. 2. Lit. C D. Gæddaus de Verb. & Rer. Signif. p. 707.*

circa

circa f. Liv. lib. 4. Dec. 1. p. 158. Lit. B. C. Melch. Junius Parte 1. Orat. 24. p. 274. Bodinus lib. 1. de Rep. c. 8. p. 151. Hæc, inqvam, evincunt universa, nobilitatem, eamq; temporariam, cum dignitate in mutuam consortionem coaluisse. Horum Consulum alter erat è patriciatu f. Nobilitate: id, qvod testantur laudati Autores. Hic dicebatur Senatorius. *Consultissimus Dn. Samuel Neander l. cit.* alter Publicola qvasi populicola. *Tholosanus lib. 1. de Rep. c. 1. n. 12.* qvod nomen inditum esse Valerio, Consuli Romano, lecto ex primis à populo, *Nobilissimæ Marchiæ Brandenburgicæ Varro, M. Tobias Magirus, Vir orbi literato post funera etiam admirabilis, qvi Latino illi ideo est conferendus, qvòd, qva laude illum celebrat Qvintil. lib. 12. Orat. Instit. c. 11. p. 729. penè omnia legerit, imò & tradiderit, Parte 1. Polit. c. 1. p. 6. col. 1. §. 1.* asserere judiciosissimus non veretur. Hæc Sparta, nobilis olim, hoc tempore, ubi plerunq; honorum populi finis habetur, qvem olim nuncupabat *Cic. in Orat. pro Cn. Plancio. T. 2. p. 633. Lit. G.* magnam partem imminuta, nobiles non respuit, non dedecet. Invenias qvamplurimos vel in Marchia & Lusatia Consulatus ornamentis cum dignos, tum claros: qvos inter præcipuo honore nō indignos duos referre mihi liceat. FRANCOFORDIA ad Viadrum, urbs & ingeniorum præcellentissimorum, & frugum, & commerciorum, & omnigenæ amœnitatis ubertate suspicienda, patria mea spiritu meo mihi longè amicior, vidit: imò jam non videns veris deplorat lachrymis, Virum Nobilissimum, Amplissimum, Consultissimum, Spectatissimum, DN. MELCHIO-

REM de Greiffenpfeil SENIOREM, qvi Consulatu tanta ibidem dexteritate est functus, ut vivat adhuc & compleat

--- --- Vagis sermonibus aures
Gloria fusa Viri, qvem nec ventura silebunt
Lustra, nec ignota rapiet sub nube vetustas.

Claud. de Conf. Olyb. & Prob. p. 1. col. 2. v. 31. 32. 33. Qvippe

--- --- --- --- Virtutibus ille
Fortunam domuit: nunqvamq; levantibus altè
Intumit rebus: sed mens, circumflua luxu,
Noverat intactum vitio servare vigorem.
Hic non divitias nigrantibus abdidit antris:
Nec tenebris damnavit opes: sed largior imbre
Sveverat innumeras hominum ditare catervas.
Qvippe velut denso currentia munera nimbo
Cernere semper erat: populis undare penates:
Assiduos intrare inopes, remeare beatos.

Id. ibid. v. 38. & seqq. Speciosissimos Dn. filios Evergetas meos perpetuis studiis colendos, Celeberrimum Dn. Parentem virtute è tumulo jampridem non revocâsse solùm, sed & æqvâsse, sed & superâsse profiterer publicitus: nisi certum & absolutum mihi foret, Viros Generosos, qvæ Ipsorum spectata est modestia, malle ipsa re publicare laudes virtutum suarum, qvàm calamo alieno ipsas repræsentari. Vivant Viri Cordatissimi, antè nec intereant, qvàm jungantur

--- --- Sæva sideribus freta,
Et ignis undæ, tartaro tristi polus,
Lux alma tenebris, roscidæ nocti dies.

Sen.

Sen. in Octav. Act. 1. sc. 3. p. 333. &, cum Consul priscæ eruditioni & Senatorem signaverit, *Indice* Lehm. in der Speyer. Chron. *lib. 4. c. 15. p. 323. col. 2. Lit. E.* tota cogitatione precor, ut, significatione reversa, fastigium honorum civicorum ritè aliqvando possideant, & amplificent splendidissimè, ipsisq; inclametur tuba *Claudiani sonora ex l. cit. p. 4. col. 1. v. 16. 17.*

O benè signatum fraterno nomine tempus!
O Consangvineis felix auctoribus annus!

Et Tu, GUBINA DUCALIS & CLARISSIMA, LUSATORUM GENEROSORUM ATAVIA, Mater mihi oculissima, testis es assidua, propugnare etiamnum commoda tua (utinam nunqvam internecina!) senium Venerandum, Virum Generosum, Nobilissimum, Amplissimum, ac Consultissimum, DN. MATTHÆUM de Gablentz/ PRINCIPIS gratia, avita item gloria, utrinq; fulgidum, Consulem aliqvot retrò annos prudentia, gravitate, pietate etiam, & moderatione animi decoratum, dexteritate qvoq; & æqvitatis amore bonis amicissimum, & in tanto fastigio nullius fastidiosum. Tibi ego memet ipsum addo socium, & idem Tecum afferens gratias ago summæ ejus virtuti, me advenam post primam statim appellationem, benignè ac comiter habentem, liberaliterq; tractantem, ut de Viro Optimo & Prudentissimo scribere habeam, qvod *Musa Plautina* dixit *in Epid. act. 1. sc. 2.*

Nihil agit, qvi diffidentem verbis solatur suis.
Is est amicus est, qvi in re dubia re juvat, ubi re est opus.

Qvare, cum genus gratitudinis sit, agnoscere, benè secum agi: *Fabricius in Com. in Virg. pag. 11. Lit. A.* atq; is qvoq; gratus sit, qvi tantum vult, nec habet hujus suæ voluntatis ullum alium, qvàm se, testem: *Sen. 4. Benef. c. 21. p. 26.* Voto exseqvar, qvod rebus debebam, qvarum momenta mihi desunt: verbaqve ab OCTAVIO AUGUSTO Imperatore mutuabor, qvibus utitur ad *Tiber. Cæs. apud Suet. c. 21. p. 164.* Faxit DEUS, ut Nobilissimus Dn. Consul ita gerat omnia, ut nemo unqvam prudentiùs se gerere possit, ac ipse! DEUM obsecro, ut Ipsum cum CLARISSIMÆ GUBINÆ, tum bonis omnibus, tum deniq; & mihi conservet! & valere nunc & semper patiatur! Seu, ut Gentium Doctoris Pauli votum meum faciam in Onesiphorum fusum. *2. ad Timoth. 1. v. 16. & 18.* Cumulet DEUS domum Dn. GABELENTZII misericordia! qvia me sæpenumerò refecit: nec VIRUM puduit oppressionis meæ. Faxit DOMINUS, ut misericordiam in illo decretorio die cognoscat & persentiscat!

Vertice tange diu cœlos! ANNUMQVE corona!
Qvi FASCES properat condecorare Tuos:
Floreat & Tecum, SENIUM, florente GUBINA!
Et sese patulis induat ipsa comis!
Ipse DEUS faxit! qvò vernet in æthere NOMEN
GABLENZI, donec sydera celsa labent.

QVÆSTIO XCIII.

An Nobili pateat aditus ad regnum & Principatum? Aff.

Sic

Sic lex jubet, æterna universi mundi rectrix. *Cic. lib. 2. de ll T. 4 p. 438. Lit. A.* eadq; à Galliis petita. Galliæ videlicet regnum, vi legis Salicæ, nulla fœmina hereditarium habet. Ad hujus præscriptum Electio qvoq; poterit limitari. Ita enim tradunt Autores, Saliorum lege cautum esse, ne terra Saliorum ab hasta seu à lancea transiret ad fusum s. colum. Pro cujus confirmatione allegant, qvod Salvator dixit: Considerate lilia, qvomodo crescunt: non laborant, neq; nent. Qvibus verbis Philippus Valesius regnum adeptus fertur. Memorant enim contra legis Salicæ oppugnatores tunc fuisse conclusum, Lilia Francorum non deberi, nisi nobilibus, qvi non laborant: nec deberi, nisi masculis, qvi non nent. *Horn. lib. 2 Polit. c. 9. p. 417. & ex Limn. lib. 2. de Jure Publ. c. 2. n. 24. Wendel. lib. 2. Instit. Polit. c. 11. th. 4 p. 153.* Consvetudo huic Germanorum suffragatur: etsi non omnino, tamen in multis. Lehm. enim in der Speyer. Chron. *lib. 5. c. 5. p. 390. col. 1. Lit. D. E. & col. 2. Lit. A. B.* OTTONEM Imperatorem præfecisse Hermannum de Stubecceshorn nobilem, antè Junioribus Principibus Imperialibus à studiis, Urbibus Germaniæ ad Albim & Visurgim sitis, autor est. Qvin Historici, qvi Romanorum Imperatorum Universorum à C. Julio Cæsare usq; ad Carolum M. vitas memoriæ tradiderunt, tredecim Imperatores è nobilitate lectos ad imperium moderandum fuisse: Scilicet C. Jul. Cæsarem, Octavianum Augustum, Sergium Galbam, Vitellium, Nervam Coccejum, Septimium Severum Per-

tinacem, Severum, Gordianum Seniorem, Valerianum, Claudium Tacitum, Conſtantium Chlorum, Maximum, & Leontium: ferunt. Hunc ſenſum debellare qvidam nituntur inficiando. Nam *Card. de Arcan. Prud. Civil. c. 91. p. 401. 402.* aſſerit, Socratem virtute tantum profeciſſe, ut ſine nobilitate privatam qvandam tyrannidem exerceret. Cui conſentit *Juſtin. lib. 11. c. 10. p. 114. n. 7. 8. 9.* memorans, Alexandro M. inſignem Syrum, Abdalonimum, operam oblocare ſuam ad puteos exhauriendos, hortosq; irrigandos, ſolitum, Regem Sidoniæ conſtitutum eſſe, ſpretis Nobilibus: ne generis id, non dantis, beneficium putarent. Et cui in dubiis habetur? LII. Imperatorum Romano-Germanici Imperii à CAROLO illlo M. usq; ad Invictisſimum & jam ſumma rerum potitum LEOPOLDUM I. nullum è nobilitate ad Solium Imperatorium provectum eſſe. Nam continua ſerie Imperatores priores XIX. ex Principum, Regum, & Imperatorum ſtemmatibus prodierunt: reliqvi univerſi vel ex plebejis, vel Comitibus, vel Principibus, vel maximam partem ab Imperatoribus procreati fuerant. Qvibus obviam procedens primum (ut ſic dicam) ex particularitate concludere affirmo, qvæ firma non parit argumenta. Accedit huc ἑτεροζήτησις, privatum regimen cum publico confundens: qvæ qvatuor pedibus inambulat. Secunda ratio etiam admodum eſt imbellis. Nam hic ſtatum ignorari deprehendo. Qvæſtio mea agitatur de Statu Conjecturali: oppoſitio de ſtatu Qvalitatis vel Juredicialis. In Tertium geminâ reſponſione inſurgo, qva in Secundum mili-

militavi, ajoq; hic non agi de domo, & natalibus, unde provenerint Imperatores: sed qværi: Num fieri possit, ut Nobiles rerum summæ præficiantur? Id, qvod absolutè & remotis circumstantiis superius probatum est.

QVÆSTIO XCIV.

An præter cæteros Nobiles aliqva Prærogativa frui debeant? Dist. Aff.

NEmini puto tam præfrictam esse frontem, cui reluctanti inculcandum sit, nobilitatem albis veredis antevenire, qvicqvid multitudo unit. Ea est meta Nobilitantis, in hoc spiritus qvasi vitalis Nobilitatis & anima robur & virtutem suam exerit, hoc se à projecta interdum vulgi conditione secernit virtutis hoc præmium & gloriæ insigne, ut emineat, ut non hæreat, ubi terræ pondera detinentur. Insitam hanc, affectum minimè malum, generosissimis qvibusq; ingeniis potissimum videmus. *Erasm. Roterod. in Censura Augustini Retrectationum & Confessionum libris addita Tom. 1. Oper. August. pag. 63. Lit. B.* Et ex graviore re, *Muretus lib. 2. Var. Lect. cap. 17. pag. 49.* Virtute nimirum: *Cic. lib. 10. Epist. ad Fam. Epist. 12. T. 3. pag. 161. Lit. G.* petitam maximè enitescere: *Auct. ad Herenn. lib. 4. Rhet. T. 1. Oper. Cic. pag. 68. Lit. F.* & consumitur; nisi possit ostendi. *Curt. lib. 9. p. 224.* Nec una hîc virtus se sistit: virtutum hîc corona exsultat; qvam Morum Vindices Virtutem appellant Heroicam, inimitabilium ferè facinorum matrem. *M. Spengl. in Exercit. Eth. Disp. 12. Sect. 1. th. 1. Verul. lib. 3. Instit. Moral. Tit. 7. c. 1. p. 171.* Inde nihil iniqvitatis me admissurum esse vereor, nobi-

nobilitatem gloriarum multarum varietate eminentem si ftitero. Primatum hic sortiatur natura sui petitio dignitatis, qvam *Vernul. lib. 2. Polit. Tit. 9. c. 5. p. 210. ex l. 7. §. 2. ff. de Decurionibus.* (vel potiùs cum *ex l. ipsa. tum ejus §. 2.*) *& l. 14. ff. de Muneribus & Honor.* tanqvam trabali clavo figit & solidat. Confirmat hanc legem consvetudo Romanorum, qva indigni è nobilitate in honore petendo præferebantur virtute præditis & nuper nobilitate donatis viris. *Sen. 4. Benef. c. 20. p. 72. Lips. in Com. p. 79. n. 187. Sallust. in Hist. de Conjurat. Catilinæ p. 21. D. Liebenthal in Coll. Polit. Exercit. 10. th. 25. pag. 329.* & ll. commodè ab eo laudatæ. Repugnat sententiæ *Castellanus lib. 2. de officio Regis. cap. 214. 215.* ubi: Cavendum est, inqvit, ne Majorum meritis posteri ad Centurionatus, Tribunatus, aliaq; imperia extollantur, si ipsi suis virtutibus illa onera non possint sustinere. Antigonus, cum adolescens, qvòd viro, laude militari claro, ortus esset, sibi onus injungi postularet, cui ferendo par ipse non esset: Non soleo, inqvit, Parentum, sed virorum fortium virtutibus præmia tribuere. Desumptum est Apophthegma non, qvod scribit Castellanus, ex Plutarchi libello de immodica Verecundia, in qvo non reperias, sed ex ejus *Apophthegmatum libro, qvi extat T. 2. operum Plutarchi pag. 181.* Huic regero, cordatissimum esse responsum Antigoni qvidem: qvippe honores

--- Meritis tantum redeunt ---

Claud. in Consul. Mall. Theod. p. 6. col. 1. sed qvia

Parent Numinibus montes, & legibus urbes:

Id. lib. 3. de Laud. Stil. pag. 20. col. 1. Et:

Pareto legi, qvisqvis legem sanxerit:

Auson. in Sentent. Sap. Carm. 2. p. 118. Qvin in rebus humanis

nis nihil eſt legum obſervantia præſtantius: *Sleidan. T. 1. de Statu relig. p. 78. col. 1.* bonum eſt, ut animabus inſcriptæ leges etiam memoria conſerventur, ne unqvam deleri poſſint. *Joſeph. lib. 4. Antiqvitat. Judaic. cap. 6. p. 39. col. 1.* cum nulla lex ſatis commoda ſit omnibus: & id modò qværatur, ut majori parti, & in ſummum, proſit. *Liv. lib. 4. Dec. 4. p. 106. Lit. A.* Transeo ab hac parte ad aliam, & à generalibus ad ſpeciem me accingo, nobilitati in Eccleſiaſticis non minùs deberi prærogativam firmaturus. Reperiemus enim à lege loqvente, hoc eſt, Magiſtratu cum Summo, tum Subdito, præcipuo affectu & jure tam ſeqviori, qvàm maſculo ſexui, ſummam qvoq; dignitatum Eccleſiaſticarum adjudicatam fuiſſe. De ille ſexu refert *Boterus lib. 1. Cosmograph. Parte 1. p. 49.* Bergæ, in opido Flandriæ, Veſtalibus ſtructum eſſe cænobium à Waldrude, Duce Lotharingiæ, in qvod qvæ recipiuntur virgines, eſſe oportet nobiles. Eæ ipſæ tempore matutino amictu, ſacro ordini conveniente, tectæ incedunt: fortisſimo jam Sole *Sen. in Medea. Act. 3. Sc. 3. p. 272.* veſte, perſonas, Remp. amplificantes, decente, nuptæ incedunt: copiaq; nubendi viro ipſis datur. Patebit jam & maſculis ſuus honos, ſuum augmentum Eccleſiaſticum. Andream næ Dudithium ab Horehovizza, Nobilem Hungarum, in Pannoniam, patriam ſuam, reverſum, atqve in aulam Cæſaream, qvanqvam admodum juvenem, ob admirabilem eruditionem & morum ſvavitatem, Tinnienſem Epiſcopum creatum, poſtea Qvinqveccleſienſem, deſignatum fuiſſe, *Thuanus ediſſertat lib. 90. pag. 476. Lit. C.* Moguntia qvoqve Anno à Chriſto nato 1659. Dietericum de Eiſenburg/

 Archi-

Archiepiscopum sibi elegit: qvem electum Pontifex Romanus fastidiebat: qva de re pòst magna civium strages est edita, Scriptore *Dressero in Poligraphia pag. 381.* *f.* Die Stadt Maynß. Anno Salutis humanæ ortæ 1541 solemni electione Capituli Neoburgici Nobilis Julius de Pflug/ Episcopus ibidem jubebatur: qvem paulò pòst, ob Schisma, Augustanæ Confessione repugnans, Serenissimus ac Potentissimus ELECTOR SAXONIÆ, isto munere abdicavit, & alii Nobili, eiqve Professioni Theologiæ addicto, scilicet Nicolao de Amßdorf/ munus hoc sanctissimum contulit: *Id. ibid. p. 411. Vide Vernul. lib. 2. Polit. Tit. 9. c. 5. p. 210.* Rationem dubitandi suppeditat *Spreng. lib. 2. Instit. Juris publ. cap. 35. p. 305.* ubi asserit, Cardinalitiam potestatem conferri citra generis respectum, tam ignobili, qvàm nobili. Nec in Archiepiscopatu adipiscendo qvicqvam referre, sive nobilis sit, nec ne, ait *Id. l. cit. cap. 31. pag. 293.* Verùm hæc assertio non admodum ponderosa habenda est: eò qvòd à sola authoritate humana prodit, qvæ, Logicorum Amplissimo Senatu approbante, destituitur necessitate asserendi. Qvodsi Vir Excellentissimus, qvod à Magnifico Dn. D. Brunnemanno in Politica sua commodè observatum legi, primariam virtutis rationem habendam esse cognoverit: tantum abest, ut eum oppugnare ausim, ut etiam memorandam illam assertionem, qvam ex Thucydidis libro 2. & Oratione Periclis notavit *Melch. Junius Parte 2. Orat. p. 201.* adjicere non renuam: Pro dignitate, inqvit, ut qvisqꝫ probatus est, ita ad honores admittitur, non ex

certa

certa familia, sed propter virtutem: nec propter paupertatem arcetur ab honoribus, si Reip. prodesse potest. Ab Ecclesia iter paro in aulam, inibi etiam Nobilitatis nil qvicqvam prærogativæ detracturus. *Scriptor ille Vitæ Car.M.T.1.Operum Plutarchi p.350.col.1.Lit.A.* mihi, ut recusem, autor est, scribens, Præfectorum regiæ domus in Francia Celsitudinem, (nam ea ibidem honos habetur Amplissimus,) neminem, per instituta regni, consecutum esse, præter eum, qvi fuerit ex præcipua nobilitate, insimulqve regibus necessitudine & propinqvitate conjunctus. Cui non obsistit Nobilissimus & Amplissimus Dn. Professor Becmannus, promotor meus venerandus *in Collegio suo Politico Disp. de Ducibus cap. 1. th. 4.* exemplo Triboniani probatum dans, qvod enodandum mihi est: qvi exstitit JUSTINIANO Imperatore Qvæstor Sacri palatii, & ab eodem Vir Eminentissimus *§. 2. Instit. Qvibus alienare licet, vel non.* nominatur. Vide *Vernul. lib. 2. Instit. Polit. Tit. 9. cap. 5. pag. 210. & pag. 215. 216.* His sese opponit. *D. Christ. Matthiæ lib. 3. Polit. Exercit. 3. sect. 3. p. 357. & 358.* Qvi excludit gente nobiles: & hos pariter ego rejicio: (qvia nullos invenio) ne absurditatibus me immergam: advocat autem gente & mente nobiles i. e. in stirpe & virtute nobiles. Hæc uberius *pag. 359. & 360.* explicaturus, adjungit qvædam ex loco Topico de similibus, qvædam etiam huc non pertinentia. Ad hæc, cum non sit opus responsione, nihil regero. Ad ista excipio, stirpem non nobilitare, sed mereri, si in Principis & patriæ commoda proclivis fuerit, & operata, prærogativam & nobilitatem: qvod idem & virtuti adsigno, sine qva Prudens Princeps nobilitatem non

 im-

impertietur: qvæ res mihi autor est, ut & hîc calamum recipiam, pauca adjecturus, ad proxima ista explananda. Magnificus & Amplissimus Dn. D. Brunnemannus in Politica sua scripta, qvædam ἀξιομνημόνευτα signavit, sic concepta: Potissimum hæc Prærogativa Nobilitati in Rep. libera, & qvæ Imperium augere cupit, est concedenda. Neqve enim ad verum scopum contendunt omnes, nisi ad præmium omnibus pateat accessus. Hinc Romæ tot ac tanta virtutis exempla fuerunt: cum omnibus ad honores & officia pateret aditus. Cautius verò procedendum in Democratia. Nam ibi qvidem honores conferendi sunt Nobilibus: sed parcè: nec facilè præstantissimis, nisi ex plebe adjungantur collegæ. In Aristocratia præstantissimi qvidem eligendi sunt: sed multis simul honores sunt communicandi: & summopere cavendum, ne unus aliqvis ita emineat præ cæteris, ut mutare Reip. Formam præ cæteris possit. In Monarchia ego præcipuo esse usui hanc Prærogativam statuo in iis, qvi Principi sunt accepti: qvorum non paucos reqviro: ut campi lascivi & procaces citra concipiendum metum habeant speculatores, qvibus intra limites & orbitas contineantur. Hinc adoptionis primatus competit Nobilibus, manifestus gratia SergI Galbæ Imperatoris: nempe idem Pisonem Frugi Licinianum, nobilem, egregiumqve juvenem, ac sibi olim probatissimum, repente è salutantium turba apprehensum, filium appellavit, & perduxit in castra, ac pro concione adoptavit. *Svet. in Eod. c. 17. p. 353.* His ipsis & in Electione novi Imperatoris defert Prærogativam. Ibi enim solis Nobilibus & Consiliariis Electorum licet intrare templum, in qvo eligitur Imperator: cæteris clauditur porta

ta

ta chori, in qvo resident Electores. *Spreng. lib. 1. Instit. Juris publ. cap. 29. pag. 177.* Ferdinando qvoq; Austriaco Anno 1526 à potiore parte Nobilitatis Hungaricæ, ut crearetur, ob graviores rationes, accidit: *Tarduccius in Proœm. Part. 1. Turcæ vincibilis. p. 189.* Nec deficit Nobilitatem Prærogativa in Legatis amandandis. *Vernul.* jus tale promittit eidem *lib. 2. Instit. Polit. Tit. 9. cap. 5. p. 211. col. 2.* Exemplo rem confirmat *Melch. Junius, ex Appendice Rerum Ungaricarum Joannis Sambuci, Parte 2. Orat. p. 51.* Jani nimirum Cobentzell, eqvitis Ordinis Teutonici, à MAXIMILIANO II. Imperatore Romano-Germanico ad Moscum ablegati. His utile ἀξίωμα jungit sæpius cum præfatione debiti honoris appellatus Amplissimus & Consultissimus Dn. D. Brunnemannus in Politica scripta hac bella verborum structura: Id hîc studiosè est observandum, ut militiâ clari vel docti semper præstent indoctis: eosq; Princeps dignetur Legationibus: qvò cæteri his præmiis allecti, militaribus & togatis artibus certatim dent operam. Et qvis ignorat? Nobiles sua prærogativa nec in comitatu Principis deseri. Togam si spectem, Archiepiscopus Moguntinus visitationibus annuis, præter Cancellarium, & unum Nobilem, alium qvoqve JCtum adhibet. *Spreng. lib. 5. Instit. Juris publ. c. 1. p. 383.* Sagum si comtempler: auctore *Münstero lib. 3. Cosmograph. 744. 745.* constabit, Anno redditæ humano generi perennis libertatis 934 impetum facientibus in Saxoniam infidelibus, Vandalis, Sclavis, Russis, Gothis, & aliis, magnam partem Nobilitatis imperii, HENRICUM, Ducem Saxoniæ, Electumq; in Romanum Regem, & alios Principes Imperii, comi-

tatam esse in bellum. Eminet qvoq; Generosa Nobilitas in decidendis controversiis forensibus. Opida id Tartarorum non abnuunt, qvibus sunt Judices, Hajonati vulgò dicti, qvi jus inter Nobiles, Mursas vulgò vocatos, dicunt, & mensæ à Principe adhibentur: qvod virtutis præmium in mediocribus hominibus minimè pervulgatur. *Thuanus lib. 67. p. 312. Lit. D E.* Rex item Poloniæ HENRICUS summo temperamento sanxit, ut non per singulos Palatinatus judicia haberentur, sed in singulis Palatinatibus bini Majoribus, Minoribus singuli tam ex Senatu, qvàm ex reliqva nobilitate, qvotannis delecti primùm à B. Martini Festo ad Pascha Majoris Nobilitati Petricoviæ, Minoris deinde à Paschatos celebritate usq; ad messem Lublini dicerent, sicq; privatarum caussarum judicia penes Nobilitatem deinceps essent: publica, ac Juris Regis fisciq; in eo, in qvo antea fuerant, statu penes Regem manerent. *Id. lib. 69. p. 359. Lit. D.* Summa Dynastia etiam patet Nobilibus. In Districtu qvippe Görliciensi ei, mandatu Imperatoris CAROLI IV. præfuit annis superioribus talis Dynasta, cui qvasi succenturiatus est alius inferior, pro auctoritate Ducatus: cujus vices non ita pridem obiit **Georgius de Nostitz** / qvi à prudentia & rerum variarum notitia mirum in modum commendatur à *Dressero in Poligraph. p. 328. 329.* In Bello pariter non exspirat talis excellentia: utpote qvam & Barbari magnifaciunt belli. Rex Narsingæ, nisi *Boterus lib. 2. Cosmograph. Parte 2. pag. 254. col. 1.* fabulatur, Nobilis cujusdam regimini credidit ducentos eqvites, viginti Elephantes, & centies qvinqvagesies millia peditum. C. Mario belli item gloria cessit, optimo

mo militiæ, pace pessimo, eidemq; eqvestri loco nato. *Vellejus Paterculus p. 129.* Eadem decoravit Burchardum, à CONRADO Imperatore qvi Svevorum Dux est constitutus: vir nobilis & fortis. **Lehm. in der Speyer. Chron.** *lib. 2. c. 39. p. 156. col. 1. Lit. D.* Opem qvin Nobilium sunt, qvi desiderent, Navarchis ubi opus est. Thomam Candischium, Nobilem Anglum, Navarcham Angliæ fuisse nescit, qvi non operam locavit suam in perlegendo debita industria Thuano, qvi Ipsum Anno 1496 pridie Cal. Qvintil. Plimmuthio solventem ait cum tribus navibus, qvibus 123 armati portabantur. His Indiam petiit, & reversus est incolumis Plimmuthium 13. Cal. Octobris Anni 1498. *Thuanus lib. 89. p. 256.* &c. Apud Venetos nullam navigationem sine Nobilium comitatu esse refert *Vernul. lib. 2. Instit. Polit. Tit. 9. c. 5. p. 212.* Idem adhæc ex Petro Gregorio Tholosano observavit, per legem adhuc vigentem, singularum navium Navarchæ octo Nobiles pueros addi, iisq; conferri stipendium nobile, cum victu Nobilibus conveniente: & his ipsis hanc concessionem supplicibus libellis à Senatorum ibidem suffragiis impetrari. Urbes qvoq; regendæ nobilitati prærogativam aliqvam concesserunt. Nam Alenconius in omnibus suis Urbibus, cum ipso qvæ faciebant, aliqvem è Nobilitate habuit, rerum, qvæ istic agerentur, inspectorem. *Thuan. lib. 81. p. 110. Lit. E.* Eædem & ab hoste captæ, his datæ, teste *Eodem lib. 59. p. 49. Lit. C. & p. 52. Lit. B.*

QVÆSTIO XCV.

An Nobilis primogenitus peculiari privilegio gaudeat? Aff.

Primo-

PRimogeniti apud Gallos, ut etiam apud Britannos, magnam capiunt partem hereditatis: ac perpetua Majorum succesſione avitas hereditates tuentur: ne in plures diſtractis prædiis decus nobilitatis, qvæ militarem diſciplinam tuetur, intereat. Atqve illud eſt, qvod Lycurgus primùm apud Spartiatas, deinde Plato in utraqve Republica tantopere commendat. *Bodinus de Methodo Hiſt. cap. 6. pag. 262.* Concinit *Boterus lib. 2. Cosmograph. Parte 3. pag. 268. col. 2.* in Africa ſub ditione Sacerdotis Joannis dicens promiſcuè & cives & Nobiles habitare, & hos egregiis facinoribus ſibi parere nobilitatem: Nobiliumqve primogenitos ab inteſtato accipere omnem relictam hereditatem. Eundem *idem loc. cit. pag. 270. col. 1.* aſſerit, habere religionem militarem vel ordinem Eqveſtrem ſub præſidio Sancti Antonii: teneriqve ſingulos Nobiles, unum filiorum ſuorum eidem ſacrare, excepto primogenito, qvi hac lege ſolutus eſt. Germanos item inter illos, qvi qvinqve ſimul conſulares exercitûs fuderant populi Romani, attriverant & debellaverant, maximum natu liberorum omnia jura ſucceſſionum ſolum accepiſſe, præter eqvos, qvos qvidem accipiebat, non, ut cætera, maximus natu, ſed prout ferox erat, & melior, non ignorare me ſivit *Tiraqvel. de Jure primigeniorum in præfat. Tom. 1. pag. 310. col. 2. num. 33.* Qvod tam inſigne privilegium competit & primogenitis Regum & Principum, teſte *Schönbörn. lib. 2. Polit. cap. 11. pag. 162. 163. & Reinking lib. 1. Regim. Secul. & Eccleſiaſt. Claſſ. 4. cap. 17. pag. 433. 434. num. 5. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & pag. 436. 437.*

QVÆ-

QVÆSTIO XCVI.

An Nobilis virtuosus ignobili virtuoso sit præferendus? Aff.

Dominus Reinking *lib. 1. Regim. Secul. & Ecclesiast. Class. 4. cap. 3. pag. 357. num. 26. 27.* Constitutionibus Imperii Politicis sic sancitum & cognitum asseverat, ut Nobilis, qvi Doctor aut Eqves est, ei, qvi tantùm Nobilis est, præferatur. Idqve probatum dat ex *Recess. Imperii in Comitiis Augustanis de Anno 1500. pag. 56.* Sub Tit. **Von Uberflüßigkeit der Kleider / und andern.** Verba sic habent: **Die vom Adel / so noch nicht Ritter / oder** Doctores **sind / sollen kein Gold / noch Perlin offentlich tragen / und ihre Kleidung mit Farben / besonder auch gestikket / ob sie dero machen lassen / ziemlich machen.** Qvibus verbis explanatur primò consvetudo illa pristina, qva fiebat, ut & Nobiles gradus Academicos appeterent. Nostra ætate, ubi Nobilibus vilescere incipiunt iidem, qvæstionis hæc decisio prorsus supervacanea videtur. Deinde nec lex ipsa Generalis est lex, sed tantùm respicit vestitum. Unde à Specie ad Genus inferri non licet. Hoc tamen explorati hinc juris esse nemo negaverit, & dignitatem, & virtutem tam nobili, qvàm ignobili, nec minus hanc, habitantem in animo nobilis, excellentiorem habendam esse ea, qva præditus est ignobilis. Idqve confirmat Nobilissimus & Amplissimus Dn. D. Strykius, Antecessor in Academia Marchica Illustrissima Clarissimus, Dn. & Evergeta meus honoratissimus, *in Disput. de Carc. ad Custod. constituto cap. 2. num. 14. per l. Nemini. §. 1. C. de Advocat. divers. Judic.* qva

 san-

ſancitum eſſe ait, data in ſcientia paritate, præhonorari eum, qvi eſt de nobiliore ſangvine. Qvod ſi de ſcientia ſua Nobilis tantam ſibi prærogativam polliceri meretur: fieri neqvit, qvin idem ſibi de Virtute recipiat. Nam alia bona magis eorum ſunt, qvi ea tenent, qvàm cujusvis alterius, qvi ea conſeqvitur: utpote qvæ perinde, ac in ludo bonorum, huc illuc transferuntur: at ſola virtus ex omnibus bonis auferri non poteſt: ſemperq; & apud viventem & mortuum permanet. *Baſil. Magn. Orat. 1. p. 5.* Et virtus natura glorioſa eſt, & anteire, etiam priores, cupit. *Sen. lib. 3. de Benef. c. 36. p. 22.*

QVÆSTIO XCVII.

An Nobilis fœmina ſobolem ſuam lactare debeat? Aff.

A*Rithmaus in Periculis primis diſput. 1. Quaſt. 5. p. 6. col. 2.* non ſpernendis rationibus defendit hanc qvæſtionem. Inde qvædam excerpta huc transferam: Profectò, inqvit, vacillo, an non ſit aliqvid tribuendum cujusdam Clarisſimi Viri judicio de hac Qvæſtione: qvi reſpondit, ſe nullam ſcire aliam rationem, cur matres non lactent infantes, extra caſum neceſſitatis, niſi qvia ſciant, nullam meretricem eſſe tam libidinoſam, & tantis cupiditatum flammis æſtuantem. *Wendelinus lib. 1. Inſtit. Polit. c. 1. th. 19. p. 22.* præter graviores rationes, qvas ſubdit prolixè, ita favet huic Qvæſtioni: Ab uxore, qvæ jam mater eſt facta, reqviritur inprimis lactationis officium, ut ipſa lacte ſuo fœtum alat: qvod priſcis Germanis, tam Nobilibus, qvàm ignobilibus, in uſu fuit. Mos hic peſſimis exem-

plis

plis non modò in Italia & Gallia, etiam apud plebejas, sed & in Germania nostra apud Principes & Nobiles in desvetudinem abiit: nisi officium hoc matres ingenuæ, honestæ & nobiles plerunq; plebejis & vilibus fœmellis, imò haud rarò meretricibus demandant, adeoq; erubescunt fieri nutrices, qvæ ideo factæ sunt matres. Morem Germanorum, qvem tangit Wendelinus, *Tacitus de Morib. Germ. p. 296.* ita pingit: Sua qvemq; mater apud Germanos uberibus alit: nec ancillis ac nutricibus delegantur. Lac maternum primam nascentium alimoniam esse, natura docet, & cum ea, plurimisq; Physicorum, *Macrobius lib. 1. in Somn. Scip. c. 12. p. 80.* erudiens simul singulas matres, ut demandatum sibi à natura officium cogitent, ut fœtibus suis ipsæ mammam præbeant, nec festinantes coitum ad meretricias operas confugiant. Observatum esse scribit Nobilissimus & Clarissimus *Dn. Sperlingius in Instit. Phys. p. 78.* qvendam, capreæ lacte nutritum, cum adolevisset, semper saltare svetum immoderatiùs, plantasqve, ut illæ solent, abrodere petulantiùs. Qvodsi proprietates suas bruta cum lacte suo, ab homine hausto, instillent: qvid de prostibulorum & vulgarium mulierum succo, neqvitiæ veneno conspurcato, pignoribus suis, inter tot dolorum & cruciatuum myriadas luci expositis, à prudentibus & piis matribus sperandum sit, facile est conjectu. Memoratu dignum, modò verum, adjicio, qvod se observâsse ait *Jacobus Justus* Professor lingvarum Exoticarum Amstelrodami in der kleinen Wunderwelt: Centesimo lapide, inqvit, distat Perusa opidum Moltos: paret Romano Pontifici, & freqventissimum est Nobilibus. Ibidem

miraculum ingens homines attonitos habuit. Peperat mater qvædam gemellos, qvi matri superstites fuerunt. Pauperrimus viduus precibus DEUM fatigare nitebatur, de lacte mammis suis cœlitus infundendo. Vicerunt preces accuratæ, mammæq; ejus stillabant lacte, qvo gemellos suos postea eduxit. Tantus osor erat Pater ille matrum, qvæ mammas præbent, qva Periphrasi *Plautus* describit Nutrices *in Prol. Menæchm. v. 20.* admonens Parentes, ad geminum talium veneficarum odium.

QVÆSTIO XCVIII.

An Nobilitas per Virtutem augescat? N.

UT nobilitas bonum sit: sin verò ad eam accedat virtus: tunc nobilitas est magis appetenda & honoranda: *M. Velstein. Decad. 8. Quæst. Eth. quæst. 8. p. 165.* Pro confirmanda sententia sua addit auctoritatem *Aristotel. lib. 4. de Moribus. c. 8.* οἱ δὲ ἄν ἀρετῆς τὰ τοιαῦτα ἀγαθὰ ἔχοντες, ὐ ὀρθῶς μεγαλόψυχοι λέγονται· ἄνευ γὰρ ἀρετῆς παντελῶς ὐκ ἔστι ταῦτα. i. e. Qvi verò sine virtute talia possident bona, minùs rectè Magnanimi dicuntur. Nam absq; virtute prorsus non sunt talia. Pro eadem statuminanda *Polyd. Vergil. lib. 1. Hist. Angl. p. 18.* laudat exemplum. Cui insurgo per Canonem Logicum, qvi argumenta, in Philosophia ab auctoritate petita, firmis talis stare negat: qvòd inibi non tam autoritatibus, qvàm rationum momentis acqviescendum est. *D. Christ. Matthiæ lib 3. Syst. Log. c. 16. p. 442.* Deinde committit ipse Arist. petitionem principii. Nam qvomodo probaverit, formam totius Nobilitatis consistere in virtute? cum

cum virtus in actu nobilitandi est in serie caussarum externarum, tanqvam caussa impulsiva προκαταρκτική, & movet qvidem Caussam Efficientem Principalem exterius ad effectum producendum: caussatum verò tanqvam essentiale constituens non ingreditur. Si verò Virtutem tanqvam Adjunctum contempler: nec inde Nobilitati qvicqvam accedet. Nam augmentum non mutat vel amplificat essentiam. Qvin Nobilitas est Qvalitas, qvæ propriè augmentum respuit. Præterea remoto hoc augmento nobilitas evanesceret: qvod repugnat intentioni Principis nobilitantis, qvi durationem cum nobilitate tanqvam Accidens inseparabile connectit. Tandem etiam Accidens fungeretur officio Efficientis & Formæ: qvod Philosophiæ & Foro dissonum videtur. Nam ista Proprium qvidem interdum, cum humanum intellectum deficit perfectæ formæ cognitio, usurpat pro Forma, non Formam agnoscit: Hoc item extra Principem admitti socium in Nobilitate donanda non patietur. De exemplo nil addo, modò illustrante.

QVÆSTIO XCIX.

An Antiqvitas generis aliqvid addat Nobilitati? N.

D. *Liebenthal in Coll. Polit. Exercit. 10. Quæst. 6. p. 343. 344.* affirmandam statuit Qvæstionem: eò qvòd qvò Nobilitas sit antiqvior, eò sit major: idemq; probat permultis legibus, cum ex Jure Civili, tum Feudali, tum etiam Celeberrimis JCtis petitis. Huic sententiæ qvoq; subscribit *Bodinus lib. 3. de Rep. c. 8. p. 402.*

p. 461. ubi exemplis Perusinorum & Florentinorum confirmat, adipisci milites temporis diuturnitate nobilitatem. Qvin sunt, qvi in Antiqvitate longiore collocare satagunt perfectam & omnibus numeris absolutam Nobilitatem, maximi Nobilitatis Proceres. Hæc omnia exqvisita opera examinanti non tam ponderosa videbuntur tractu temporis, ac initio credebantur. Namqve ex ll. laudatis vix nascetur Qvæstioni isti ullum patrocinium: idqve sine eversione legum me confirmaturum esse confido. *l. enim, qvæ adducitur è C. de veteri jure enucl.* Anatolium ab antiqva stirpe & Majoribus commendat. At hinc non inferendum est, antiqvitate generis Nobilitatem acqvirere incrementa. Perversi mores inde à lapsu Adami invaluerunt. E. Antiqvitate tanta Nobilitas ipsis accrevit. Loqvitur hic Imperator Justinianus ex opinione trita, qvam animis errantium non licebat evellere propter eventum aliqvem non optandum. *l. Providendum. C. de postulando.* non tangit Nobilitatem. Si enim, qvod verba *D. Lichtenthals* monstrant, explicantia legem, Disjunctivam constituunt Enunciationem: Vetustas cum Nobilitate non est jungenda. Disjunctiva enim divellit, non unit. *Keckerm. lib. 2. Syst. Log. c. 8. p. 364. 365.* Ad versum ex Jure feudali constat, de militibus sermonem esse, qvi, etsi Veterani fuerint, nobilitatem probare neqveunt. Majorum etiam multitudo & antiqvitas nihil adjunget nobilitati. Longævitas Mathusalæ nihil adjecit. Homo est, qvi diem vivendo transiit. Ita & Nobilis, qvi moritur in illo temporis articulo, in qvo à Principe suo designatus est. Imò Majores, qvi vixerunt ante Nobilitatem à Principe collatam, non fuerunt Nobiles:

Qvid

Qvid ergo Nobilitatis conferent? qvæ ad Adſcendentes non pertinet. *D. Liebenthal in Coll. Polit. Exercit. 10. th. 12. p. 329.* Ad Bodini argumentum nihil excipio, utpote cui in ſuperioribus eſt ſatisfactum. Ad communem opinionem regero cum *Sen. de Vita beata. c. 1. p. 692.* Hoc in omni vita accidere videas licet: nemo ſibi tantùm errat: ſed aliis erroris cauſſa & author eſt. Nocet enim applicari antecedentibus: &, dum unusqvisq; mavult credere, qvàm judicare, nunqvam de vita judicatur, ſemper creditur: verſatq; nos & præcipitat traditus per manus error, alienisq; perimus exemplis: ſeu, ut contraxit *Auſonius in Epiſt. præmiſſa Edyl. 6. p. 132.* Nævos noſtros & cicatrices amamus, nec ſoli noſtro vitio contenti, affectamus, ut amentur.

QVÆSTIO C.

An Pater, amittens Nobilitatem, præjudicet nobilitati filiorum? N.

A *Ymonem Cravettam consil. 165.* Affirmativam defendere refert *D. Liebenthal in Coll. Polit. Exercit. 10. Quæſt. 13. p. 351. 352. 353.* qvi etiam ll. qvibus ſententiam ſuam conatur tueri, laudat. Ad *l. Traditio. ff. de Acqvir. rer. dom.* reddo, Rationem & expoſitionem legis niti erronea opinione de transfuſione Nobilitatis per Parentes, qvæ mihi non examinatur *l. Socium, qvi in eo. ff. pro Socio.* propriè hic, non pertinet: qvia loqvitur verſu: Item poſt: de morte ſocii, qva tollitur ſocietas, qvæ nobilitati nihil confert. *Ex l. pen. ff. de Condict. ob turp. cauſſam.* non videtur mihi excerpi poſſe, qvod Affirmativæ faveat: qvin potius verba: poſſeſſorem potiorem

&c.

&c. negativam fovent. Textus qvoq; in *l. Divo Marco C. de Quæstion.* favet Negativæ, qvod verba priora perspicuè comprobant. Exceptionem verò additam, nec huc pertinentem, transeo. Deinde respondeo ad resolutionem Qvæstionis, qva satisfacere eidem molitur. Et qvidem *ad §. Verùm si.* regero, qværi hîc non tantùm de eo, qvi primus in familia nobilitatem à Principe suo donatam accepit: sed & de eo, qvi in linea illa seu familia primi filium generavit. Nam cum primo (ut sic dicam) Patres subalterni s. subordinati turpitudine sua nil qvicqvam vel filiorum, vel posterorum officiunt famæ integræ & nobilitati: qvam à Principe acceperunt, non à Patre. *Ad §. Sed de.* refero, à sangvine, & gente, seu genere communicatam statuere nobilitatem, esse adfingere pumici oceanum, inde effluentem. *Ad §. Nam tali.* regero, Principis gratiæ acceptam ferendam esse nobilitatem, non Patri. Ideo exspirat vox illa Tam: Reliqva concedo.

QVÆSTIO CI.

An peculiaris Nobili sit indoles? Dist.

OMnis ingenii prosperioris virtutem ad autorem referunt nonnulli naturam, ejus feracissimam arbitrati eandem, tanqvam matrem omnium benignissimam & opulentissimam. Id non ignoravit, nescio qvis, apud *Plautum in Pænulo Act. 1. Sc. 2. v. 88.* canens:

Bono ingenio me esse ornatam, qvàm auro multo,
mavolo.
Aurum in fortuna invenitur, natura ingenium
bonum.

Qva

Qva reluctante, irritum esse laborem, *Sen. de Tranqvillit. animi cap. 6. p. 681.* pronunciat. Contra ea qvidam etiam naturam novercantem advertunt, qvæ stupore mutat ingenium. Thessalos scilicet Simonides ita stuporis notat, ut operæ pretium illum minùs facturum esse censeat, qvi de illis decipiendis consilium cogitationemq; susceperit: inculcante rem *Des. Erasmo lib. 6. Apophth. p. 553. n. 100.* Nihilominus *Venusina Syren* Nobilitati hanc facultatem non abnuit notissima illa stropha *Odes 4. lib. 4. Carm. p. 287.*

Fortes creantur fortibus: & bonis
Est in juvencis, est in eqvis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aqvilæ columbam.

At, mi Horatî, qvò ruit Indefinita Tua? Si ad Universalem inclines: qvid experientia falsius offeret? Si ad Particularem procedas: non qvidem erras: sed ad Proprium πολὺ delaberis, regulæqve Tuæ exceptionem subdis. Vide Magnificum Dn. D. Brunnemannum *lib. 1. Enchir. Log. c. 3. p. 49.* Qvod si tueri sententiam Tuam nitaris: dic, oro, an ex traduce genitorum hæc sese emergat Qvalitas, nec ne? Si illud asserueris: denomines velim primarum Qvalitatum aliqvam. Si hoc statueris: teipsum oppugnabis & expugnabis. Si ad occultas qvalitates prodeundi Tibi sit animus: Dic, num vel Materiales, vel Spiritales, vel Magneticas indigitare velis. Vide de his D. Sennertum *in Hypomn. Phys. Hypomn. 2. cap. 4. pag. 75.* &c. Ego nec ad naturam, nec ad Parentes, nec ad culturam ingenii, nec ad ullas Qvalitates, ingeniorum Nobilium nonnullorum excellentiam

abduco: qvæ singula aberrant & vacillant, DEO non dirigente. *Lipsius lib. 1. adversus Dialogistam c. 3. p. 31.* Ad hunc confugiendum est, tanqvam ad verum ingenii Nobilioris parentem. Nam Spiritus est in hominibus: & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam: inqvit perpespicaciter ille DEI servus *Jobus c. 32. v. 8.* Hæc statuens non planè abnuo Generosæ Nobilitati ingenii præstantiam omnem universam: qvod qvibusdam solemne esse videtur, qvorum figmenta & recenset & refutat *M. Velstein. Dec. XI. Qvæst. Eth. qvæst. 5. pag. 263.* &c. Ob nobilitatem autem qvemq; Nobilem ingeniosum ut pronunciem, id vanitatis duco. Non modò inclarescit prosperitate ingenii Arelius, Rex Assyriorum Septimus: *Berosf. lib. 5. Rer. Antiq. p. 336. col. 1.* & Leonidas, Præceptor Alexandri M. ingenio se in laudes fert, seq; nobili vegetoq; commendat animo. *Sen. in Hippolyto Act. 2. Sc. 1. p. 138. Emundus Richerus in Obstetr. Anim. c. 19. p. 70.*

QVÆSTIO CII.

An Nobilis peculiariter sit educandus? Aff.

SCholæ Uratislaviensis vestibulo inscriptum esse in triviis notum est: Fundamentum Reip. est honesta adolescentum educatio. *M. Mart. Wolderus in cursu annuo p. 538. 539.* Contra solent plerunq; bonæ & generosæ indoles prava atq; adeo negligentiore qvoq; educatione depravari: vitiosam verò naturam sæpè bona educatio corrigit. *Mart. Cromer. in Orat. Fun. in laudem Sigismundi I. Poloniæ Regis, unde Junius Parte 2. Orat. p. 83.* Liceat mihi educationem utramq; ex *Qvintiliani* dialogo de Oratoribus, qvi vulgò Cornelio Tacito

cito inscribitur, *cap. 15. & 16. p. 681. 682. 683.* depictam exhibere, ubi ita Messalla: Qvis ignorat, inqvit, & eloqventiam, & cæteras artes, descivisse ab ista vetere gloria? non inopia hominum, sed desidia juventutis, & negligentia Parentum, & inscitia præcipientium, & oblivione moris antiqvi. Qvæ mala primùm in urbe nata, mox per Italiam fusa, jam in provincias manant. Ego de Urbe, & his propriis ac vernaculis vitiis loqvar, qvæ natos statim excipiunt: & per singulos ætatis gradus cumulantur: si prius de severitate ac disciplina Majorum circa educandos formandosq; liberos pauca prædixero. Jam primùm suus cuiq; filius ex casta parente natus, non in cella emtæ nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur: cujus præcipua laus erat, tueri domum, & inservire liberis. Eligebatur autem qvædam major natu propinqva, cujus probatis spectatisq; moribus omnis cujuspiam familiæ soboles committeretur: coram qva neq; dicere fas erat, qvod turpe dictu: neq; facere, qvod inhonestum factu videretur. Ac non studia modò curasqve, sed remissiones etiam usúsq; puerorum, sanctitate qvadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aurelium Cæsaris, sic Attiam Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse Principes liberos accepimus. Qvæ disciplina & severitas eò pertinebat, ut sincera, & integra, & nullis pravitatibus detorta uniuscujusq; natura toto statim pectore arriperet artes honestas: &, sive ad rem militarem, sive ad juris scientiam, sive ad elo-

qventiæ ſtudium inclinâſſet, id ſolum ageret, id univerſum hauriret. At nunc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adjungitur unus aut alter, ex omnibus ſervus plerumq; viliſſimus, nec cuiqvam ſerio miniſterio accommodatus. Horum fabulis & erroribus teneri ſtatim & rudes animi imbuuntur. Nec qviſqvam in tota domo penſi habet, qvod coram infante, domino aut dicat, aut faciat: qvando etiam ipſi parentes nec probitati, neq; modeſtiæ, aſvefaciunt: ſed laſciviæ & libertati: per qvæ paullatim impudentia irrepit, & ſui alieniq; contemptus. Jam verò propria & peculiaria hujus urbis vitia pænè in utero matris concipi mihi videntur: hiſtrionalis favor, & gladiatorum eqvorumq; ſtudia: qvibus occupatus & obſeſſus animus qvantulum loci bonis artibus relinqvit? Qvotumqvemq; inveneris, qvi domi qvicqvam aliud loqvatur? Qvos alios adoleſcentulorum ſermones excipimus? ſi qvando auditoria intravimus. Nec Præceptores qvidem ullas crebriores cum ſuis auditoribus habent fabulas. Colligunt enim diſcipulos non ſeveritate diſciplinæ, nec ingenii experimento, ſed ambitione ſalutantium, & illecebris adulationis. Transeo prima diſcentium elementa, in qvibus & ipſis parum elaboratur. Nec in auctoribus cognoſcendis, nec in evolvenda antiqvitate, nec in notitiam vel rerum, vel hominum, vel temporum ſatis operæ inſumitur: ſed expetuntur, qvos Rhetoras vocant: qvorum profesſio qvan-

qvando primùm in hanc urbem docta sit, qvamq; nullam apud Majores nostros auctoritatem habuit, statim ✠ de curiis. Referam necesse est animum ad eam disciplinam, qva usos esse eos Oratores accepimus, qvorum infinitus labor & qvotidiana meditatio, & in omni genere studiorum exercitationes, ipsorum etiam continentur libris. Notus est vobis utiq; Ciceronis liber, qvi Brutus inscribitur, in cujus extrema parte (nam prior commemorationem veterum Oratorum habet) sua initia, suos gradus, suæ eloqventiæ velut qvandam educationem refert, se apud Q. Mucium Jus civile didicisse, apud Philonem Academicum, apud Diodorum Stoicum omnes Philosophiæ partes penitus hausisse: neq; his Doctoribus contentum, qvorum ei copia in Urbe contigerat, Achaiam qvoq; & Asiam peragrâsse, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. Itaq; hercule in libris Ciceronis deprehendere licet non Geometriæ, non Musicæ, non Grammaticæ, non deniq; ullius ingenuæ artis scientiam ei defuisse. Ille Dialecticæ subtilitatem, ille Moralis partis utilitatem, ille rerum motus causasq; cognovit. Ita enim est, optimi viri ita ex multa eruditione, ex pluribus artibus, & omnium rerum scientia, exundat & exuberat illa admirabilis eloqventia. Neq; Oratoris vis & facultas, sicut cæterarum rerum, angustis & brevibus terminis cluditur: sed is est Orator, qvi de omni qvæstione pulchrè & ornatè, & ad persvadendum aptè dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum volu-

ptate audientium posſit. *Caſus lib. 3. Sphæra Civit. c. 11. p. 162.* vel Regum Natos ſub ſeveriorem diſciplinam advocat ſolemni ſibi lepore: Filius Regis, ita fatur Author, cum ab ipſis incunabulis regno ſit deſtinatus, omni cura ac diligentia enutritur: ardenti ſtudio Parentum ad caſtitatem vitæ, ad veram gloriam, ad prudentiam rerum inſtituitur. His modis inſtructus, mortuo Patre, ſceptrum religioſè tenet, honore tanto oblato non intumeſcit, regnum ut jus ſuum legibus defendit. O qvàm optandum eſſet! ut Reges ſuos Regulos ſic hodie inſtituerent. Natura movet, prudentia jubet, Reſp. poſcit, ut ſic inſtituerent. Indulgentia nimia eſt noſtrorum temporum, libertas nimia. Qvanta, DEUS bone! eſt mollicies in educatione Procerum! Qvanta licentia morum! Unde multum operæ educationi impendendum eſt omni, præprimis Nobilium: ut juvenes Reip. utiles qvandoq; futuros, ceu plantas, rectè curemus, foveamus, & diſciplina recta gubernemus. Illa namq; homini optimum ad ſenectutem viaticum eſt. Ariſtot. apud *Diog. Laërtium lib. 5. Vit. Philoſoph. p. 277.* Qvæ educatio ut felicior ſit & celebrior, domi qvemq; ſuæ nobilem educandum ſciſcit *Card. de Arcan. Prud. Civil. c. 73. p. 282.* Nam multitudo ſemper eſt conſilio ac prudentiæ inimica. *Bodinus lib. 1. de Rep. c. 10. p. 235.* Nec is in magnis viris habebitur, qvi ex errore imperitæ multitudinis pendet. *Cic. lib. 1. off. T. 4. p. 475. Lit. E.* Proinde educationi filiorum ſuorum Nobiles Viri multum operæ dicent: Nam

Illa

Illa laus est, magno in genere, & in divitiis maximis
Liberos hominem educare, generi monumentum &
sibi.

Plaut. in Milit. Glorioso Act. 3. Sc. 1. v. 108. 109.

QVÆSTIO CIII.

An Nobilis peculiariter sit instituendus? Aff.

FOntem & radicem esse probitatis, recta imbutum esse institutione, *Plutarch. in lib. de Instit. lib. 1. T. 2. pag. 3.* censet. Huc collineans *Lips. lib. 5. Epist. Quæst. Epist. 20. pag. 334. 335.* fidelem operam nobili informando, necessitati junctam, non magis desiderat, qvàm ab informante exigit. Idem olfaciens M. Antonius Philosophus Imperator, de qvo notavit *Jul. Capitol. T. 2. Hist. Aug. pag. 106. 107. 108.* ex qvo *Castel. lib. 1. de Off. Reg. cap. 11. p. 31.* Ipsum Viginti usum fuisse Præceptoribus cum in Instrumentalibus disciplinis, tum in Philosophia, tum deniqve in Jure Civili: ut, qvam unius ingenium & industria non posset, plurima tam juncta acrimonia & dexteritas perficeret: hos sibi imitandos duxit optimos: STULTISSIMUM credens, cum *Plinio Juniore lib. 1. Epist. 5. pag. 6.* AD IMITANDUM NON OPTIMA QVÆQVE PROPONERE: se verò imitandum stitit Nobilitati Imperatorem potentissimum, Philosophum perfectissimum, Musagetam munificentissimum. Historiam inculcandam esse Nobili credit *Lipsius loc. cit.* num Senatus consulto Dominorum Publicistarum & Philosophorum id statuerit, admodum dubito. Etsi enim juxta generalem commendationem *Dan. Heinsil. Orat. 10. p. 230. & p. 238. 239.* in Historiæ Præstantia *Polydor. Verg.*

Verg. lib. 1. de Rer. Invent. c. 12. p. 52. Horn. in Proœm. Polit. c. 5. p. 44. ad 50. Utilitate *Castell. lib. 1. de Off. Reg. c. 23. p. 57. & Card. de Arcan. Prud. Civil. cap. 70. pag. 271.* & Jucunditate *Muret. Epist. 1. p. 316.* aperienda & commendanda desudârunt: Rem etiam publ. Moderantibus necessariam cognoscat *Lips. lib. 2. Epist. Quæst. Epist. 14. p. 244.* ejusq; rei velut breviarium laudet Cornelium Tacitum *Naudeus in Bibliograph. Polit. pag. 134. 135:* tamen, qvia *Plutarch. de Oracul. Defect. T. 2. p. 462.* Historiam vocat Philosophiæ Sylvam; Hæc autem varietate arborum freqventissima, jam fagum, mox alnum, deinde tiliam, & alias sigillatim statuat oculis usurpandas: ista jam fontem salutiferum: pôst cladem horrendam: tum geniales dies, neglectim habito canone, qvem singularia non pariunt, nec conceptum ordinant, monstret: nescio, an Nobile ingenium adhoc pistrinum sit amandandum & adstringendum. Illud (ingratiis velim Senatus præcellentissimorum Polyhystorum proscriptis hæc legi) mecum statuo, nec nobili ingenio indignum arbitror: si, qvæ dictitavit in Superiore Qvæstione Qvintilianus, & in hac suo ipsius exemplo expressit Imperator pragloriosissimus, exqvisita industria pensitatis, Nobilis eruditionis perfectæ cupidus, sibi scripta, sibiqve imitanda crediderit: ratus, se operæ pretium omnino facturum esse. Fundamenta profectò is talibus ponit, qvibus tutò superstruet, qvicqvid corruere non vult *Qvintil. lib. 1. Orat. Inst. c. 4. p. 26.* Deinde feliciori gradu ad Politicam exhauriendam perrexerit, disciplinam conscriptu difficillimam qvidem, judicio Nobilissimi & Amplissimi *Dn. D. Dannenhaueri in Idea B. Interpretis pag. 3.* insimul at omnium disciplinarum præstantissimam: *Donaldsono*

cen-

censente *lib. 1. Synopſ. Philoſ. Moral. cap. 2. pag. 15. 16.* qvòd multis & magnis rebus civilis iſta ratio conſtat. *Cic. lib. 1. de Invent. T. 1. p. 80. Lit. C. Hornio in Proœmio Polit. c. 2. p. 8.* prudentia dicitur Architectonica, qvaſi dicas Archifabrilem & Principiſſam: qvia oſtendit, & ſubinde inculcat, ultimum finem: qvi eſt ſalus Reipubl. ad qvam omnes diſciplinæ, humanitus inventæ, tanqvam ad ultimum tendunt ſcopum. Deinde præſcribit reliqvis diſciplinis modum, qvæ, qvando, ubi, qvò usq; doceri debeant. Porrò Artem regnandi & bellum gerendi complectitur: qvæ omnes alias diſciplinas defendunt, & propterea honeſtisſimæ dicendæ ſunt. Ad ſingularia etiam hæc noſtra, inqvit Conſultisſimus Dn. D. Brunnemannus in Præcognit. Polit. ſuæ: dum non tantùm ſingularia exempla Virorum allegat, ſed & ſingulares Resp. præcipuè verò ex fundamentalibus cujuscunqve Reip. legibus, & generalibus præceptis oſtendit, qvid in hac aut illâ Republ. agendum, ob ſalutem ejus publicam: v. g. qvid in noſtro imperio Romano, in hoc vel illo dubio caſu exſeqvendum, rectè in Politica, partim ex ll. fundamentalibus, partim ex Præceptis Politicis monſtratur. Hæc notitia procreabit Politicum, artificem præſtantisſimum, bonæqve diſciplinæ & juſtitiæ opificem. *Plutarch. in Præceptis Politicis. T. 2. pag. 129.* Ac auguſti nominis ingentem abuſum, cum *Hornio l. cit. c. 1. p. 7.* eſſe ſtatuendum eſt, qvoties deſperatisſimæ malitiæ homines, qvi honeſtatem, fidem, religionem, DEUM juxta æſtimant, tam ſublimi titulo indignisſimè vulgo inſigniuntur. De utraq;

Colerus in Epist. de Studio Polit. p. 174. 175. Magnificum erat profectè Politici nomen, nec apud Veteres ita, ut hodie, in propatulo, &, ut ille ait, proculcatum. Nostros enim homines vides, qvi mihi ad insaniam usqve cum Græculis aut Atticis insanire videntur. Notat eos manifestè Cicero qvodam loco ad Pomponium suum, qvòd temerè de qvovis πολιτικῷ nomen usurpaverint. At longè aliter togati illi. Politicum, reor, illum dicebant, qvi Reipubl. administrandæ vias omnes teneret, ejusdemq; naturam, ut qvi maximè, perspectam haberet: sive is in Republ. sive extra, sive circa Remp. ageret: Idem paulò pòst. Ad Ciceronis ævum redeo, qvi in Bruto L. Torqvatum πολιτικὸν fuisse ait, & deinde hæc addit: Erant in eo plurimæ literæ: nec eæ vulgares, sed interiores qvædam & reconditæ: divina memoria, summa verborum & gravitas & elegantia: atqve HÆC OMNIA VITÆ DECORABAT GRAVITAS ET INTEGRITAS. Liqvetne Tibi? Politici nomine in maximis Rebusp. neminem æstimatum fuisse, nisi qvi aut singulari nobilitate, aut sapientia, aut prudentia, aut doctrina, aut integritate esset. Nec video, qvomodo illi Politici nomen suũ tueantur hodie, qvi nec Juris Civilis, nec Philosophiæ, nec Historiæ nimis gnari per ora hominum incedunt, & scribuntur etiam. Illorum qvidem fucus te non

latet,

latet, qvos hoc ævum proventu uberrimo gignit: qvi, dum Politicos dici se postulant, nihil pensi habent, MODÒ FRAUDULENTI, FALSI, IMPROBI SINT. Sed iidem, dum omnia simulare ac dissimulare facilè se posse jactitant, ANIMI TAMEN SUI NEQVITIAM NON POSSUNT. Nihil nunc moror ISTA MONSTRA, qvi sc. πολιτικῶς potare, grassariq; se posse palam profitentur. Atqvi Ciceroni aliter visum, qvi ad Atticum scribens: ut me geram, inqvit, πολιτικῶς. Aptè, opinor, graviterq; vult se gerere Politicus ille Togatus. Hæc hactenus de Politica & Politico. Ducem siqvis desideret, cujus ingenio immoretur & innutriatur juxta *Senecam Epist. 2. p. 2.* dubius hæreo, cui tantam tradam provinciam: cum curta eorum sit supellex, & alius alii arrideat. Adhæc polliceri neqveo ullum eorum, qvos qvidem hactenus vidi, in tam ampla & ardua disciplina, qvem absolutæ perfectionis esse perspectam habeam. Sunt, qvibus Princeps, & qvi circa Ipsum sunt, placent: qvorum non paucos reperias, & qvos Publicistas vocant. Qvidam Philosophiam Practicam totam confundunt, partesqve toti intermiscent. Nonnulli ex singulis partibus integrantibus Philosophiæ Politicæ qvædam adjiciunt & inserunt, qvæ Politicam magis onerant, qvàm ornant. Ita intra sacrum & saxum hærenti Nobilissimo Politicæ cognitionis Candidato, ne Sisyphi sexum perpetim volvat, autor sum, veniam, ut mihi hujus consilii aperti gratificentur Nobilissimi Dominorum Politicorum coryphæi,

 orans,

orans, ut adſveſcant, qvem in omni ferè foro magni jam fieri, clarisſimis Viris memoratum, comperi, Magnificum ac Generoſum **Dn. Limnæum**, Tomis de Jure Publico ad amusſim fabricatis. Ideâ Generali ficta, & literis tradita, ne infidam memoriam fruſtrari qveat, ſæpisſimeq; perlecta, ut animo qvàm familiarisſima fiat, POLITICUM legat relegatq;, notatis iis, qvæ index reticet. Hac induſtria de poſſesſione ejus ipſi conſtabit. Qvæcunq; deinde ad perfectionem Politices inibi deſiderantur: ea ex aliis Politicis, Recesſibus Imperii, atqve Inſtitutis Rerump. excerpta, ficto novo libro, addantur. Politica hoc modo cognita, Hiſtoria erit tractanda. Ea vero non ex ſolo Cornelio Tacito haurienda eſt. Is enim auctor Hiſtoriam XII. Imperatorum Romanorum, qvos Svetonius perſeqvitur, non prorſus perfecit. Deſiderantur enim qvædam, qvæ C. Julio Cæſari ſunt explicando. Ea addenda ſunt ex ipſius Bello Gallico & Civili: A. etiam Hirtl utroqve bello: Ciceronis Orationibus & Epiſtolis: Livio, & Sparſis per Plutarchi vitas. Deinde Hiſtoria Auguſta pervolvenda cum Commentario incomparabilis Salmaſii. Reliqvæ neceſſaria, ut & Exoticæ Hiſtoriæ finem officii cuiqve demandati horæ ſubciſivæ adferent. De Jurisprudentiæ ſtudio non auſim qvicqvam commonefacere. **Magnificorum enim Dominorum Anteceſſorum Francofordianorum nec non & aliarum Illuſtrisſimarum Academiarum Germanicarum** in univerſam ita commentata eſt induſtria ſpectatisſima, ut, qvisqvis ultra adjici deſideret qvicqvam, iſtam metiri nullus posſit. Cauſſari qvi-

qvidem hujus tantæ difficultatis æstimator possit, hac ipsa supersedere qvemqve posse nobilem: qvòd institutio istam non amplificet nobilitatem. Cui satisfieri puto, siqvis cervam illam apud *Plutarchum in Sertorio T. 1. p. 178. col. 1. Lit. C D E.* institutione mansvevisse, non esse extensam dicat. Cani illi apud *Eundem de puerorum Instit. T. 1. p. 3.* venationis velocioris studium non adjunxit novam aliqvam essentiam, novamq; magnitudinem, sed ampliorem virtutem. Crystalla aliàs perspicua, Friburgi Brisgojæ expoliri, & inde pocula, capulos, & alia miræ subtilitatis opera elaborari. *Lansius Orat. 2. p. 33.* refert. Post septimum annum pueri Spartanorum, non parentibus, non paternæ pietati placentibus pœdagogis, sed Lycurgo soli formandi tradebantur, prudentia antecellerent prudentioris commissi fidei, patriæ commodis ut excrescerent. *Plutarch. in Lycurgo, T. 1. p. 16. col. 2. Lit. B. & pag. 18. col. 1. Lit. A.* Spartæ Institutione Archidamus domatricis hominum dignationem peperit: eò qvòd à Simonide eo disciplinæ genere cives legibus obedientes & mansvetos effici crederentur, eqvorum instar, qvi ab initio statim domantur. Vide *Eundem in Platone T. 1. p. 345. col. 2. Lit. A.* Nec Spartanis solùm Lycurgus hæc præcepit: Mæcenas etiam Romam suam non fore felicem sibi persvasit, nisi Augusto Imperatori ad Generosam nobilitatem rectiùs informandam autor fuisset hoc verborum pondere: Hoc qvoqve Te hortor summopere, instituas, ut Patricii eqvestrisq; ordinis homines, dum adhuc pueritiam agunt, ludos literarios freqventent. Adolescentes autem facti eqves & arma tractare discant, ad utrumqve Do-

ctoribus Publicis certo ſtipendio conductis. Ita enim ſtatim à puero diſcentes ac exercentes omnia ea, qvæ adultis ſint uſurpanda, ad omnia negotia aptiores habebis. *Ex lib. 52. Dionis Melch. Junius T. 1. Orat. pag. 27.* Adeo rectè dictum eſſe videtur *Plinio Juniori in Paneg. ad Trojanum p. 128.* Nihil eſt efficacius ad rectè vivendum, qvàm bene inſtitui, aut feliciter naſci: & Alex. Severo Imperatori apud *Lampridium T. 2. Hiſt. Aug. p. 339.* Diſciplina Majorum Remp. tenet; qvæ, ſi dilabatur: & nomen, & imperium amittetur. Cæterùm ita imbuti diſciplina nobiles, memoriam refricent ſibi gratitudinis Neronis, qvi Senecæ, Præceptori ſuo, in publico ita comis aſſurrexit: Qvod præſens conditio poſcebat: ratione, conſilio, præceptis pueritiam, dein juventem meam foviſti. Et tua qvidem erga me munera, dum vita ſuperſtes, æterna erunt. Qvæ à me habes, horti, & fœnus, & villæ, caſibus obnoxia ſunt. At licèt multa videantur: pleriq; haudqvaqvam artibus tuis pares, plura tenuerunt. *Tacit. lib. 14. Annal. c. 7. p. 320:* pariterq; illus dicterii apud *Plin. Mag. in præf. præmiſſa Hiſt. Nat. pag. 2.* Benignum eſt, & plenum ingenui pudoris, fateri, per qvos profeceris.

QVÆSTIO CIV.

An Nobilem deceat eruditio? Aff.

D. Liebenthal *in Coll. Polit. Exercit. 10. qvæſt. 10. p. 349.* viam præit, artium rerumqve cognitionem in No-

Nobili reqvirens, præprimis legum ſcientiam. Excitabit Virum Magnum nobile illud æſtimium, in qvo perpetuò optimo cuiq; fuit exacta & abſoluta ſcientia. Artes virtutum magiſtras nuncupari ſcivit *Auctori ad Herenn. lib. 4. Rhet. T. 1. Oper. Cic. p. 70. Lit. C.* Perſpectum habuit, nullam rem ſine arte ſatis valere, & comitari ſemper artem decus. *Qvintil. lib. 9. Orat. Inſtit. c. 4. p. 533. Lipſ. lib. 2. de Milit. Rom. dial. 8. pag. 82.* Nam ut perfecta ſit virtus: æqvalitas ac tenor vitæ per omnia ſibi conſonans exigitur: qvod non poteſt eſſe, niſi rerum ſcientia contingat, & ars, per qvam divina & humana noſcuntur. *Sen. Ep. 31. p. 80.* Virtuti nempe debemus, ut non præſentem ſolùm illam, ſed & ablatam è conſpectu colamus. *Id. 4. Benef. c. 24. p. 39.* Legum notitiam ideo reqvirit Autor Clariſſimus, ne Nobilis ullus ſibi turpitudinem ignorantia earundem inurat. JCtus nimirum *Pomponius in l. 2. ff. de Orig. Juris* pronunciat, Turpe eſſe Patricio, & Viro Nobili, jus ignorare. Hanc deteſtatus FRANCISCUS I. Rex Galliarum, literis, à qvarum notitia Ipſius Majores ſemper abhorruerant, mentem ſuam ſtudiumq; univerſum addixit. Qvem cum ita rerum ſuarum ſatagere conſpicaretur Gallica Nobilitas: non ipſa Regem Prudentiſſimum ſecuta eſt ſolùm: ſed & reliqvos ordines exemplo ſuo ita inflammavit, ut magno ſtudio artes bonas conqvirerent, ut nusqvam literatorum major copia extiterit. *Bodinus de Methodo Hiſtor. p. 296.* Nec id immeritò. Scilicet Principis vita cenſura eſt, eaq; perpetua. Ad hanc dirigamur, ad hanc convertamur: nec tam imperio nobis opus eſt, qvàm exemplo. Nam meliùs homines exemplis docentur: qvæ in primis hoc in ſe boni habent, qvòd approbant, qvæ præcipiunt fieri poſſe.

posse. *Plin. in Paneg. ad Traj. p. 72. 73.* Legem verò illam Pomponii etiam ultra legis scita extendit D. Claudius Cæsar apud *Svet. in Ipso. cap. 16. pag. 256.* Cognito enim, Splendidum Virum, Græciæq; provinciæ Principem, Latini sermonis ignarum: non modò nomen ejus albo Judicum erosit, sed etiam in peregrinitatem redegit. Vah rigorem summum in tam splendida justitiæ arce! Arcuit illam finibus, qvi animum aperire voluit Lingvæ Latinæ. Viveret utinam etiamnum! & cinifiones nonnulli non tam audacter insultarent capitibus eorum, qvi augustæ huic Lingvæ cognoscendæ non parum operæ tribuerunt. Græcà eandem locupletiorem censuit,

Qvem penes arbitrium est, & jus, & norma loqvendi, verbis *Horat. De arte Poët. T. 2. pag. 412.* Optimus auctor ac Magister eloqventiæ: *Qvintil. lib. 5. O. I. cap. 11. pag. 291.* Summusq; Orator Latinus: *Petr. Victor. lib. 2. Var. Lect. cap. 11. pag. 36.* Cui nullum dicendi instrumentum defuit: *Qvintil. lib. 12. Orat. Instit. cap. 11. p. 729:* arci qvidem eloqventiæ: *Id. ibid. pag. 730. Cicero lib. 1. de Fin. Bon. Mal. T. 2. p. 59. Lit. F.* Transit in Oratoris Latini sententiam *Plutarch. in Demoth. T. 1. p. 253. col. 1. Lit. C.* eum juxta pulchritudinem ejus, qvam variis argumentis demonstrat, studium ejus percipiendæ tam vastum, tamq; difficile esse prædicat, ut otium nactis, pariterq; ætati integræ idem imponat. Hinc etiam eum, qvi ipsius studium Regibus, Principibus, & Magistratibus omnibus necessarium, utile, jucundum, esse negaverit, apud se esse inficiatur Nobilissimus ac Clarissimus *Dn. Rupertus in Mercur. Acad. p. 87.* Priscam adhæc Germanorum ætatem neminem provexisse ad regum Consiliarios, exceptis eruditis, confirmat **Lehm. in der Speyer. Chron.** *lib. 2. cap. 19. p. 91. col. 2. Lit. E.*

pag.

pag. 92. col. 1. Lit. A. & lib. 2. c. 11. p. 75. col. 2. Lit. E. Commendat inde M. Antonium Tomarotium, nobilem Romanum, qvem ſingularis doctrinæ hominem, & acuti ingenii nominat. *Chytræus in Galateo de Moribus. pag. 130.* Laudat eam ob rem PetrumRonſardum, gente nobilem, in Vindocinis natum, Grajæ Latinæq; Camœnæ ita familiarem, & omnium Poëtarum, poſt Auguſti ſeculum, præſtantisſimum, ut à Joanne Gollandio, Juventutis Pariſienſis optimo Moderatore, qvem heredem ſcripſerat, ſtatua marmorea in Scholæ ſacello Cæſaroduni decoratus, inibi anniverſario ſacro, ac puerorum doctis concertationibus coleretur. *Thuan. lib. 82. p. 62. Lit. B C D E.* Nec piget à me addi Joachimum Camerarium, Virum apprimè & Principis gratia, & cultura mentis egregium. Erat Vir loco nobili, ſed in modicis opibus, natus: adhæc ſpecie ingenua præditus, nobilitatem generis, qvantum per conditionem & ætatem licuit, nobilibus exercitiis retinuit: eqvitandi peritia inſignis, de qva ad Xenephontis librum, qvem de re Eqveſtri ſcripſit, à ſe Latinè verſum, ac Notationibus explicatum, peculiari Commentario ſubjecit. De cætero cum vitam otio literario conſecraſſet; poſt perceptam utriusqve lingvæ exactam notitiam, qvas & variis ſcriptis illuſtravit, non ſolùm ad bonos auctores in utraq; lingva interpretandos, tam Poëtas, qvàm Oratores, & Hiſtoricos, ſed etiam in ſolidioribus Philoſophiæ, Mathematicarum artium, & poſtremò Theologiæ ſtudiis multa commentatus eſt: ad qvæ omnia, qvod pauci ante illum fecerant, politioris literaturæ ornamenta ſemper attulit, variis in omni literaturæ genere lucubrationibus aut, dum vixit, editis, aut poſt ſuam mortem à tanto Patre dignis filiis

Dd pu-

publicatis, qvæ ſparſim & diverſis temporibus ac locis per particulas edita, cum ejusmodi ſint, ut iis ad rem literariam plurimum emolumenti ſit redundaturum, ſimul omnia aliqvando edi Reip. maximè intereſt. *Id. lib. 59. pag. 65. Lit. D & E.* Summo etiam, qvo dignus videtur, Eidem *Thuano lib. 96. p. 476. Lit. A & B.* præconio celebrem liceat Andream Dudithium ab Horehovizza, aliqvando qvoq; Sbardellatum à materno genere (Mater qvippe illi Nobilis eo nomine Veneta) cognominatum, virum natalium claritate, ingenio omni ſcientiarum genere exculto: judicio, rarâ Latinè ſcribendi dicendiq; facultate, & in negotiis explicandis prudentia ac ſolertia præſtantem: adhæc totius corporis forma, geſtu, & oris renidentis gravitate conſpicuum: comitate item, vitæq; innocentia omnium, qvi unqvam eum viderunt, gratiam meritum. Natus fuit Anno 1433. Non. Febr. Budæ in Hungaria, aut Budæ proximo caſtello. Primum literarum tyrocinium Patavi fecit, & in Italia P. Manutium, Fr. Robertellum, C. Sigonium, O. Panuinum, & P. Victorium partim audivit, partim amicos & familiares habuit. Tantus verò Tullianæ eloqventiæ ſive admirator, ſive ſectator, fuit, ut totum Ciceronem ter ſua ipſius manu deſcripſerit. Sub optimo qvoqve doctore Angelo Caninio Anglarenſi non ſolùm Græcæ Lingvæ & Hebraicæ, ſed etiam Orientalium peritiſſimo, Lutetiis denuò, intermiſſis per illas peregrinationes ſtudiis, operam dedit. Subjiciam tandem Carolum Magnum, Primum Romano-Germanorum Imperatorem, qvi, qvod de eo literis prodidit *Autor vitæ ejus additus operum Plutarch. T. 1. pag. 353. col. 2. Lit. B & C.* ad eximias regiasq; virtutes addiderat etiam eloqventiam copiamq; di-

dicendi, & bonarum artium disciplinam: qvæ cùm cæteris hominibus, tum iis, qvi sunt in summis potestatibus constituti, magno semper decori atq; ornamento fuerunt. Præceptorem habuit Albinum, cui postea Alcoino cognomen fuit, eruditissimum summumq; Philosophum: à qvo non solùm studium sapientiæ, sed etiam præcepta Oratoria, artemq; disserendi accepit. Cujus operâ tunc primùm Parisiense Gymnasium à Carolo institutum tradunt: qvod deinde à posterioribus regibus servatum auctumq; eò dignitatis & gloriæ venit, ut nunc qvoq; celeberrimum per universum orbem eruditissimorum hominum domicilium habeatur. Carolus igitur ipse literis non modò Latinis, sed etiam Græcis, liberaliter institutus, filios qvoq; suos doctissimis hominibus in disciplinam dedit; ut à primis incunabulis, bonis artibus erudirentur. Hæc tam firmis columnis nixa avertere nonnulli conantur, structis arietibus, non illis, qvibus impositi olim pueri nobiles eqvitare discebant, notante *Petro Victor. lib. 8. Var. Lect. c. 9. p. 178.* sed atrocioribus. Hi ipsi tam averso dicuntur *Lansio in Consultat. Princip. Orat. 1. p. 1.* esse à literis animo, ut in earum perniciem Catilinariam conjurationem iniisse, & vesperas Sicilienses minitari videantur: cum etiam literaturæ possessionem, vel levem tantùm, cum Nobilitatis læsione conjunctam esse extemporali garrulitate calumnientur: & literatos ipsos compositis ad despectum dicteriis procaciter insectentur. Contra hos studiorum perduelles literati se arment clypeo virtutis & prudentiæ, qvo impetus efferati illi omnes facili negotio opprimuntur: cogitentq;, prodiisse hunc literarum contemptum è Scytharum fœtidis paludibus, qvos in eas sua nefanda coegisse qvon-

dam agmina, *idem autor est. Orat. 2. p. 65.* Sciant verò isti Scioli, nullam scientiam bene collocari in eo, qvi illius non est cupidus. *Barth. in Pornoboscod. p. 134.*

QVÆSTIO CV.

An Nobiles contemnent honores Academicos? Dist.

D. *Otto in Dissertat. Juridico-Politica de Jure Publ. Imper. Rom. p. 661. 662.* ait, Non pauci Nobilium hodie à bonis artibus usqve adeo abhorrent, ut non tantùm literas ipsas, velut multum infra suum fastigium jacentes, superbè fastidiant: sed literatos qvoq; omnes tanqvam viles & sordidos habeant despicatui. Qvod vel maximum in Nobilitate est vitium. Nam nisi ignorantiæ totos se addixissent: historiasq; vel inspicere dignarentur: Julium Cæsarem, Augustum, Tiberium, Claudium, Adrianum, M. Antoninum, Severum, Macrinum, aliosq; multos Romanos Principes literis & doctrina excultos fuisse comperirentur. Qvod de literis literarumq; sectatoribus Dn. D. Otto publicavit: eorumqve de contemptu scripsit: idem & alii de honoribus Academicis fieri enunciant. *D. Conßen lib. 4. Polit. cap. 16. p. 332. col. 2. §. 11.* ita qverentem lego: Postqvam vulgata sint indignis insignia: postqvam turba fecit contemptibiles: primò nobilitas honores illos sprevit: nunqvam factura, si in illis vera eruditionis testimonia esse agnosceret. Magnum hoc vulnus est universitatum, nobilissimam juris partem amisisse. Vidi nobilissimos adolescentes, Magnatum filios, Principum cognatos, omnes studiorum partes assiduè diligen-

genterq; tractare: Magistrorum testimonia postulare: sed gradus Academicos contemnere. Qvod enim communiter tam doctis, qvàm indoctis, conceditur: non est (dicebant) testimonium eruditionis: sed inutilis cerimonia hominum otiosorum & ambitiosorum. *Idem lib. 6. Polit. c. 13. p 375. col. 2. §. 4.* Caussa hujus contemptûs est qvarundam Academiarum levitas & perfidia, qvæ accepta pecunia qvoslibet insignibus honorum exornat. Qvo factum est, ut facilius sit, titulum Doctoratus aut Magisterii in Universitatibus adipisci, qvàm in tribum sartorum ac sutorum admitti. Hinc Comites, Barones, Nobiles etsi eruditionem habeant: titulos tamen, ut dubia eruditionis testimonia, aspernantur. Nobilissimus Dn. *Wendelinus lib. 2. Instit. Polit. c. 20, th. 15. p. 360.* consentire videtur opinioni Superiorum JCtorum, ita scribens: Olim gradus Academici majoris fiebant, qvàm infelici hoc nostro seculo, præsertim in Germania: qvæ ad primam relapsura barbariem videtur. Ambivêre eos Principes qvoq;, nedum Nobiles: qvorum multi modò dedecori sibi ducunt: si vel docti, vel consulti publicè salutentur. Ad hæc regero: excusandos esse non minùs Dn D. Ottonem, qvàm Dn. Wendelinum: qvi non omnes arguunt Nobiles tantæ præcipitationis: qvantæ universum insimulat Nobilium ordinem D. Contzen. Non inficior, qvosdam inveniri Nobiles, qvi, dum genua virent, & in Academiis deliciæ aliæ ex aliis qværuntur, jocis sparsis ritus illos Academicos, qvibus usus est in conferendis titulis & privilegiis Doctoralibus per singulas facultates, falsè rideant: qvin & ludibrio interdum exponant: eorum nunqvam, pariterq; nec eruditionis, cupidi. Absit verò

deferam subitaneæ illius festinationis Nobiles illos, qvibus longus rerum usus & invicta experientia persvasit, summam fiduciam cum res Ecclesiæ, cum Politiarum, in literis & literarum his ornamentis, qvibus juvenum industria mirum in modum acuitur, locâsse. Nec ullum collegium in Academiis bene constitutis tam à rectâ pietatis linea defecisse opiner, qvod tantæ dignitatis splendorem adeo proculcet, ut margaritis istis sues exornet: Principesq;, qvibus antè, qvàm præmia ista conferantur, Candidati omnes ab eruditione sua commendantur, ludificare ausint: atqve indoctos miseris parentibus, qvi rude pecus pro pectore humano recipere cogerentur, obtrudere: commoda item publica frustrari, testimonio veritatis inimico. Nec eleganter illi ferendi sunt, qvi, cum humanitas & modestia non ilico ex juvenibus poscit fieri senes, & ætati aliqvid concedit, uberiora posthac incrementa sperans, qvæ in ipso stupiditate stupidiore homine gratia divina & subseqvens industria non finit decollare, omnia ad vivum resecant, inq; suo cerebello sapientiam & eruditionem omnimodam sedem fixisse stolidi credunt. Omnia præclara sunt rara: nec qvicqvam difficilius, qvàm reperire, qvod sit omni ex parte perfectum: inqvit *Cic. de Amicit. T. 4. pag. 574. Lit. D. Plauti* nôrunt dicterium omnes *in Trinummo. Act. 2. Sc. 2.*

Qvi ipsus sibi satis placet: nec probus est, nec frugi bonæ.

QVÆSTIO CVI.

An Nobiles in bello præter cæteros conservandi sint? Aff.

D. Con-

D. Conţen *lib. 9. Polit. c. 2. p. 622. col. 1. & 2. n. 3.* Nobilitati & virtuti parcere sæpè hostes ait solere: idqve gemina de caussa, vel miseratione, vel etiam metu, ne hostis victus iterum pugnet. Rationes hæc ut suo pondere non carent: ita exempla, & alia iisdem subjecta, non sunt tanti momenti, ut vel notentur, vel refutentur: utpote qvæ nimis peregrè adveniunt. Nobilitatis indicium autumat *Barth. in Com. in Claud. pag. 10. col. 2. n. 11.* pericula nulla metuere: eadem vincere item nobilitatis est gloria. Fugit, qvi ignavus est, qvi ignobilis. *Saavedra in Symb. Polit. pag. 236.* Parcit verò, qvicunq; DEI imitator est, cujus proprium est, misereri & parcere. *Bernh. serm. 17. de diversis p. 382 Lit. 6.* Devotus miles, pugnatorq; strenuus virtutes loqvitur, aperit fortia, bellicosusqve vel fugiens artem victoriamq; suam prodit, ut hostium ausus & animos frangat: *Chrysologus serm 150. p. 383. Lit. B.* præclareq; faciens virtutem suam ejusqve gloriam cum hoste partitur. *Basil. Seleucus Orat. 30. pag. 271.* Ducem summum suum Galliæ primaria nobilitas in Classe Philippi Strozzi, adversus Hispanos secuta est. *Thuanus lib. 75. pag. 540. Lit C & D.* Mirare, tyrannis, fidem! Eandem cum fortitudine memoranda copulatam suspice in Rudolpho Schenkkio de Vargila, Nobili Saxonico, qvi Principes suos, agminibus qvibusdam coactis, Lipsiæ obsidione cinctos, hoste fuso, eadem solvit. *Dress. in Poligraph. pag. 290 300.* Victum & jacentem interimere, non est honestum; & qvod honestum est, justitia vacat. *Cic. lib. 1. Off. T. 4. pag. 475. Lit. A.* Strenuos homines in periculis divina ope servari gravissimis, Græciæ olim creditum esse, prodit *Melch. Junius Parte 1. Orat. p. 319.* Homo hu-

humani à se nihil alienum putans, discat, vestigia DEI seqvi, &

Parcere subjectis, & debellare superbos.

Virgil. lib. 6. Æneid. pag. 270.

QVÆSTIO CVII.

An Nobiles qvosdam comitetur superbia? Aff.

NAturalem Nobilitati superbiam, & fomitem ejus esse regnandi cupiditatem, *Clapmarius lib. 2. de Arcan. Rerump. c. 11. p. 57.* & *Tacit. lib. 2. Hist. c. 10. p. 433.* pariterqve ejus propagationem per omnes ferè status, *Bernh. Homil. super missus est. pag. 16. col. 1. & 2.* adstruunt. Qvibus accedit felicitas, qva per victorias suas Pausanias tumidus, & ob nobiles Persarum captos complures, elatius se gerere cœpit. *Corn. Nepos in Eod. p. 359. col. 1. Lit. B.* Hanc divitiis familiarem contagionem, *August. serm. 110. de Temp. T. 10. p. 840. Lit. D. Curt. lib. 5. p. 110.* & celsitudinis imitatricem: *August. lib. 2. Confess. c. 6. T. 1. p. 70. Lit. A.* qvæ

Virtutum est ingrata comes. --- ---

Claud. lib. 2. de laud. Stil. pag. 13. col. 2. fugiat cane pejus & angve, qvi veræ nobilitatis est consors. Ridemus pueros, si ob plumulam, galero impositam, sibi vehementer placeant. Qvantò magis ridet Te DEUS, si ob nobilitatis, & aliud donum, immodicè te effers. *Bernh. serm. 13. in Cant. pag. 594. Lit. C.* Hæc tam velociter, ipsum qvoq; syderibus cunctis clariùs micantem, æterna caligine obtenebravit Luciferum: & non modò angelum, sed angelorum primum, in diabolum commutavit. *Bernh. serm. 1. de Adventu Dom. p. 2. Lit. A.* Ita

Heu! Nunqvam stabilem sortita superbia sedem.

Auson.

Auſon. de Claris Urbibus Carm. 5. pag. 104. Lyſimacho id objectum non inſulſè lego apud *Plutarch. in Orat. 2. de Alex. fortuna vel virtute T. 2. p. 244.* Is ipſe, qvod oram Thraciæ, qvaſi regni extrema, obtinebat, eò proceſſit inſolentiæ & ferociæ, ut in hæc verba eruperit: Nunc, cum cœlum lancea attingam, Byzantini ad me veniunt. Ibi Paſiades, qvi aderat: Subducamus nos, inqvit: ne lanceæ cuſpide cœlum ipſe pertundat. Qvapropter Nobilis qvoqꝫ fragilitatis humanæ memor penſitet æqva lance vitam, *Plinio monitore lib. 7. N. H. c. 7. p. 110.* & Megaram inclamantem audiat apud *Sen. in Hercule Fur. Act. 2. Sc. 3. p. 21.*

--- --- Ne Spiritus altos gere:
Seqvitur ſuperbos ultor à tergo DEUS.

QVÆSTIO CVIII.

An capitis reus ſit, qvi, cum non ſit, ſe profitetur nobilem? Neg.

QVi Nobilitatem, ut juribus & privilegiis ejus uti fruiqꝫ poſſint, appetunt, re caſſi: eos & graviſſimum admittere peccatum, & atrocem pœnam mereri, extra dubitationis aleam ponendum eſſe ſtatuit *D. Liebenthal in Coll. Polit. Exer. 10. qvæſt. 11. pag. 349. 350.* Pœna autem qvæ huic ſit crimini irroganda, non conſtat inter omnes. Nobiliſſimus & Ampliſſimus *Dn. Tobias Magirus in Politica ſua ſcripta. Partis 1. Sect. 2. cap. 2. Artic. 2. §. 4. p. 24.* ejusmodi facinoroſum Majeſtatis teneri putat *per l. 3. C. de Crimine Sacrilegii*, nimis tamen generalem, *Dn. D. Liebenthal l. cit. l. 3. in fin. ff. ad l. Jul. Majeſt.* provocat, qvæ qvidem capitis reos agit, qvi contra iſtam legem delinqvunt: ſed nec hîc fit perſpicua mentio

affectatæ frustra nobilitatis. Porrò abit *ad* ¶. *Eos qui. §. Qui se pro. 2. ff. ad l. Cornel. de falsis.* ubi gravissima exigitur pœna, sed non infligenda frustra nobilem se profitenti. In h. t. tandem adsciti alieni tituli possessionem falsi pœna coërcendam statuit: in qva, ut admodum lata, sponte mea in præsens acqviesco. Videatur *Wesemb. in* ϖ. *p. 348.*

QVÆSTIO CIX.

An Nobili superbè jactare Nobilitatem suam liceat? Neg.

AFfirmativæ se applicat *Saavedra in Symb. Polit. p. 649.* fretus exemplo Hibernorum, qvibus talem jactantiam admodum solemnem fuisse profitetur. Huic oppono autoritatem *Ambros. qvi in Ps. 118. serm. 20. cap. 4. p. 745. Lit. C.* ita commentatur: Si qvis fuerit prædives & nobilis: idem, si nobilitatem generis & divitias suas jactet, in potentia ipsi vilis est. Hanc juribus Majestatis accenset, nec à Principe militiæ impetendam imperat *Isid. Pelus. lib. 4. Epist. 166. p. 87.* Inter vitia cætera refert *Qvintil. lib. 11. Orat. Instit. cap. 1. p. 614.* DEUM immortalem! Qvot sarcasmis! qvot aculeis pungit Hispanorum illam jactantiam *Lans. Orat. 6. pag. 316. 317.* Ciceronem reprehensum ait *Qvintil. lib. 11. Orat. Instit. c. 1. p. 615.* ob perversam jactationem, qvam discernit à gloriatione, eamqve simplex nominat vitium. Qvem verò non terrorem incutit Münceri illa μακρολογία? Qvæ paulò pòst procul dubio & Duci & agminibus maximam cladem adtulit. *Sleidan. lib. 5. de Statu relig. T. 1. p. 151. col. 2.* &c. Hîc verè videas eam, qvam aliàs nuncupat

cupat *Ambrof. lib. 1. de Cain & Abel. c. 5. T. 1. p. 119.* laqveum diaboli. Nec non absterreant castra Romana Nobilem omnem ab isto vitio, cui eadem pœnam inflixerunt. *Lipf. lib. 5. de Milit. Rom. dial. 18. pag. 345. 346.*

QVÆSTIO CX.

An Nobilis peculiaria habeat insignia? Aff.

VAria à variis, iisq; Clarissimis, Scriptoribus memorata leguntur Nobilitatis insignia: non tamen eidem perpetuò propria, sed & aliis communia reperio. Pileum primò signo, libertatem qvi indicavit Romanis: *Svet. in Tiberio Cæsare c. 4. p. 149.* ubi autor dicit, ab Imperatore servos ad pileum frustra vocatos esse, id est, servis libertatem neqvicqvam esse oblatam: atq; ita hanc elegantiam, huncq; ritum interpretatur *Dempsterus lib. 1. Antiq. Rom. cap. 19. p. 82. col. 2. Lit. B.* Eum nobilitatis haberi argumentum, Græcosq; ita declarare, *Ludovic. Cal. Rhod. lib. 20. Lect. Antiq. cap. 12. pag. 937. Lit. F.* inculcat. Romanos verò Nobiles pileum non gestâsse, nec Græcos, nec Germanos, nec Gallos: sed Thessalos, Parthos, & Dacos: *Lipf. lib. 1. Elect. c. 23. p. 428. & de Amphitheatro. c. 19. p. 47.* notavit: qvi l. ult. libertis Romanorum, novam libertatem adeptis, hunc tribuit: & Romanis aliud tegmen adsignat *De Amphitheatro c. 20. p. 50. 51.* Romanos qvidem Nobiles pileum gestâsse, videtur innuere *Martialis lib. 11. Epigramm. 7. p. 284.* inqviens:

Unctis falciferi senis diebus,
Regnator qvibus imperat fritillus,
Versu ludere non laborioso
Permittis, puto, Roma pileata.

Sed hæ voces dubium faciunt ſenſum. Nam ſi ſenſu Grammatico intelligi velim: Accidens commune reperiam. Si per Synecdochen explanem: improprius eſt ſermo: nec explicatio certa. Si tantùm ad Nobiles aliqvos accommodaverit: exigo, ut de Autoritate ſit ſolicitus. Apud *Senecam Epiſt. 18. p. 120.* lego turbam pileatam: inde primam ſententiam confirmo, ſcil. qvoad libertos. Contra apud Hiſpanos dedecori erat pileus, isq; chartaceus. Nam is ad rogum ducendis in ludibrium imponebatur. *Drexel. in Gymnaſ. Patient. Parte 1. c. 4. p. 105.* Jocoſum refert de pileo *Lanſ. Orat. 4. pag. 181.* De Friderico Urbini Comite, qvi tam fuit comis, ut obvios qvosq; compellaret: & pileum qvaſi continuò manu teneret ab Octaviano Ubaldino, Neceſſario ſuo, propterea dicterio petitus: qvi, ſiqvando valde negotioſum hominem & feſtinantem conſpiceret, eum Comitis Friderici pileo occupatiorem dicebat. A pileo ad plumas ſ. criſtas pergo: qvæ & voce pennæ ſignificabantur. *Lipſ. lib. 3. de Milit. Rom. dial. 5. pag. 224.* Eas diſfluentes Nobilium Hiſpanorum & Neapolitanorum in capitibus advertit *Chytræus ſeu Joannes Caſa in Galateo de Moribus pag. 414.* De iis vide *Lipſ. lib. 3. de Milit. Rom. dial. 5. pag. 123. ad 127. in Analectis pag. 392. Jacob. Juſtum* **in der kleinen Wunderwelt.** *pag. 37.* A criſtis nihilominus & criſtatos dicit Gallos *Martialis lib. 9. Epigram. 7. p. 237.*

Qvid tibi nobiſcum eſt, ludi ſcelerate Magiſter?
Inviſum pueris, virginibusq; caput.
Nondum criſtati rupêre ſilentia galli:
Murmure jam ſœvo verberibusq; tonas.

Idem lib. 14. Epigram. 223. pag. 380.

Sur-

Surgite jam pueri: vendit jentacula piſtor,
Criſtatæq; ſonant undiq; lucis aves.

Pluma etiam, qvod obiter noto, pro lecto molliore accipitur *lib. 12. Epigr. 17. pag. 318. in Lentinum.*

Qvare tam multis à te, Lentine, diebus
Non abeat febris, qværis: & usq; gemis.
Geſtatur tecum ſella, pariterq; lavatur:
Cœnat boletos, oſtrea, ſumen, aprum.
Ebria Setino fit ſæpè, & ſæpè Falerno:
Nec niſi poſt niveam Cæcuba potat aqvam.
Circumfuſa roſis, & nigra recumbit amomo:
Dormit & in pluma purpureoq; toro.
Cum ſic tam pulchrè, tam belle vivat apud te:
Ad Dammam potiùs vis tua febris eat.

Inſigne novum crines ſ. comas potiùs profero, qvas nobiliſſimorum inſigne fuiſſe, firmat *Svet. in C. Caligula cap. 35. pag. 231.* qvi Cincinnato Nobili crinem à dicto Imperatore ademptum eſſe ſcribit. Regale qvoq; inſigne fuiſſe comam, docet me *Orator Romanus lib. 3. Tuſcul. Qvæſt. T. 4. p. 222. Lit. A & B. Agamemnon*, inqvit. *Homericus* ἰλίαδ. *κ. p. 338.* & idem *Accianus:*

αὐτὰρ ὅτ᾽ ἐς νῆας τε ἴδοι καὶ λαὸν ἀχαιῶν,
πολλὰς ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους ἕλκετο χαίτας,
ὑψόθ᾽ ἐόντι Διῒ μέγα δ᾽ ἔστενε κυδάλιμον κῆρ.

Qvos ſic expreſſi:

Sed ſpectans naves populum qvoq; vidit Achivum,
Evulſit multos capitis de vertice crines,
In ſuperis Jove magno conſedente. Gemebat
Ah! nimium qvantum cor, qvod fulgebat honore.

Id. *Cic. ibid.* addit: In qvo facetum illud Bionis proinde

sibi stultissimum regem in luctu capillum evellere: qvasi calvitio mæror levaretur. De Euphorbi comis legens apud *Eundem vatem Græciæ prægloriosissimum hos versiculos ex* ἰλιαδ. ρ. *pag. 610.*

αἵματί οἱ δεύοντο κόμαι χαρίτεσσιν ὁμοῖαι,
πλοχμοί θ' οἱ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκωντο.

Sic redditos mihi:

Est ipsis χάρισι similis madefacta cruore
Heu! coma: qvin crines auro argentoq; revincti.

conjicio non absimilia. Nec fallar, si vel mortuis Magnatibus aliqvid honoris à crinibus accessisse asseverem. Patrocli certè Herois inter magnos Maximi sepulchrum iisdem honoratum esse testatur *Homerus* ἰλιαδ. ψ. *pag. 806. hoc versu:*

θριξὶ δὲ πάντα νέκυν καταείνυον, ἃς ἐπέβαλλον
κειρόμενοι. i. e.

Obtecto toti defuncto at crinibus, hosce
Instraverunt tondentes.

Nec cæsaries Absolomi, *2. Sam.14. v.25.26.* filii (at qvàm degeneris!) Optimi & DEO acceptissimi Regis Davidis, spem mihi negat, fore, ut minùs errem, statuens, vel à Superiorum Regum Israelitarum, vel ab extrariorum Regum Ethnicorum filiis ornamentum hoc proveniens ei oculos percussisse, ut sui cæcus mirator, injuriâ, Parenti tam probo illata, qvæsito regno, cujus tamen sceptra è qvercu pendens perdidit: comarum effusione flexibusq;, non contrà naturam retrò actis, qva re *Qvintil. lib. 11. Orat. Instit. cap. 3. p. 670.* horrorem fieri horribilem pronunciat: qvem confirmat gloriosissimus Sveciæ Rex & in morte sua Victor invictissimus, GUSTAVUS

ADOL-

ADOLPHUS, qvem Candor Svecorum Germaniæq; fides intermori nunqvam patientur: qvi eundem ut & gratiam ea ſibi paravit. Qvin plurimi & alibi factam comam non inficior. Mihi enim ſublimiorem ejus cultum pingit *Petr. Victor. lib. 6. Var. Lect. 22. p. 142. 143.* eam Gentilium de aſtris conſecratam fuiſſe referens. Vertici ignis cœlum tangenti hac voce blanditur *Sen. Trag. in Oedipode Act. 2. Sc. 2. p. 180.* Ignis, inqvit

--- Summam in auras fuſus explicuit comam.

Idem *eundem in Oedip. Act. 1. Sc. 2. pag. 174.* Sylvæ tribuit frondibus, canens

Non ſua ſylva decorata coma
Fundit opacis montibus umbras.

Vide *Voſſ. lib. 4. Orat. Inſtit. c. 6. p. 124. & Auſon. de Arundine in Edyl. 6. p. 132.* Adde & *Sen. in Herc. Oetæo Act. 2. Sc. 1. p. 375.* Is ipſe hanc applicat Syderum Imperatori, Soli in *Octav. Act. 1. Sc. 1. p. 326.* hoc lepore:

--- --- --- Surgit Titan
Radiante coma, mundoq; diem
Reddit clarum.

Barth. in Com. in Claud. p. 7. col. 2. & p. 8. col. 1. pluribus accommodat. Nec protritum qvippiam ſpirat ritus ille, per qvem factum, ut nubentium comæ haſtis diſcriminarentur: de qvo vide *Plutarchum in Qvæſt. Centur. Rom. T. 2. p. 620.* Sicco qvoq; ne pede prætercam monilia, monet Chryſoſt. Homil. 36. unde exprimi curavit Excellentisſimus *Dn. Magirus in Sab. Chriſt. pag. 466.* dicens: Divitum liberi monilia circa collum aurea geſtant, nec unqvam ea deponunt: ſed tanqvam nobilitatis inſigne circumferunt. Torqves etiam dicta lego, & omnino

Ro-

Romanæ fuiſſe inſignia ſcio nobilitatis. Scilicet *Suet. in C. Caligula c. 35. p. 231.* probat, Viro nobilisſimo Torqvato ademptum ab eodem eſſe Cæſare : qvem Virum ideo eo nomine vocatum cenſeo, qvòd id iis tribuatur, qvibus torqvis aureus ſolidus virtutis præmium fuit: *idq́; ex Vegetii lib. 2. c. 7. repetit Lipſ. lib. 5. de Milit. Rom. dial. 17. p. 333.* Inter phaleras verò & torqves aliqvod diſcrimen *Lipſius lib. 5. Milit. Rom. dial. 17. p. 332.* agnoſcit, ex his Silii verſibus hauriendum:

--- --- Phaleris hic pectora fulget:
Hic torqve aurato circumdat bellica colla.

Phaleræ enim demiſſæ ad pectus pendebant: torqves verò ſtringebant magis & ambibant ipſum collum. Diverſitas etiam in forma: qvòd illæ pleniores, & magis jacentes: (ut ſcutula : vide Suidam in φάλαρα:) iſtæ contortæ: (Vox Latina & Græca indicat) & ex annulis aut catellis plexæ. Vide *Barth. in Com. in Claud. pag. 1058. col. 2. n. 3.* Paulò aliter ediſſertat rem *Lipſ. l. cit.* Torqves Gallorum, inqviens, jam olim geſtamina propria & patria fuiſſe ferunt. Tamen ab hoc militiæ ritu manaſſe magis arbitror: qvòd hodie nobilitas Europæa tam pasſim ſibi vindicat torqves : ubi addit : Eqviti, ſingulari certamine, ultrò hoſtem dejicienti & ſpolianti, dantur phaleræ: ibidemqve nuncupat donum militare. Qvid poſtea de illo judicatum fuerit : explanat *Lanſ. in Conſult. Princip. Orat. 5. p. 240. 241.* Unde diſco, & in poſteris diſcrimen Lipſianum fuiſſe obſervatum. De annulo variatas lego opiniones: conciliandas, ſi commodè intelligantur. Annulum duplici notione notabilem eſſe conſtat: utroq; modo ſignandi officium prodit, extra

ſcri-

ſcriptionem, & in ipſa. Illam monſtrabit hæc pagina: hanc exſeqvuntur Borchholten *in Com. in Inſtit. Imperial. p. 134. col. 1. n. 14. & Polyd. Vergil. lib. 8. de Rer. Juveut. c. 2. pag. 619.* Aureum annulum ingenuitatis fuiſſe ſignum, oſtendunt *Lipſ. lib. 5. de Milit. Rom. dial. 17. pag. 332. 333. D. Cellarius lib. 2. Polit. Succinct. cap. 17. p. 296. 297. & Gudalinus lib. 1. de jure noviſſimo cap. 6. p. 10. col. 2. & pag. 11. col. 1.* hîc tamen eqveſtrem ordinem jungit Nobilitati, & ſic pergit: Annulus aureus erat inſigne eqveſtris ordinis & nobilitatis, qvem, dando alicui Libertino, Princeps eum ex vili iſta conditione eximere cenſebatur: atq; inde appellatum jus aureorum annulorum, ut rectè declaraverunt *Budæus ad l. ult. ff. de Senatoribus. Connan. lib. 2. c. 12. & Cujacius Obſervat. lib. 7. c. 7. & c. 14.* Vis autem impetrationis hæc erat, ut non ſtatim ingenuitatis, qvàm imaginis ejus, jus præſtaret: & ſolùm ut poſſet is, qvi hanc gratiam acceperat, ſine periculo officiis ſe publicis ingenuorum ingerere, & familiis nobilibus ſe per matrimonium conjungere *d. l. unica C. ad l. Viſelliam.* Etenim per omnia ſalvum manebat jus patroni, niſi qvatenus ei remitteretur: ac poterat nihilominus jure aureorum annulorum donatus, ob ingratitudinem, in ſervitutem revocari. *l. penult. ff. de Jure aureorum annulorum. l. 2. C. ibid. Gudalinus lib. 1. de Jure noviſſimo c. 6. p. 10. col. 2. & pag. 11. col. 1.* Comprobat idem, qvoad eqveſtrem ordinem, *Svet. in Sergio Galba. cap. 10. p. 348.* Delegit Imperator & eqveſtris ordinis juvenes, qvi, manente annulorum aureorum uſu, Evocati appellarentur: excubiasqve circa cubiculum ſuum vice militum agerent. Junge *Lipſ. lib. 2. Elect. c. 8. pag. 471.* qvi Liberis, Senatui, & Eqvitibus hos addicit. *Svet. in Vitellio. cap. 12. p. 377.* Conferebat hos Imperator.

dam agmina, *idem autor est. Orat. 2. p. 65.* Sciant verò isti Scioli, nullam scientiam bene collocari in eo, qvi illius non est cupidus. *Barth. in Pornoboscod. p. 134.*

QVÆSTIO CV.

An Nobiles contemnent honores Academicos? Dist.

D. *Otto in Dissertat. Juridico-Politica de Jure Publ. Imper. Rom. p. 661. 662.* ait, Non pauci Nobilium hodie à bonis artibus usqve adeo abhorrent, ut non tantùm literas ipsas, velut multum infra suum fastigium jacentes, superbè fastidiant: sed literatos qvoq; omnes tanqvam viles & sordidos habeant despicatui. Qvod vel maximum in Nobilitate est vitium. Nam nisi ignorantiæ totos se addixissent: historiasq; vel inspicere dignarentur: Julium Cæsarem, Augustum, Tiberium, Claudium, Adrianum, M. Antoninum, Severum, Macrinum, aliosq; multos Romanos Principes literis & doctrina excultos fuisse comperirentur. Qvod de literis literarumq; sectatoribus Dn. D. Otto publicavit: eorumqve de contemptu scripsit: idem & alii de honoribus Academicis fieri enunciant. *D. Conren lib 4. Polit cap. 16. p. 232. col. 2. §. 11.* ita qverentem lego: Postqvam vulgata sint indignis insignia: postqvam turba fecit contemptibiles: primò nobilitas honores illos sprevit: nunqvam factura, si in illis vera eruditionis testimonia esse agnosceret. Magnum hoc vulnus est universitatum, nobilissimam juris partem amisisse. Vidi nobilissimos adolescentes, Magnatum filios, Principum cognatos, omnes studiorum partes assiduè dili-

gen-

genterq; tractare: Magiſtrorum teſtimonia poſtulare: ſed gradus Academicos contemnere. Qvod enim communiter tam doctis, qvàm indoctis, conceditur: non eſt (dicebant) teſtimonium eruditionis: ſed inutilis cerimonia hominum otioſorum & ambitioſorum. *Idem lib. 6. Polit. c. 13. p 375. col. 2. §. 4.* Cauſſa hujus contemptûs eſt qvarundam Academiarum levitas & perfidia, qvæ accepta pecunia qvoslibet inſignibus honorum exornat. Qvo factum eſt, ut facilius ſit, titulum Doctoratus aut Magiſterii in Univerſitatibus adipiſci, qvàm in tribum ſartorum ac ſutorum admitti. Hinc Comites, Barones, Nobiles etſi eruditionem habeant: titulos tamen, ut dubia eruditionis teſtimonia, aſpernantur. Nobilisſimus Dn. *Wendelinus lib. 2. Inſtit. Polit. c. 20, th. 15. p. 360.* conſentire videtur opinioni Superiorum JCtorum, ita ſcribens: Olim gradus Academici majoris fiebant, qvàm infelici hoc noſtro ſeculo, præſertim in Germania: qvæ ad primam relapſura barbariem videtur. Ambivêre eos Principes qvoq;, nedum Nobiles: qvorum multi modò dedecori ſibi ducunt: ſi vel docti, vel conſulti publicè ſalutentur. Ad hæc regero: excuſandos eſſe non minùs Dn D. Ottonem, qvàm Dn. Wendelinum: qvi non omnes arguunt Nobiles tantæ præcipitationis: qvantæ univerſum inſimulat Nobilium ordinem D. Conſcn. Non inficior, qvosdam inveniri Nobiles, qvi, dum genua virent, & in Academiis deliciæ aliæ ex aliis qværuntur, jocis ſparſis titus illos Academicos, qvibus uſus eſt in conferendis titulis & privilegiis Doctoralibus per ſingulas facultates, ſalſè rideant: qvin & ludibrio interdum exponant: eorum nunqvam, pariterq; nec eruditionis, cupidi. Abſit verò

deferam subitaneæ illius festinationis Nobiles illos, qvibus longus rerum usus & invicta experientia persvasit, summam fiduciam cum res Ecclesiæ, cum Politiarum, in literis & literarum his ornamentis, qvibus juvenum industria mirum in modum acuitur, locâsse. Nec ullum collegium in Academiis bene constitutis tam à rectâ pietatis linea defecisse opiner, qvod tantæ dignitatis splendorem adeo proculcet, ut margaritis istis sues exornet: Principesq; , qvibus antè, qvàm præmia ista conferantur, Candidati omnes ab eruditione sua commendantur, ludificare ausint: atqve indoctos miseris parentibus, qvi rude pecus pro pectore humano recipere cogerentur, obtrudere: commoda item publica frustrari, testimonio veritatis inimico. Nec eleganter illi ferendi sunt, qvi, cum humanitas & modestia non ilico ex juvenibus poscit fieri senes, & ætati aliqvid concedit, uberiora posthac incrementa sperans, qvæ in ipso stupiditate stupidiore homine gratia divina & subseqvens industria non sinit decollare, omnia ad vivum resecant, inq; suo cerebello sapientiam & eruditionem omnimodam sedem fixisse stolidi credunt. Omnia præclara sunt rara: nec qvicqvam difficilius, qvàm reperire, qvod sit omni ex parte perfectum: inqvit *Cic. de Amicit. T. 4. pag. 574. Lit. D. Plauti* nôrunt dicterium omnes *in Trinummo. Act. 2. Sc. 2.*

Qvi ipsus sibi satis placet: nec probus est, nec frugi bonæ.

QVÆSTIO CVI.

An Nobiles in bello præter cæteros conservandi sint? Aff.

D. Cont

D. Contzen *lib. 9. Polit. c. 2. p. 622. col. 1. & 2. n. 3.* Nobilitati & virtuti parcere sæpè hostes ait solere: idqve gemina de caussa, vel miseratione, vel etiam metu, ne hostis victus iterum pugnet. Rationes hæc ut suo pondere non carent: ita exempla, & alia iisdem subjecta, non sunt tanti momenti, ut vel notentur, vel refutentur; utpote qvæ nimis peregrè adveniunt. Nobilitatis indicium autumat *Barth. in Com. in Claud. pag. 10. col. 2. n. 11.* pericula nulla metuere: eadem vincere item nobilitatis est gloria. Fugit, qvi ignavus est, qvi ignobilis. *Saavedra in Symb. Polit. pag. 236.* Parcit verò, qvicunq; DEI imitator est, cujus proprium est, misereri & parcere. *Bernh. serm. 17. de diversis p. 382 Lit. G.* Devotus miles, pugnatorq; strenuus virtutes loqvitur, aperit fortia, bellicosusqve vel fugiens artem victoriamq; suam prodit, ut hostium ausus & animos frangat: *Chrysologus serm. 150. p. 383. Lit. B.* præclareq; faciens virtutem suam ejusqve gloriam cum hoste partitur. *Basil. Seleucus Orat. 30. pag. 271.* Ducem summum suum Galliæ primaria nobilitas in Classe Philippi Strozzi, adversus Hispanos secuta est. *Thuanus lib. 75. pag. 540. Lit. C & D.* Mirare, tyrannis, fidem! Eandem cum fortitudine memoranda copulatam suspice in Rudolpho Schenkkio de Vargila, Nobili Saxonico, qvi Principes suos, agminibus qvibusdam coactis, Lipsiæ obsidione cinctos, hoste fuso, eadem solvit. *Dress. in Poligraph. pag. 299 300.* Victum & jacentem interimere, non est honestum: & qvod honestum est, justitia vacat. *Cic. lib. 1. Off. T. 4. pag. 475. Lit. A.* Strenuos homines in periculis divina ope servari gravissimis, Græciæ olim creditum esse, prodit *Melch. Junius Parte 1. Orat. p. 319.* Homo hu-

humani à se nihil alienum putans, discat, vestigia DEI seqvi, &

Parcere subjectis, & debellare superbos.

Virgil. lib. 6. Æneid. pag. 270.

QVÆSTIO CVII.

An Nobiles qvosdam comitetur superbia? Aff.

Naturalem Nobilitati superbiam, & fomitem ejus esse regnandi cupiditatem, *Clapmarius lib. 2. de Arcan. Rerump. c. 11. p. 57.* & *Tacit. lib. 2. Hist. c. 10. p. 433.* pariterqve ejus propagationem per omnes ferè status, *Bernh. Homil. super missus est. pag. 16. col. 1. & 2.* adstruunt. Qvibus accedit felicitas, qva per victorias suas Pausanias tumidus, & ob nobiles Persarum captos complures, elatius se gerere cœpit. *Corn. Nepos in Eod. p. 359. col. 1. Lit. B.* Hanc divitiis familiarem contagionem, *August. serm. 110. de Temp. T. 10. p. 840. Lit. D. Curt. lib. 5. p. 110.* & celsitudinis imitatricem: *August. lib. 2. Confess. c. 6. T. 1. p. 70. Lit. A.* qvæ

Virtutum est ingrata comes. --- ---

Claud. lib. 2. de laud. Stil. pag. 13. col. 2. fugiat cane pejus & angve, qvi veræ nobilitatis est consors. Ridemus pueros, si ob plumulam, galero impositam, sibi vehementer placeant. Qvantò magis ridet Te DEUS, si ob nobilitatis, & aliud donum, immodicè te effers. *Bernh. serm. 13. in Cant. pag. 594. Lit. C.* Hæc tam velociter, ipsum qvoq; syderibus cunctis clariùs micantem, æterna caligine obtenebravit Luciferum: & non modò angelum, sed angelorum primum, in diabolum commutavit. *Bernh. serm. 1. de Adventu Dom. p. 2. Lit. A.* Ita

Heu! Nunqvam stabilem sortita superbia sedem.

Auson.

Auson. de Claris Urbibus Carm. 5. pag. 104. Lysimacho id objectum non insulsè lego apud *Plutarch. in Orat. 2. de Alex. fortuna vel virtute T. 2. p. 244.* Is ipse, qvod oram Thraciæ, qvasi regni extrema, obtinebat, eò processit insolentiæ & ferociæ, ut in hæc verba eruperit: Nunc, cum cœlum lancea attingam, Byzantini ad me veniunt. Ibi Pasiades, qvi aderat: Subducamus nos, inqvit: ne lanceæ cuspide cœlum ipse pertundat. Qvapropter Nobilis qvoq; fragilitatis humanæ memor pensitet æqva lance vitam, *Plinio monitore lib. 7. N. H. c. 7. p. 110.* & Megaram inclamantem audiat apud *Sen. in Hercule Fur. Act. 2. Sc. 3. p. 21.*

--- --- Ne Spiritus altos gere:
Seqvitur superbos ultor à tergo DEUS.

QVÆSTIO CVIII.

An capitis reus sit, qvi, cum non sit, se profitetur nobilem? Neg.

QVi Nobilitatem, ut juribus & privilegiis ejus uti fruiq; possint, appetunt, re cassi: eos & gravissimum admittere peccatum, & atrocem pœnam mereri, extra dubitationis aleam ponendum esse statuit *D. Liebenthal in Coll. Polit. Exer. 10. qvæst. 11. pag. 349. 350.* Pœna autem qvæ huic sit crimini irroganda, non constat inter omnes. Nobilissimus & Amplissimus *Dn. Tobias Magirus in Politica sua scripta. Partis 1. Sect. 2. cap. 2. Artic. 2. §. 4. p. 24.* ejusmodi facinorosum Majestatis teneri putat *per l. 3. C. de Crimine Sacrilegii*, nimis tamen generalem, *Dn. D. Liebenthal l. cit. l. 3. in fin. ff. ad l. Jul. Majest.* provocat, qvæ qvidem capitis reos agit, qvi contra istam legem delinqvunt: sed nec hîc sit perspicua mentio

cupat *Ambrof. lib. 1. de Cain & Abel. c. 5. T. 1. p. 119.* laqveum diaboli. Nec non abfterreant caftra Romana Nobilem omnem ab ifto vitio, cui eadem pœnam inflixerunt. *Lipf. lib. 5. de Milit. Rom. dial. 18. pag. 345. 346.*

QVÆSTIO CX.

An Nobilis peculiaria habeat infignia? Aff.

VAria à variis, iisq; Clarisfimis, Scriptoribus memorata leguntur Nobilitatis infignia: non tamen eidem perpetuò propria, fed & aliis communia reperio. Pileum primò figno, libertatem qvi indicavit Romanis: *Svet. in Tiberio Cæfare c. 4. p. 149.* ubi autor dicit, ab Imperatore fervos ad pileum fruftra vocatos effe, id eft, fervis libertatem neqvicqvam effe oblatam: atq; ita hanc elegantiam, huncq; ritum interpretatur *Dempfterus lib. 1. Antiq. Rom. cap. 19. p. 82. col. 2. Lit. B.* Eum nobilitatis haberi argumentum, Græcosq; ita declarare, *Ludovic. Cal. Rhod. lib. 20. Lect. Antiq. cap. 12. pag. 937. Lit. F.* inculcat. Romanos verò Nobiles pileum non geftâffe, nec Græcos, nec Germanos, nec Gallos: fed Theffalos, Parthos, & Dacos: *Lipf. lib. 1. Elect. c. 23. p. 428. & de Amphitheatro. c. 19. p. 47.* notavit: qvi l. ult. libertis Romanorum, novam libertatem adeptis, hunc tribuit: & Romanis aliud tegmen adfignat *De Amphitheatro c. 20. p. 50. 51.* Romanos qvidem Nobiles pileum geftâffe, videtur innuere *Martialis lib. 11. Epigramm. 7. p. 284.* inqviens:

Unctis falciferi fenis diebus,
Regnator qvibus imperat fritillus,
Verfu ludere non laboriofo
Permittis, puto, Roma pileata.

Sed hæ voces dubium faciunt sensum. Nam si sensu Grammatico intelligi velim: Accidens commune reperiam. Si per Synecdochen explanem: improprius est sermo: nec explicatio certa. Si tantùm ad Nobiles aliqvos accommodaverit: exigo, ut de Autoritate sit solicitus. Apud *Senecam Epist. 18. p. 120.* lego turbam pileatam: inde primam sententiam confirmo, scil. qvoad libertos. Contra apud Hispanos dedecori erat pileus, isq; chartaceus. Nam is ad rogum ducendis in ludibrium imponebatur. *Drexel. in Gymnas. Patient. Parte 1. c. 4. p. 105.* Jocosum refert de pileo *Lans. Orat. 4. pag. 181.* De Friderico Urbini Comite, qvi tam fuit comis, ut obvios qvosq; compellaret: & pileum qvasi continuò manu teneret ab Octaviano Ubaldino, Necessario suo, propterea dicterio petitus: qvi, siqvando valde negotiosum hominem & festinantem conspiceret, eum Comitis Friderici pileo occupatiorem dicebat. A pileo ad plumas s. cristas pergo: qvæ & voce pennæ significabantur. *Lips. lib. 3. de Milit. Rom. dial. 5. pag. 224.* Eas diffluentes Nobilium Hispanorum & Neapolitanorum in capitibus advertit *Chytræus seu Joannes Casa in Galateo de Moribus pag. 414.* De iis vide *Lips. lib. 3. de Milit. Rom. dial. 5. pag. 123. ad 127. in Analectis pag. 392. Jacob. Justum in der kleinen Wunderwelt. pag. 37.* A cristis nihilominus & cristatos dicit Gallos *Martialis lib. 9. Epigram. 7. p. 237.*

Qvid tibi nobiscum est, ludi scelerate Magister?
Invisum pueris, virginibusq; caput.
Nondum cristati rupêre silentia galli:
Murmure jam sævo verberibusq; tonas.

Idem lib. 14. Epigram. 223. pag. 380.

Sur-

Surgite jam pueri: vendit jentacula piſtor,
Criſtatæq; ſonant undiq; lucis aves.

Pluma etiam, qvod obiter noto, pro lecto molliore accipitur *lib. 12. Epigr. 17. pag. 318. in Lentinum.*

Qvare tam multis à te, Lentine, diebus
Non abeat febris, qværis: & usq; gemis.
Geſtatur tecum ſella, pariterq; lavatur:
Cœnat boletos, oſtrea, ſumen, aprum.
Ebria Setino fit ſæpè, & ſæpè Falerno:
Nec niſi poſt niveam Cæcuba potat aqvam.
Circumfuſa roſis, & nigra recumbit amomo:
Dormit & in pluma purpureoq; toro.
Cum ſic tam pulchrè, tam belle vivat apud te:
Ad Dammam potiùs vis tua febris eat.

Inſigne novum crines ſ. comas potiùs profero, qvas nobiliſſimorum inſigne fuiſſe, firmat *Svet. in C. Caligula cap. 35. pag. 231.* qvi Cincinnato Nobili crinem à dicto Imperatore ademptum eſſe ſcribit. Regale qvoq; inſigne fuiſſe comam, docet me *Orator Romanus lib. 3. Tuſcul. Qvæſt. T. 4. p. 222. Lit. A & B. Agamemnon,* inqvit. *Homericus* ἰλίαδ. *κ. p. 338.* & idem *Accianus:*

αὐτὰρ ὅτ' ἐς νῆάς τε ἴδοι καὶ λαὸν ἀχαιῶν,
πολλὰς ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους ἕλκετο χαίτας,
ὑψόθ' ἐόντι διῒ μέγα δ' ἔστενε κυδάλιμον κῆρ.

Qvos ſic expreſſi:

Sed ſpectans naves populum qvoq; vidit Achivum,
Evulſit multos capitis de vertice crines,
In ſuperis Jove magno conſedente. Gemebat
Ah! nimium qvantum cor, qvod fulgebat honore.

Id. *Cic. ibid.* addit; In qvo facetum illud Bionis proinde

ſibi ſtultisſimum regem in luctu capillum evellere: qvaſi calvitio mæror levaretur. De Euphorbi comis legens apud *Eundem vatem Græciæ prægloriosisſimum hos verſiculos ex ἰλιαδ. ρ. pag. 610.*

> αἵματί οἱ δεύοντο κόμαι χαρίτεσσιν ὁμοῖαι,
> πλοχμοί θ' οἳ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκωντο.

Sic redditos mihi:

> Eſt ipſis χάρισι ſimilis madefacta cruore
> Heu! coma: qvin crines auro argentoq; revincti.

conjicio non abſimilia. Nec fallar, ſi vel mortuis Magnatibus aliqvid honoris à crinibus acceſſiſſe aſſeverem. Patrocli certè Herois inter magnos Maximi ſepulchrum iisdem honoratum eſſe teſtatur *Homerus ἰλιαδ. ψ. pag. 806. hoc verſu:*

> θριξὶ δὲ πάντα νέκυν καταείνυον, ἃς ἐπέβαλλον κειρόμενοι. i. e.

> Obtecto toti defuncto at crinibus, hosce
> Inſtraverunt tondentes.

Nec cæſaries Abſolomi, *2. Sam. 14. v. 25. 26.* filii (at qvàm degeneris!) Optimi & DEO acceptisſimi Regis Davidis, ſpem mihi negat, fore, ut minùs errem, ſtatuens, vel à Superiorum Regum Iſraelitarum, vel ab extrariorum Regum Ethnicorum filiis ornamentum hoc proveniens ei oculos percusſiſſe, ut ſui cæcus mirator, injuriâ, Parenti tam probo illata, qvæſito regno, cujus tamen ſceptra è qvercu pendens perdidit: comarum effuſione flexibusq; non contrà naturam retrò actis, qva re *Qvintil. lib. 11. Orat. Inſtit. cap. 3. p. 670.* horrorem fieri horribilem pronunciat: qvem confirmat glorioſisſimus Sveciæ Rex & in morte ſua Victor invictisſimus, GUSTAVUS ADOL-

ADOLPHUS, qvem Candor Svecorum Germaniæq; fides intermori nunqvam patientur: qvi eundem ut & gratiam ea ſibi paravit. Qvin plurimi & alibi factam comam non inficior. Mihi enim ſublimiorem ejus cultum pingit *Petr. Victor. lib. 6. Var. Lect. 22. p. 142. 143.* eam Gentilium de aſtris conſecratam fuiſſe referens. Vertici ignis cœlum tangenti hac voce blanditur *Sen. Trag. in Oedipode Act. 2. Sc. 2. p. 180.* Ignis, inqvit

--- Summam in auras fuſus explicuit comam.

Idem *eundem in Oedip. Act. 1. Sc. 2. pag. 174.* Sylvæ tribuit frondibus, canens

Non ſua ſylva decorata coma
Fundit opacis montibus umbras.

Vide *Voſſ. lib. 4. Orat. Inſtit. c. 6. p. 124. & Auſon. de Arundine in Edyl. 6. p. 132.* Adde & *Sen. in Herc. Oetæo Act. 2. Sc. 1. p. 375.* Is ipſe hanc applicat Syderum Imperatori, Soli in *Octav. Act. 1. Sc. 1. p. 326.* hoc lepore:

--- --- --- Surgit Titan
Radiante coma, mundoq; diem
Reddit clarum.

Barth. in Com. in Claud. p. 7. col. 2. & p. 8. col. 1. pluribus accommodat. Nec protritum qvippiam ſpirat ritus ille, per qvem factum, ut nubentium comæ haſtis diſcriminarentur: de qvo vide *Plutarchum in Qvæſt. Centur. Rom. T. 2. p. 629.* Sicco qvoq; ne pede prætéream monilia, monet Chryſoſt. Homil. 36. unde exprimi curavit Excellentisſimus *Dn. Magirus in Sab. Chriſt. pag. 466.* dicens: Divitum liberi monilia circa collum aurea geſtant, nec unqvam ea deponunt: ſed tanqvam nobilitatis inſigne circumferunt. Torqves etiam dicta lego, & omnino Ro-

Romanæ fuiſſe inſignia ſcio nobilitatis. Scilicet *Svet. in C. Caligula c. 35. p. 231.* probat; Viro nobiliſſimo Torqvato ademptum ab eodem eſſe Cæſare: qvem Virum ideo eo nomine vocatum cenſeo, qvòd id iis tribuatur, qvibus torqvis aureus ſolidus virtutis præmium fuit: *idq; ex Vegetii lib. 2. c. 7. repetit Lipſ. lib. 5. de Milit. Rom. dial. 17. p. 333.* Inter phaleras verò & torqves aliqvod diſcrimen *Lipſius lib. 5. Milit. Rom. dial. 17. p. 332.* agnoſcit, ex his Silii verſibus hauriendum:

--- --- Phaleris hic pectora fulget:
Hic torqve aurato circumdat bellica colla.

Phaleræ enim demiſſæ ad pectus pendebant: torqves verò ſtringebant magis & ambibant ipſum collum. Diverſitas etiam in forma: qvòd illæ pleniores, & magis jacentes: (ut ſcutula: vide Suidam in φάλαρα:) iſtæ contortæ: (Vox Latina & Græca indicat) & ex annulis aut catellis plexæ. Vide *Barth. in Com. in Claud. pag. 1058. col. 2. n. 3.* Paulò aliter ediſſertat rem *Lipſ. l. cit.* Torqves Gallorum, inqviens, jam olim geſtamina propria & patria fuiſſe ferunt. Tamen ab hoc militiæ ritu manâſſe magis arbitror: qvòd hodie nobilitas Europæa tam paſſim ſibi vindicat torqves: ubi addit: Eqviti, ſingulari certamine, ultrò hoſtem dejicienti & ſpolianti, dantur phaleræ: ibidemqve nuncupat donum militare. Qvid poſtea de illo judicatum fuerit: explanat *Lanſ. in Conſult. Princip. Orat. 5. p. 240. 241.* Unde diſco, & in poſteris diſcrimen Lipſianum fuiſſe obſervatum. De annulo variatas lego opiniones: conciliandas, ſi commodè intelligantur. Annulum duplici notione notabilem eſſe conſtat: utroq; modo ſignandi officium prodit, extra

ſcri-

ſcriptionem, & in ipſa. Illam monſtrabit hæc pagina: hanc exſeqvuntur *Borchholten in Com. in Inſtit. Imperial. p. 134. col. 1. n. 14. & Polyd. Vergil. lib. 8. de Rer. Juveut. c. 2. pag. 610.* Aureum annulum ingenuitatis fuiſſe ſignum, oſtendunt *Lipſ. lib. 5. de Milit. Rom. dial. 17. pag. 332. 333. D. Cellarius lib. 2. Polit. Succinct. cap. 17. p. 296. 297. & Gudalinus lib. 1. de jure noviſſimo cap. 6. p. 10. col. 2. & pag. 11. col, 1.* hîc tamen eqveſtrem ordinem jungit Nobilitati, & ſic pergit: Annulus aureus erat inſigne eqveſtris ordinis & nobilitatis, qvem, dando alicui Libertino, Princeps eum ex vili iſta conditione eximere cenſebatur: atq; inde appellatum jus aureorum annulorum, ut rectè declaraverunt *Budæus ad l. ult. ff. de Senatoribus. Connan. lib. 2. c. 12. & Cujacius Obſervat. lib. 7. c. 7. & c. 14.* Vis autem impetrationis hæc erat, ut non ſtatim ingenuitatis, qvàm imaginis ejus, jus præſtaret: & ſolùm ut poſſet is, qvi hanc gratiam acceperat, ſine periculo officiis ſe publicis ingenuorum ingerere, & familiis nobilibus ſe per matrimonium conjungere *d. l. unica C. ad l. Viſelliam.* Etenim per omnia ſalvum manebat jus patroni, niſi qvatenus ei remitteretur: ac poterat nihilominus jure aureorum annulorum donatus, ob ingratitudinem, in ſervitutem revocari. *l. penult. ff. de Jure aureorum annulorum. l. 2. C. ibid. Gudalinus lib. 1. de Jure noviſſimo c. 6. p. 10. col. 2. & pag. 11. col. 1.* Comprobat idem, qvoad eqveſtrem ordinem, *Svet. in Sergio Galba. cap. 10. p. 348.* Delegit Imperator & eqveſtris ordinis juvenes, qvi, manente annulorum aureorum uſu, Evocati appellarentur: excubiasqve circa cubiculum ſuum vice militum agerent. Junge *Lipſ. lib. 2. Elect. c. 8. pag. 471.* qvi Liberis, Senatui, & Eqvitibus hos addicit. *Svet. in Vitellio. cap. 12. p. 377.* Conferebat hos Imperator.

Papinianus l. 1. ff. de Jure aureor. Annul. & l. 1. C. de Jure aureor. Annul. Svet. l. c. & in Galba cap. 14. p. 351. & Princeps qvisq;. *l. 2. C. h. t.* Insigne qvoq; erat Imperatoris: *Svet. in C. Jul. Cæs. c. 33. p. 22. 23. in Tiberio. cap. 73. p. 201. & in Caligula cap. 12. p. 211.* Insigne fuit & eqvitum. (Der Reuterey) Probat assertionem *Plutarch. in Annibale. p. 325. col. 2. Lit. A.* Cum hæc, inqviens, Capuæ generentur: interim Mago, Annibalis frater, Carthaginem profectus, felicissimæ victoriæ nuncium suis civibus detulit: resq́;, ab Annibale gestas, magnificentissimis verbis in Senatu exposuit: & ad faciendam fidem orationi suæ effundi jussit in vestibulo curiæ aureos annulos, Romanis eqvitibus ademptos: qvorum cumulum alii modii unius, alii trium modiorum, dimidiiq; mensuram excessisse tradunt. Insigne fuit & Tribunorum militum. *Lips. lib. 2. De Milit. Rom. dial. 9. p. 86. 87.* Ut & militum tandem sub Severo Imperatore. *Id. l. c. & lib. 2. Elect. c. 8. p. 471. 472.* Insigne qvoq; libertorum. *Svet. in Galba. cap. 14. pag. 351. l. 1. ff. de Jure aureol. Annul. & l. 2. Cod. h. t.* qvin & fœminis libertinisqve facultatem gestandorum aureorum annulorum Principali beneficio tribui posse, *Paulus & Ulpianus. l. 5. & 6. ff. de Jure aureor. annul.* pronunciant. Oratores adhæc iis usos fuisse, hac tamen lege, ne manus impleantur iis, qvi medios articulos non transeant, Rhetor pariter & Orator, vulgarem cognitionem multis intervallis superans, *Qvintil. lib. 11. Orat. Inst. c. 2. p. 667.* testatur. Gemmatos qvoq; receptos fuisse perinde ac nostris usibus, *Livius lib. 1. Dec. 1. p. 14. Lit. A.* edocet. Potestatis pariter eosdem, sed vix universalis, & perpetuæ, signum eos fuisse, *Schönborn. lib. 2. Polit. cap. 20. p. 180.* publicat. Ferreos, olim, militibus inferioribus fuisse, perpetuò servis.

Lipſ. lib. 2. De Milit. Rom. dial. 9. p. 86. 87. & 2. Elect. cap. 8. pag. 471. evincit: Argenteos plebi adſignat. *Id. loco ult.* Sed & ferreos eam geſtâſſe in manibus apud Veteres Romanos, refert *D. Chriſt. Matth. in Thetro Hiſt. p. 398. col. 2.* Animi cauſſa & prodigioſos duos memorabo. Alterius meminit *Facundia Romana lib. 3. Offic. T. 4. pag. 522. Lit. D.* his phaleris comta: Inducitur Gyges à Platone, qvi, cum terra diſceſſiſſet magnis qvibusdam imbribus, in illum hiatum deſcendit, æneumq; eqvum, (ut ferunt fabulæ) animadvertit, cujus in lateribus fores eſſent: qvibus apertis, hominis mortui vidit corpus, magnitudine inuſitata: annulumq; aureum in digito: qvem, ut detraxit, ipſe induit: (erat autem Regius Paſtor) Tum in concilium Paſtorum ſe recepit. Ibi cum palam ejus annuli ad ſe converterat: à nullo videbatur: ipſe autem omnia videbat: idem rurſos videbatur, cum in lucem annulum inverteret. Itaqve hac opportunitate annuli uſus, Reginæ ſtuprum intulit: eâq; adjutrice Regem Dominum interemit: ſuſtulitq; qvos obſtare arbitrabatur: nec in his qvisqvam eum facinoribus potuit videre. Sic repente annuli beneficio Rex ortus eſt Lydiæ. Alterius monet *D. Chriſt. Matth. in Theat. Hiſt. p. 371. col. 1.* Mater, ait, Seleuci Laodice, cum nupta eſſet Antiocho, claro inter Philippi Duces viro: viſa eſt ſibi per qvietem ex concubitu Apollinis concepiſſe, gravidamq; factam, munus concubitûs annulum accepiſſe: in cujus gemma anchora ſculpta eſſet: juſſa, donum filio; qvem peperiſſet, dare. Admirabilem fecit hunc viſum & annulus, qvi poſtera die ejusdem Sculpturæ in lecto repertus eſt. Figura etiam anchoræ in nato deinceps puero, cui Seleuco nomen, apparuit. Qvamobrem Lao-

dice annulum Seleuco, eunti cum Alexandro M. ad Persicam militiam, edocto de Origine sua, dedit. *Id.* geminum refert. *ibid. p. 193. col. 2. n. 3. & Suet. in Galba c. 10. p. 349.* Succedant, methodo naturali, arma: qvæ jure gerunt Nobiles. Nominis ratio inculcat. *Danæus lib. 7. Polit. Christ. cap. 2. p. 480.* ex Pollucis lib. 1. Onomastici notat, πάντα σκέυη ὅπλα καλεῖται: i. e. omnia instrumenta, præsertim sui muniendi, bellicarumqve actionum agendarum gratia comparata, arma vocantur: qvanqvam *Lips. in Analectis ad libros de Milit. Rom. p. 389.* & Varro atq; Festus ab arcendo derivent: qvæ derivatio significationi meæ non repugnat. Qvæ defensio omnino, jure naturæ & gentium, est licita. Nam, juxta *Cardan. de Arcan. Prod. Civil. c. 81. p. 339.* Non est flagitium, tueri se ab improbis & impudentibus. *Seneca pariter lib. 1. de Ira. cap. 12. p. 544.* Illud pulchrum dignumqve esse colligit, Parentibus, liberis, amicis, civibus prodire defensorem; ipso officio ducente: volentem, judicantem, providentem: non impulsum & rabidum. Bellicis artibus parari nobilitatem: iisdem easdem destinari: *Hornio lib. 2. Polit. cap. 7. p. 365.* qvin & *Vernul. lib. 2. Polit. Tit. 9. cap. 1. p. 208.* justitiæ non videtur contrarium. Defensio verò sine armis qvî fieri qveat? Anima membra militis esse dicunt: qvæ qvidem ita geruntur aptè, ut, si usus ferat, abjectis oneribus, expeditis armis, ut membris, pugnare possit: inqvit *Cic. lib. 2. Tuscul. Qvæst. T. 4. p. 200. Lit. B.* Dilucidiùs rem explicat *Clapmar. lib. 3. de Arcanis Rerump. c. 19. p. 115.* In Republ. Romana exigens, ut Patricii muniti sint, & cum gladio atq; armis eant. Qvod qvamvis parvi momenti esse existimatur: mirificè tamen plebem deterret: Patriciis verò vim atq; autoritatem auget. Unde Cicero qvam-

qvamvis gloriatus est ad Atticum, se firmissima hominum benevolentia munitum esse: tamen Consul in campum adscendit cum lecta & insigni lorica. Qva re sibi salutem attulit: Catilinæ verò & Antonio maximam invidiam conflavit. Qva de caussa Coss. cum lictoribus & fascibus incedebant. Principem bonum ornamenti caussa arma habere, *Seneca 1. de Clementia cap. 13. pag. 625. & Lips. in Comm. p 634. n. 157.* non insubidè dixit. Qvidni & nobilis interdum, Principis sui decenter æmulus, voluptatis & decoris caussa iis se accingat? Armorum studium à manibus ad oculos, ad voluptatem à labore translatum jam olim fuisse *Plinius in Paneg. ad Trajan. p. 31.* profitetur. Vide *Vernul. lib. 2. Instit. Polit. c. 10. p. 215. & Hornium lib. 2. Polit. c. 5. p. 233.* Actus Formalis Nobilitatis arma reqvirit: Finis respicit eò: consvetudo, qvæ vel hodie virtute legis se nobilitat, non negat. Negat verò *Dn. Arnis. lib. 2. de Jurib. Majest. cap. 5. pag. 339. 340.* cujus argumenta in Hypothesi hacce nervos qværunt. Exemplum qvidem laudat *Thuanus lib. 92. p. 351. Lit. C.* qvo adstruit, Lutetiis à Rege Galliarum armis gestandis interdictum fuisse pueris nobilibus Principum, ac lixis, ingressuris aulam regiam. Verùm hoc interdictum particulare, & certis de caussis publicatum, caussa cessante, cessat insimul ipsum. Gladios jam promo, qvorum usus insigne Nobilitatis esse amplector. Jus eorum per modum emancipationis alicujus, percussione gladii, & additamento rhapismatis, nobilibus juventutis jampridem conferebatur. An à Veterum Romanorum manumittendi ratione, per rhapismata & alapas? Cujus fit mentio *l. ult. C. de Emancipat. liber. & Novel. 81.* (NB. Novella hac, & qvidem in Præfat. Imperator eam abrogavit.

 Justi-

Justinianus: *& l. 6. C. de Emancipat.* injuriosa rhapismata dicuntur.) Claros certè, magnosq́; deinceps æstimatos Nobiles, qvi tum Edelingi vocabantur, fuisse, testantur rythmi, lingva Francorum prisca, ad Ludovicum Regem scripti, in versione Evangelii Olfridiana: Nobilissimiqve ac JCtissimi Dn. *Kirchmajeri verba in Com. in Tacit. Germ. p. 226.* me ignorare hæc non sinuut. Suffragatur eidem Nobilissimus pariter & Consultissimus *Dn. D. Curæus Parte 1. Annal. Silef. p. 27. §. ult.* dicens: Historia autor est, Nobilitatem, indicium facturam, se de nuper susceptа confessione cum tuenda, tum ornanda, societatem & fœdus iniisse, ut qvisq;, qvoad existens ad aram Sacerdos pericopen Evangelii legendo finierit, dimidiam gladii sui partem intra vaginam hærere ne patiatur: &, choro Symphoniaco responsione data, recondat. Factum id esse Anno 979 idem subjicit. Helvetiorum legibus adhæc cuivis injunctum esse ferunt, gestare gladium: qvem ne tum qvidem deponunt, qvando vaccas mulgent. Perpetuum qvoqve usum in Parthis observat *Josephus lib. 18. Antiq. Jud. cap. 3.* tradens, eos nunqvam se discinxisse gladio: qvod similiter de Persis memorant antiqviores. *Horn. lib. 2. Polit. c. 5. p. 333.* Vide Historiam de Marco Catone, defensore gladii sui, & propterea magnæ victoriæ parente, apud *Justin. lib. 33. cap. 2. p. 272. n. 1. 2. 3. 4.* Lunulæ qvoq; Nobilium vetant, ne sileam. Erant ipsæ fibulæ cornicatæ in calceis. *Ludovicus Cæl. Rhodig. lib. 20. Lect. Antiq. c. 27. p. 955. Lit. F. & c. 28. p. 957. Lit. A B C.* Argumentum generis in calceis erat ἐπισφύριον μηνοειδὲς eburneum. Id significat fibulam cornicantem: qvalis fermè figura in luna est, cum tenuem hæsitatio-

tationem facit, vel etiam paulum crassescit. *Erasmus lib. 6. Apophth. pag. 682. 683. Plutarch. in Qvæst. Centur. Rom. T. 2. p. 627. & D.* **Contzen** *lib. 8. Polit. c. 20. p. 611. col. 1.* insigne hoc moraliter ordine & commodè interpretantur. Addendæ mihi & **statua**, de qva *Bodinus lib. 3. de Rep. cap. 8. p. 465.* Ut apud Romanos statua insigne fuit, qvam qvis adeptus est, nobilitatis: ita Gallorum olim stemmata insignibus supposita, Nobilitatis decus indicabant. Insignia qvidem unicuiq; (vix credo, mi Bodine. Vetant enim diplomata Principum, Comitibus Palatinis tradita, ne id fiat cum læsione Nobilium, tali imagine (nam insignia, qvæ hactenus persecutus sum, non sunt imagines illæ, qvas vocat insignia *Dn. D. Cellarius lib. 2. Polit. cap. 17. p. 296. 297. §. 13. 14. 15.*) injuria gentis suæ impetitorum.) sibi singere semper licuit. *l. Ad recognoscendos C. de Ingenuis.* (longiùs sanè petita demonstratio!) ac licebit: non tamen stemmata (nam id l. HENRICI III. vetitum, præterqvam Nobilibus:) imponere, illustriumvè familiarum insignia (*Panormit. in c. Dilectu. ex l. 1. C. de iis*, qvi potentiorum nomine. *Bald. in l. 1. C. quæ res vendi non possunt. & in l. ult. C. pro Socio.*) usurpare. Statuam verò auream Romæ Anno Urbis D. LXII. demum visam fuisse, observavit *Lips. lib. 1. Elect. c. 8. p. 372.* Talem Britannico, jussu D. Titi Vespasiani, memoris potionis illius, qva ipse Britannicus periit, Titus qvoqve morbo gravi afflictus est, positam lego apud *Svet. in Ipso. c. 2. p. 404.* & qvidem Romæ in palatio: alteram qvoq; eqvestrem ex ebore, vivente jam Svetonio conspicuam. Qvæ ut insveta fuit: ita apud Græcos, ut vilescerent, omni facilitate ferme cuiq; erectæ, effecerunt: teste *Bodino lib. 3.*

de

de Rep. c. 8. p. 465. Probat sententiam suam exemplo Demetrii Phaleræi, cui qvidem CCC. LXV. positæ fuêrunt, at uno momento destructæ. Memoratu digna est, qva honoratus est pro Rostris Aulus Vitellius cum hac inscriptione: PIETATIS IMMOBILIS ERGA PRINCIPEM. *Suet. in Ipso. c. 3. p. 371.* Medico Antonio Musæ, cujus opera Augustus Imperator ex ancipiti morbo convaluit, ære collato, statuam juxta signum Æsculapii statutam cum legam apud *Sveton. in Octav. Aug. cap. 59. p. 109.* in admirationem sanè magnam abripior; major autem me capit, legentem, Generoso & Excellentissimo Medico, Dn. Sennerto Paduæ ab Italis similem esse structam: cujus figuram qvidam ejus libri referunt. Per antiqvam tandem stirpem magni cognomen Cn. Pompejum nactum esse, Virum nobilissimum, eidemqve à C. Caligula rursum ademptum in Eodem apud *Suet. c. 35. p. 231.* lego. Qvare cum nemo id, in qvo maximi existunt, minui velit: *Qvintil. lib. 12. Orat. Instit. cap. 11. p. 225.* Nobilitate conspicuos per insignia nemo despiciat.

QVÆSTIO CXI.

An imaginibus præfulgeant Nobiles? Aff.

Fuerunt Nobiles dicti, qvi Majorum suorum imagines habuerunt: qvi suas tantùm, non etiam Majorum suorum, imagines habuerunt, novi: qvi verò nec Majorum, nec suas, habuerunt: ignobiles appellati sunt: ut ita jus imaginum nihil aliud sit, qvàm jus nobilitatis. Sed ut planiùs intelligatur, qvid sit habere imagines: priùs, qvid imagines fuerint, expli-

candum erit. Imago, ut Polybius libr. 6. docet, est insignis alicujus viri simulacrum, oris similitudinem, artificiosè effictam, & coloribus pigmentisq; adumbratam, referens: qvod in insigniore & celebriore domus parte ligneo armario includebant. Non autem omnibus imaginem sui ponere licebat: sed iis tantùm, qvi Magistratus Curules gessissent: qvales fuerunt primùm Ædiles Curules, Prætores, Censores, & Consules. Cumq; hi Magistratus primùm solis Patriciis patuerint: seqvitur, etiam Patricios primùm solos jus imaginis habuisse. Postqvam autem hi honores plebi communicati sunt: eos jus petendi imaginem simul accepisse, dubium non est. *Rosinus lib. 2. Antiq. Rom. c. 19. p. 79. col. 2. in fin. & p. 80. col. 1. Lit. A. Lips. lib. 1. Elect. c. 29. p. 441. & Suet. in Octav. Aug. c. 4. p. 64.* qvi locus notandus. *& Cic. de lege Agrar. T. 2. p. 405. Lit. A. Sen. Epist. 44. pag. 128.* Adhæc qvidem multa, satis impedita, possent excipi, tàm ad Chronologiam, qvàm Historiam, pertinentia: qvæ, instituti rationem non neglecturus, commodiori loco asservo. *Plin. lib. 35. N. H. c. 2. p. 613.* Apud Majores in atriis erant imagines, qvæ spectarentur non signa externorum Artificum, nec æra, aut marmora. Expressi cerâ vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, qvæ comitarentur gentilicia funera: semperq; defuncto aliqvo, totus aderat familiæ ejus, qvi unqvam fuerat, populus. Stemmata verò lineis discurrebant ad imagines pictas. Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum, in Magistratu gestarum. Aliæ foris, & circa limina animorum ingentium, imagines erant, affixis hostium spoliis: qvæ nec emptori refringere liceret: triumphabantq;, etiam dominis mu-

 tatis,

natis, ipsæ domus. Et erat hæc stimulatio ingens exprobrantibus tectis, qvotidiè imbellem dominum intrare in alienum triumphum &c. *Propertius lib. 1. Eleg 5. ad Æmulum suum Gallum p. m. 164.*

Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti.
Nescit amor priscis cedere imaginibus.

Consul Romanus in Orat. pro Tit. Annio Milone T. 2. pag. 773. Lit. B & C. Insimulat neqvitiæ detestandæ ita: Tu, Publi Clodi, cruentum cadaver ejecisti, tu spoliatum imaginibus, exseqviis, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliqvisti. Qvam rem etsi nefariè fecisti: tamen, qvoniam in meo inimico crudelitatem expromsisti tuam, laudare non possum, irasci certè non debeo. Vide *Suet. in Galba c. 10 p. 348. & Vernul. lib. 2. Polit Tit. 9 c. 4. p. 209. col. 1. atq; D. Cellar lib. 2. Polit. cap. 17. p. 296. 292. §. 13. 14. 15.* cui non repugnandum est, si his, qvæ insignia dicit, imagines intelligat, connexa iis: si vero monumenta & ornamenta iis exprimere niteretur: cum ipso ne faciam, experientia contraria avocat. Huc spectant scuti & galeæ pictura in insignibus: de qvibus videndi Dn. Publicistæ.

QVÆSTIO CXII.

An vestitus Nobilis debeat esse diversus à plebeji amictu? Aff.

TUentur qvæstionem Recess. Imper. in Comitiis Augustanis Anno M. D. XXX. sub Carolo V. Imperatore habitis pag. 217. & Denuo Anno M. D. XLVIII. ibidem sub Eodem habitis p. 369. qvi Nobili-

tatis

tati alium plebejis amictum concesserunt. Qvod privilegium in inseqventibus Comitiis Eidem ademptum non lego Graviter omnino ferebant, seq; despici arbitrabantur cives Patavini, siqvando obambulare per civitatem suam conspicarentur Nobilem Venetum, non toga honoratiore, sed tunica tantùm curta indutum, qvasi sibi in pago aliqvo versari videretur. *Joannes Casa in Galat. de Mor. p. 72.* Purpura usos Romanos Nobiles, refert *Suet. in C. Caligula. c. 35. p. 231.* Nam idem Imperator Ptolemæum, accersitum è regno, & honorificè exceptum, non alia de caussa repente percussit, qvàm qvòd edente se munus, ingressum spectacula, convertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ animadvertit: de qva vestis specie vide *Lips. lib. 2. de Milit. Rom dial. 12. pag. 93* Indiæ Nobiles Martibus & Mustellis Scythicis indui, testatur *Boterus lib. 1. Cosmograph. Parte 4. p. 146. col. 2. in f.* Brasilienses vestibus amiciuntur, ex plumis avium contextis: qvibus abumbilico usqve ad genua teguntur: plebs nuda incedit. *Id. lib. 1. Parte 5. pag. 157. col. 1.* Ita cordata Nobilitas leges perpetuò & instituta advertens purpura non gloriatur: cognoscitq;, vanum esse errorem hominis, & inanem cultum dignitatis, fulgere purpura, mente sordescere: *Doctore Minutio Felice in Octaviano p. 8.* & plerosq; mollioris cura vestis effœminari: *Ambrosio inculcante lib. 5. in Lucam. T. 5. p. 74* Qvamvis verò, præsertim à Nobilibus: qvædam ex veste magis ornatûs gratia, qvàm ut corpus tegatur, comparentur: tamen qvòd eo nomine sint reperta, potiùs habenda sunt vestis nomine, qvàm ornamentorum: ut *Paulus JCtus enunciat. l. 26. ff. de auro, argento, &c.*

QVÆSTIO CXIII.

An Nobilibus peculiaris competat habitatio? Diss.

AFfirm. *Vernul. lib. 2. Instit. Polit. Tit. 9. cap. 9. pag. 214.* Ipsius qvippe animo insidet sententia à Nobilibus, urbem habitantibus, splendidiora ædificia exstrui: qvi splendor urbi fuerit maximo ornamento. Deinde etiam cives augescere nobilitate, urbem incolente, sibi persvadet. Tandem etiam urbem divitias qvoq; his habitatoribus cogere posse statuit. *Boterus* qvoq; rem exemplo confirmat *lib. 2. Cosmograph. Parte 3. pag. 268. col. 2.* Namq; sub ditione Sacerdotis Joannis, licèt miserrimi cives & subditi, durissimo jugo premantur: & reditibus ferè omnibus emulgeantur: habitant nihilominus & municipes & nobiles promiscuè: & hi non qværunt & reponunt nobilitatem suam in splendidis ædificiis, sed in rebus præclarè gestis: qvibus sibi eandem parant. Ad primum argumentum respondeo, splendorem ædificiorum non constituere civitatem. Urbs est materiale civitatis. Formale est ordinatio & societas civium *Dn. Otto de Jure Publ. c. 18 p. 622.* seu potiùs civitatis Materiale sunt imperantes & subditi: Formale voluntas imperantis, & parentium subditorum legibus & placitis Imperantis consensus certissimus. Urbis materiale sunt ædificia: Formale unitio eorum in unum contiguum corpus urbis: Splendor accidit domibus. Fit qvoq;, ut multæ domus Mercatorum, vel Opificum, fulgidiores sint domiciliis Nobilium. Adhæc nihil lucratur Civitas ex eleganti domûs structura. Secundo argumento item fundamenta

sua

sua nutant. Nam ut augescat freqventia civium: diffitendum tamen non est: invidere miseros bonis, iisq; rem secundam obtingere: *Tyndarus in Plauti Capt. Act. 3. Sc. 4. pag. 143. & Pistoclerus in Bachidd. Act. 3. Sc. 6. pag. 300.* Qvin & interdum ex hâc habitatione seditio oritur: qvæ Rhodi contigit ob vanissimam suspicionem. *Arist. lib. 5. Polit. cap. 3. T. 2. pag. 488. Lit. E.* Tertio argumento repono, qvemq;, qvod dicitur trito Proverbio, intus capere: nec Nobilem nobis incolam esse solicitum de congerendis urbi opibus: sed sua qvadra viventem in id incumbere, ut videatur, & familia ornetur ac ditescat. *Lactantius* qvidem *lib. 4. Instit. Div. cap. 12. pag. 79.* hunc maximum divitiarum fructum & verissimum esse statuit, non uti opibus ad propriam unius voluptatem, sed ad multorum salutem: &, juxta *August. Serm. 25. de Verb. Dom. T. 10. pag. 107. Lit. D.* Dives propter pauperem factus est, & pauper propter divitem. Pauperis est, orare: & divitis, erogare: DEI est, pro parvis magna pensare. At, ut Palæstrio verè inqvit apud *Plautum in Milite glorioso Act. 3. Sc. 1. v. 129. 130.*

Huic homini dignum est divitias esse, & diu vitam dari:
Qvi & rem servat, & qvi bene habet, suisq; amicis est volup.

Rara est largitio talis, qvæ, qvod alteri donat, sibi detrahere cupit. *Sen. 1. de Clem. c. 20. p. 627.* Omnesq; malunt meliùs sibi, qvàm alteri. Et qvid aliud, nisi radix vitiorum, immoderata affluentia? *Bernh. serm. 2. in cœna Dom. p. 147. Lit. C.* Si vis Pytaclea divitem facere: non pecuniæ adjiciendum: sed cupiditati detrahendum. *Sen. Epist. 21. p. 84.* Cui cum paupertate bene convenit: dives

dives est: *Sen. Epist. 4. pag. 79.* vel, ut magis piè dicam: Ille dives est, cui bene cum DEO convenit. *Barth. in Pornoboscod. p. 75.* Boteri exemplum, qvia non est juris gentium, sed peculiari instituto, fundamentum habet, non tam necessitatē amplectendi sufficit: ac materiam præbet laudandi in Generosa Nobilitate modestiam & concordiam, sine qvibus nec justitia: *Bernh serm. 4. T. I. in Epiph. Dom. pag. 35. Lit. I.* nec ulla potest esse virtus: *Sen. de vita beata. c. 8. p. 654.* Negativa Defensorem nacta est *Magnificum & Generosum Dn. Cromerum lib. 1. de Situ & gente Poloniæ pag. 496. col. 2.* qvi, qvod superiùs relatum novi, bellicosissimæ & à tot sævissimorum bellorum, qvæ barbaræ gentes, Christianæqve religionis conjurati hostes, cum aliis invictis populis, ipsi intulerunt, injuriis atrocissimis adhuc inexpugnabilis nationis lingva terrigenas dici scribit, à terra & agris, qvos ferè colunt antiqvitùs. Bodinus pariter eâ mentem suam tranqvillans, Helvetios, ejurata nobilitate cum infima plebe versari, ait *de Meth. Hist. p. 245.* Nec planè abit ab ista Leon Eucratidæ: apud *Plutarchum in Apophth. T. 2. p. 204.* qvi, cum aliqvando interrogaretur, qvali in urbe habitare qvis qveat securè: ubi, inqvit, neqve plura, neqve pauciora, possideant incolæ: atqve ubi justitia vigebit, & langvebit injustitia Qvibus verbis innuit, cum rarissima sit in urbibus continentia, satius esse, longiùs abesse ab Urbibus mentem nobilem, fastidiosam turbarum & iniqvitatum urbium: eò qvòd, præsertim hoc tempore, qvo malitia invaluit, difficillimum sit, inter undas hujus mundi, vitiorum voraginem, & criminalium peccatorum foveas declinare. *Bernh. serm. de tribus ordinibus Ecclesiæ. p. 428. Lit. I.* Ab hac propiùs absens

absens improbo Helvetiorum factum, qvi, ut securiùs forsan bibere, lautiusq; comessari qviverint, nobilitate se sacramento exuerunt. Adeone proterve habenda est gloria, à DEO, perenni gloria qvi circumfluit, in ipsa æternitate addicta, à Gloriosissimo Principe porrecta, & qvasi per manus avitæ gentis tradita? Gloriam venamur inmundo, pro ea ferro flammaq; inter nos custodienda contendimus: In seculo relinqvere, in cœlo repositam conseqvi studemus: & delicias ventris saginandi eidem præferimus. Nec est, qvòd vereatur Nobilis de injustitia urbem fugere. Ubi non gentium (verba sunt *Claud. lib. 2. de Laud. Stilic. p. 13. col. 1.*)

> Justitia utilibus rectum præponere svadet,
> Communesq; seqvi leges, injustaq; nunqvam
> Largiri sociis?

Urbis inhabitationem instituta, officium, dominiumq; alibi injungunt: alibi ipsa potentia, plerunq; qvidem, Principis auctoritas, olim donata, regimine Nobili commodat: &, ubi Ipse præsens totus neqvit adesse, brachio suo fortiore atq; dextro regit Nobilitate eos, qvos apricum errantes, ac vagabundos, contumacesq; jugo obseqvii non submitteret.

QVÆSTIO CXIV.

An Nobiles sint durabiles? Dist.

NEgativa patrocinio non sapientiæ tantùm, sed & experientiæ firma esse ac stabilis censetur. Breves sunt & mutabiles rerum vices, *Curtii censura lib. 4. p. 81.* Cujus fragilitatis etiam cum hominibus, præsertim in prosperis rebus, sit oblivio nimia: *Id. ibid.* nihil tamen

tamen iis eſt perpetuum datum: *Plautus in Ciſtellaria Act. 2. Sc. 1. p. 236.* nihilq; tam magnum eſt, qvod perire non poſſit: cui naſcitur in perniciem, ut alia qvieſcant, ex ipſa ſuâ magnitudine cauſſa. *Sen. 6. Benef. cap. 21. pag. 69.* Qvotidie morimur, eodem *Doctore Epiſt. 24. pag. 214.* Qvotidie enim demitur aliqva pars vitæ. Et tunc qvoq;, cum creſcimus, vita decreſcit. Infantiam amiſimus, deinde pueritiam, deinde adoleſcentiam: usq; ad heſternum, qvicqvid tranſit temporis, periit. Hunc ipſum, qvem agimus, diem cum morte dividimus. Omnes, inqvit *Ambroſ. lib. 1. de Abrah. Patriar. c. 5. T. 4. p. 179. Lit. D.* in hoc incolatu hoſpites ſumus: ad tempus enim habitandi habemus hoſpitium. ὁ θάνατος ὁ δοκῶν τὸ εὐγενὲς φυτὸν μαραίνειν. Mors & nobilem plantam areſacit. *Iſid. Peluſ. lib. 2. Epiſt. 248. p. 310.* Cui concinit Olor Venuſinus *lib. 3. Carm. Oda. 1. T. 1. p. 172.* hac ſvavitate:

— — Æqva lege neceſſitas
Sortitur inſignes & imos:
Omne capax movet urna nomen.

Affirmativa nititur intentione Principis, privilegia nobilitati donantis. Namq; is ipſe hanc poteſtatem atqve libertatem, non ſoli merenti, non familiæ tantùm viventi, tam maſculini, qvàm fœminini ſexus, ſed poſteritati, ſi viſum fuerit omnium Patri æterno, perenni, confert. Unus Nobilis complectitur univerſos, ab ipſo prodeuntes: ipſiq; fœdere nuptiali unoq; nexu ſociatos. Non adſcendit, non tangit latera: deſpicit ſub ſe: nihilq; deſpicit: deſcenditq;, ut amor. Simul & momento, corporis inſtrumentis ſui remotis, gignit: contentus Patre patriæ, ore & potentia conſpicuo: adſciſcens inſtrumenta, negotio ſufficientia: qvæ ut intereant: gloria vireſcit, &

nomen

nomen florem recidere suum non patitur unqvam. Admirandum his adjicio, qvod operosa manus *Nobilissimi Dn. D. Curei notavit Parte 1. Annal. Silesiæ pag. 52.* Uno, ait Vir Excellentissimus, ore fatentur Historici, his temporibus (annum nominatim exprimit à Salutifero Partu M. C. LI.) In Galliis exstitisse Nobilem qvendam, qvem illi Armigerum Caroli Magni fuisse asseverant. Nomen ipsi fuisse dicitur Joanni de Temporibus, & vivendo emeritus esse creditur spatium ultra trecentos annorum septuaginta duorum. Roma pariter in eqvestrem ordinem octodecim annos natum legebat: qva ætate urbs illa prudentissima potissimùm & corporum firmam fore affectionem, & ingenium maturius cognoscebat: electoqve vitæ prolixiorem durationem pollicebatur. *Melch. Junius in Orat. Mæcen. ad Imperat. August. T. 1. Orat. p. 24. Amm. Marcell.* qvoq; prodit *lib. 28. c. 7. p. 387.* Aginatium jam inde à Priscis Majoribus qvæsitam laudassè nobilitatem suam. Vide *D. Conteen lib. 8. Polit. c. 20. p. 611. col. 1.* At licèt seqvela morborum, mors, *Lactant. lib. de opificio DEI. c. 4. p. 210.* omnibus iniqva sit: *Bernh. serm. in transitu Malachiæ Episcopi. p. 300. Lit. H.* Nobilem qvidem enecet: Nobilitatem non item. Radiat hæc in DEO, Principe, Stemmate, Posteritate, & Gloria immortali.

QVÆSTIO CXV.

An Nobilibus à plebejis honor sit deferendus? Aff.

NEgativæ autor est *Chrysost. Homil. 15. in Joh.* Unde *Dn. Magirus in sab. Christ. pag. 46.* recenset. Nemo proximum sibi præfert: neq; qvem sibi honorem

arrogare poteſt, in alium facilè confert. Qvæ ſententia ſedem ſibi figit in qvotidiana conſvetudine, à qva nemo ultrò, & facilè deficit. Accedit & hoc, qvòd interdum ii, qvi improbi ſunt, honorem præter cæteros ſibi appetunt: qvibus temeritas eundem defert. *Baſil. M. Orat. 15. p. 370.* Ipſa qvoqve *S. Scriptura Rom. 13. v. 7.* reddi jubet cuiqve honorem debitum. Hunc verò ipſum DEUS *v. 7.* tantùm Magiſtratui deferri mandat: qvo nobiles in plebejos omnes non defunguntur. Vacillat verò prima ratio mirum in modum: eò qvòd non vulgi, ſed Magni Imperatoris, ſententia certum eſt, conſvetudinem ſæpè vel malum jucundum reddere. *Manuel Imperator. Orat. 6. pag. 97.* atq; ſine juſtitia vetuſtatem eſſe erroris. *Cyprian. Epiſt. 74. pag. 103.* Ad ſecundam exceptionem qvædam huc transferri poſſunt ex Qvæſt. 25. Imò & hæc addenda ſunt, dignos eſſe nobiles, qvos veneretur plebejus qvisqve, etiam qvorum mores ſunt corrupti. Nam qvi eos honore affici propter Nobilitatem collatam mandavit, Princeps eſt: cui reſiſtere, indignumq; dignatione putare, qvem cultu ſuo dignum pronunciat Poteſtas Principis, nefas eſſe duco. Etenim major Principis eſt poteſtas, qvàm populi. *Octav. apud. Sen. Trag. in Octav. Act. 1. Sc. 3. p. 332.* Decetq; timeri Cæſarem. *Nero ibid.* Tertium argumentum citra difficultatem diluitur Canone Logico: Excluſiva ſola excludit oppoſita: *Ampliſſimus ac Clariſſimus Dn. M. Spenglerus, p. m. in Exercit. Log. Diſp. 5. Th. 6. & Nobiliſſimus ac Excellentiſſimus Dn. D. Dannenh. in Id. B. Diſp. pag. 73.* Nodum inſuper omnem tollit graviſſima vox Doctoris gentium *Rom. 12. v. 10.* Honore alius alium præveniat: qvæ nobili-

bilitàtem eadem prærogativa non privat. Propugnet ergo qvæstionem res ipſa. Scilicet honor eſt ejusmodi ornamentnm, qvod propter præclara merita à Principe in nobilitatem collocatur, ut nobilitas ignobiliores anteeat, & hoc diſcrimine ab ipſis ſejungatur. *Donaldſ. lib. 1. Synopſ. Eth. c. 5. p. 42. 43. D. Chriſt. Matth. Exercit. Eth. col. 1. Diſp. 3. p. 51. Ariſt. lib. 4. Eth. c. 4. p. 203. &c. D. Cellarius lib. 2. Polit. c. 17. p. 290. §. 7. in pr. Arniſ. lib. 2. de Jure Majeſt. cap. 3. pag. 291.* Magnifica qvoq; hæc honoris eſt largitio. *Auſon. in Grat. Act. p. 268.* ac perpetuum virtutis præmium. *Cic. lib. 10. Epiſt. ad Fam. Epiſt. 10. T. 3. p. 163. Lit. F.* qvo qvisq; meritus eſt afficiendus. *Cic. de Petit. Conſul. T. 4. pag. 594. Lit. C.* Eſt profectò, qvæ in Nobilibus plurimùm renidet, ἡ ἀρετὴ χρησιμωτάτη, καὶ πρεπωδεστάτη, καὶ φυλακτικωτάτη ἐστὶ, καὶ συμφερόντως νενομοθέτηται. i. e. Virtus & utilisſima, & decentisſima, & certisſima cuſtos, & utiliter legibus injuncta. *Iſid. Peluſ. lib. 4. Epiſt. 81. pag. 40.* atq; ideo eſt ἐπέραστος τοῖς τῶν καλῶν μὴ ἀνεράστοις, i. e. amabilis bona & honeſta non reſpuentibus. *Id. lib. cit. Epiſt. 114. p. 56.* Delatus hic Nobilitatis honos plebem non fruſtrabitur. Amabitur hæcce à Nobilitate. Amore verè nihil jucundius. *Plin. in Paneg. in Traj. pag. 130.* Nihil utilius. Vinculum enim eſt perfectionis. *Bernh. ſerm. 2. in Dedicat. Eccleſiæ. p. 342. Lit. A.* Eſt ἀγάπη ἡ πάντων τῶν ἀγαθῶν μήτηρ: i. e. Charitas eſt omnium bonorum mater. Nobilitatem verò ſi honeſtare recuſet ſingulari ſibiqve debito honore plebecula: contemptum iſta ſui ſore credet: acerbiorem Principibus viris. *Sen. 1. de Clem. c. 10. p. 624.* Qvem ſeqvitur vindicta: levis qvidem, qvam parvæ ferunt manus: *Sen. in*

Medea. Act. 5. Sc. 1. p. 283. at in magnis inclementior, qvàm culpa. *Ambros. in Epist. Symmachi p. 452.* Nutrietur verò isto honore concordia inter Nobiles & ignobiles. *D. Contzen lib. 1. Polit. cap. 19. p. 39. col. 1. & 2.* qva res qvoqve minimæ convalescunt. *Valentianus Imperator apud Amm. Marcell. lib. 26. c. 6. p. 336.* qva urbes illigantur commodo publico ac conservantur. *Plutarch. in Arato. T. 1. pag. 308. col. 1. Lit. A.* Hæc ubi adest, virtus adest, vitia desunt, qvæ dissident. *Sen. de Vita beata. c. 8. p. 564.*

QVÆSTIO CXVI.

An Nobiles uniri debeant cum plebejis? Aff.

NEgativam suscipit defendendam *Saavedra in Symb. Polit. p. 766.* Nobilitatem in pace à plebe discernendam esse statuens: in bello verò inter se confundendas: ubi imbecillior potentiori parére cogatur. At hoc imperium discordiarum est seminarium. Nulla autem ubi discordia: ibi est æqvalitas: *August. T. 1. lib. 4. de Musica. c. 14. p. 362. Lit. A.* ἰσότης δὲ φιλότης: i. e. æqvalitas autem est amicitia. *Isid. Pelus. lib. 3. Epist. 145. p. 275.* ubi & hæc adjicit: τὸ γὰρ ἄνισον τὴν φιλίαν βλάπτειν πέφυκε. i. e. Inæqvale naturâ comparatum est ad damnum amicitiæ adferendum: qva sublatâ omnis est è vita sublata jucunditas. *Cic. de Amicit. T. 4. p. 578. Lit. D.* cujus nullum certius vinculum est, qvàm consensus, & societas consiliorum, & voluntatum. *Cic. Pro Cn. Plancio T. 2. pag. 260. Lit. C.* qvæ omnium virtutum condimentum. *Voss. lib. 1. Orat. instit. c. 3. p. 259.* Rerum omnium consortium. *Sen. Epist. 48. pag. 229.* Priscumq; mortalium bonum. *Plin. in Paneg. ad Traj. pag. 130.* Hæc concinnans refero me ad

Saa-

Saavedram, qvi *ibid. p.418.* ob cohabitationem Nobilitatis cum plebe Genuensi contentionem & tumultum ortum esse scribit: qvòd plebs se à qvæstibus remotam esse indignabatur. Qvæ defensio prima fronte firmo se defendere videtur clypeo: exqvisita verò operâ omnia in ipsa scrutantem fallit: utpote qvæ Accidente superbiat, minimè eo munita. Nihil ergo obstat, qvò minùs Affirmativæ munitionem qværam fortiorem. Uniones seu Margaritæ, qvi in Britannia habentur minoris pretii Orientalibus, *Card. de Arcan. Prud. Civil. cap.63. pag.247.* India & Persia excludit magnitudine diversas, sibi non adversas. *Amm. Marcell. lib. 23. cap. 32. p. 280. 281. & Frider. Lindenbrog. in Com. in Eundem. p. 15.* Hi uniones monent Nobilitatem cum plebe, ut perinde, ac isti simul unum qvasi contubernium inhabitant, conjungantur perpetuò, & ob differentiam majoris & minoris libertatis sese invicem minimè oppugnent & opprimant. Similia maximè appetere unionem: autor est Magno Neandro *in Orat. præmissa Arbori Consang. pag. 7.* non sine summâ judicii acrimonia laudatus vir acutissimus *Scaliger Exercit. 310. sect. 2.* ubi & hæc addit: Qvod enim non est unum: nec est qvidem. Ita qvod est à suo simili separatum: videtur & illud defraudare, & ipsum ab illo defraudari essentiæ qvasi complemento. Neqꝫ enim duo ignes duo sunt, sed unus divisus: qvam sententiam contra Fracastorium vindicat Silesiæ suæ Hippocrates, Nobilissimus & Excellentissimus Dn. D. Daniel Sennertus *in Hypomnes. Phys. Hypomn. 1. cap. 5. p. 32. & seqq.* Homine qvid homini similius? Qvippe omnis homo terrenus, qvid est, nisi Adam? *August. lib. 1. Retract. cap. 15. T. 1. p. 23. Lit. C.* Idemqꝫ

in majore urbe civis eſt: *Sen. affirmante lib. 2. de Ira. c. 31. p. 570.* & φύσει πολιτικὸν, ἄνθρωπος: i. e. homo ſociale eſt animal natura. *Ariſt. lib. 1. Polit. c. 7. p. 23.* Honor dirimit, cujus omnibus patet campus: *Plin. in Paneg. ad Traj. p. 112.* ipſe tamen in virtute ponitur: qvæ maximè illuſtratur magnis in Remp. meritis. *Cic. lib. 10. Epiſt. ad Fam. Epiſt. 12. T. 3. p. 165. Lit. G. Et Muretus Orat. 20. pag. 231.* Glorioſi ii demum, inqvit, præ cæteris atq; illuſtres videntur, qvi DEO tantùm freti, ea, qvæ inter homines ſumma habentur, ſine ullis ejusmodi præſidiis ſua ſibi virtute pepererunt. Pulchrum eſt enim, ita abundare, ut nemini qvicqvam debeas: ita illuſtrare alios, ut nihil ipſe ſplendoris ac claritatis ab aliis mutuatus dicaris. Delinqvunt, qvi ob vanam ambitionem volunt videri ſuperiores. *Card. de Arc. Prud. Civil. c. 94. p. 425.* Romanus populus ille priſcus dividebatur in Senatum, eqvites, & plebem: *Lipſ. de Amphith. c. 14. p. 36.* Una civitas in tres Ordines, procul dubio concordia. Galli Nobilium ac Potentiorum vim juſtisſimis decretis coërcent, ac veluti ſummos cum infimis incredibili concordia tuentur. *Bodin. de Meth. Hiſtor. cap. 6. p. 262.* Genuenſium Rempubl. hac conjunctione in concordiam coaluiſſe, Simone Buccanigro & Andrea Auria conciliantibus, *Thuani* fides approbat *lib. 61. p. 113. Lit. C D E F. & p. 214. Lit. A.*

QVÆSTIO CXVII.

An Plebiſcitum Romanos Nobiles tenuerit? D.

NEgat Qvæſtionem *Bodinus lib. 1. de Rep. c. 10. p. 236.* his verbis: Plebiſcitum neqve Patricios, neqve No-

Nobiles tenuit. Paulò pôst verò is ipse vim obligandi ad obedientiam Plebiscito adimit, idq; ad temporis diuturni tractum animam exhalâsse asserit. Hem qvàm miserrimam obligationem! Qvantum mihi perspicere licet, palmam sententiæ justæ deferendam esse censeo Nobilissimo ac Excellentissimo *Dn. Arnis. lib. 2. de Jure Majestat. cap. 3. p. 260. 261.* qvi per leges, Historiam, ac Classicorum Clarorumq; Scriptorum certissimam autoritatem omnia dubia solvit. Uberiora his videantur apud Borchholten *in Comm. in Instit. Imper. pag. 9. & 10. Vultejum in Jurisprud. Rom. lib. 1. cap. 2. pag. 4. §. 5. 6. Perez. in Com. in Easd. p. 6. D. Noricum in Easd. p. 21. D. Ottonem de Jure publ. c. 1. p. 45. D. Cellarium in Polit. lib. 2. c. 5. pag. 149. §. 12. Joh. Casum in Sphæra Civit. lib. 4. cap. 3. p. 184. Tacitum lib. 1. Annal. c. 1. p. 2. & 3. & c. 2. p. 6. Svet. in C. Jul. Cæs. c. 5. p. 3.* Cæterùm miror *Bodinum*, scribere conatum, plebiscitum legem appellari cœpisse *lib. 1. de Rep. c. 10. p. 236.* Largior hoc qvidem, præeunte Nobilissimo & Consultissimo *Dn. D. Joh. Ernesto Norico in Com. in Instit. Imper. p. 21.* Plebiscita, lege Hortensia lata, non minùs valuisse, ac leges: qvin & ipsa consvetudo approbata sortitur vim legis: lex tamen dici neqvit: Plebiscita autem legum nomen consecutum esse tamdiu negavero, qvoad manifestis rationibus redarguar. Videatur *Perez in Com. in Instit. Imper. pag. 62. §. 3. D. Otto de Jure Publ. c. 8. p. 172. 173.* Jussu autem vel Consulis, vel Tribuni leges & plebiscita robur accepisse, docet vox rogatio: qvæ qvantum valuerit, publicè notum est. Edictum tango qvoqve, pariterq; nego contra *Bodinum l. cit. & cit. libri c. 10. p. 197.* ubi universos eo teneri negat. Vide *Tacit. lib. 1. Annal. c. 2. p. 6.* & pondera vocem: posuit; & simul pensita verba: veluti

veluti Consule: *§. 4. Instit. de J. Nat. Gent. & Civ.* Affirmativam rectissimè defendit Nobilissimus & Excellentissimus JCtus *Dn. Samuel Neander* b. m. *in Tract. de Just. & Jure p. 84. 85.* Edictum, citra controversiam, (inqvit) omnes tenet: sive forma *in l. humanam 8. C. de ll.* præscripta in deliberatione servata fuerit: sive non: cum Principi visum. *l. 3. C. Eodem.* Et hac ipsa lege edictum lex vocatur. *Imò & l. 8. cit.* valorem indit edicto, impetratum à consensu & approbatione non populi, vel etiam plebis, sed Patrum conscriptorum: qvæ ll. contradicunt Bodino, qvi edictum fuisse dictum legem negat.

QVÆSTIO CXVIII.

An Nobiles sint immunes à muneribus publicis? Dist.

VOcem immunis propriè tribuit *Lips. lib. 5. de Milit. Rom. dial. 6. p. 248. 249. & in Com. in Plin. Paneg. in Trajan. p. 39.* militibus, qvi hoc nomine appellantur, qvando à muniis sunt exempti. *Barth. in Com. in Claud. pag. 1034. col. 2.* in hæc verba *Claudiani, ex Epigr. 40. pag. 80. col. 2.*

Clauditur immunis convexo tegmine rivus,
Duratisq; vagis fons operitur aqvis:

Explicat eandem per Græcam ἀνέπαφος, qvam significat intactum. Qvam significationem ut & Græcam & Latinam vocem fovere sciam: ita hîc eam admitti nego. Nam intactum est id, qvod à nullo apprehensum, vel læsum est. Intactum autem rivum, qvi tegitur jam glacie, propterea dicere neqveo: siqvidem multis modis ante tactus est. Immunem proinde, vi verborum

&

& sensus Claudiani, significari id, qvod jam lædi non potest, assero. Propriissimo & huic qvæstioni accommodo sensu innui eum autumo, qvi levatur ab onere, plebejo cuiq; subeundo. Affirmativa placet *Dn. Schönbörn. lib. 3. c. 39. p. 348. Vernul. lib. 2. Inst. Polit. Tit. 9. cap. 5. pag. 210. D.* Lichtenthal *in Coll. Polit. Exercit. 10. Th. 15. p. 216. JCtissimus Dn. Spreng. Instit. Jur. publ. c. 8 p. 43.* Assertionis rationem proferunt generalem *ex l. Præcipimus. C. de dignit.* qvæ omnem imponendi à Judice Nobilibus facultatem muneris cohibet. Specialiora privilegia indulget *l. 4. Senator. C. h. t.* qvæ à certis qvibusdam cum personas, tum res, liberat. Ad alia me vocat *l. 7. quoniam. C. h. t.* scil. immunitatem ab exstruendis in urbe: qvo onere l. ista liberat Nobiles: *l. verò 6. C. de Profess. & Medicis*, qva se porrò defendere molitur Dn. D. Lichtenthal / qvæstioni huic tuendæ non est accommoda: qvia particularis est, & Nobiles planè excludit. Persvasum qvidem habet JCtus jam laudatus, nobiles hic qvoq; intelligi: qvia medicos esse Nobiles credit: sed sententiam Viri Nobilissimi falsa superstrui hypothesi, demonstratum est infra Qvæst. LXX. pag. 113. Negativæ favet, sed cum grano salis, *Besoldus lib. 2. Polit. c. 11. p. 409.* scilicet si peculiari gentis instituto aliud sit receptum. Romæ certè, Imperante Cajo Caligula, ait *Svet. in ipso. c. 40. p. 236.* ab ipso Imperatore nullum rerum aut hominum genus omissum esse, cui non tributi (Speciem hic pro Genere poni, non est intellectu operosum: id qvod seqventia monstrant verba) aliqvid imponeret. Qvæ libertas asseritur in legibus, privilegiis, & consvetudine, Nobilitati perpetuò definita: Princeps verò, & necessitas, æqvitati non absona, PLUS ULTRA

 tem-

tendit. Nam non est, qvòd qvis vim legis habere putet verba illa *Plin. in Paneg. ad Traj. p. 108.* Non est Princeps supra legem, sed leges supra Principem. Fieri enim potest, ut lex aliqva qvippiam dictitet atqve imperet: cui si cogotationes suas infixas teneat Princeps: sibi & populo noceat, insimulq; conscientiam sauciet, traditionis humanæ servantissimus, dilectionis DEI & proximi negligentissimus: qvò omnino respiciendum esse pietati Principis Christiani duco. Necessitas ipsa etiam ante rationem est: *Curt. lib. 7. pag. 163.* &) ex mente Ulyssis apud *Sen. Trag. Act. 3. Sc. 1. p. 228.*

--- --- Plus posse, qvàm pietas, solet.

Ideo, Consultore *Auson. in Sentent. Sap. Carm. 4. p. 119.*

Faxis, ut libeat, qvod est necesse.

QVÆSTIO CXIX.

An Nobilis immunis sit à tributo? Dist.

A*Rnis. lib. 3. de Jure Majest. c. 7. p. 609. 610.* affirmativam probat exemplo Nobilium Francorum, Polonorum (qvod confirmat *Cromer. lib. 21. Rer. Gest. Polon. p. 316. col. 1.* In Polonia, inqviens, qvoscunq; agros eqves colit: ex his canapale non solvit: neq; convehit suo curru decimam: neq; in eo delectum sacerdos habet: nisi data opera vitiosum frumentum relinqveretur ab eqvite.) & qvorundam Hispanorum. Levat qvoq; hoc onere Nobilitatem *l. 6. C. de fundis patrimonial.* Negativa adminicula sibi figit *per vers 7. cap. 13. Epist. ad Rom.* qvi nullum subditum liberat tributi solutione. In qvem ita commentatur *August. serm. 19. de Verb. Dom. T. 10. p. 89. Lit. B.* Apud DEUM non tam exactio,

actio, qvàm exactio iniqva, damnatur. Dicit enim ipse DOMINUS: Reddite, qvæ sunt Cæsaris, Cæsari. Igitur qvod Cæsar præcepit, ferendum est: qvod Imperator indicit, tolerandum est: sed fit intolerabile, dum illud præda exactionis accumulat. His verbis ab Augustissimo Præsule à tributo solvendo Nobilium neminem eximi perspicuum est. Ipsæ leges qvoq; civiles ab hac sententia minimè declinant. *Recessus Imperii de Anno 1500. pag. 45.* de tributo contra Turcam & alios publicos hostes conferendo ita habent: Auch sollen die Ritter und Knechte des H. Reichs / in diesem löblichen/ Christlichen Werke und Fürnehmen/ als fromme Christeleute / aus Adelichem Gemüthe / Behaltung und Rettung ihrer selbst Vaterland / Ehre / Leibes und Guthes / und zu Widerstand den Ungläubigen / und andern Widerwertigen der Christenheit und des Reichs / nach ihrem Vermögen / auch etwas thun. Hic ab ordine Eqvestri Imperii tributum exigit, citra exceptionem personarum & rerum. Et hinc colligo, & mediatis Nobilibus idem onus impositum esse, qvoties hostis publicus vel immineat cervicibus imperii, vel Christianæ gentis; vel irruptionem in fines istos fecerit. Alia est ratio Recessus imperii de Anno 1576. pag. 658. §. Dann wäre es. Ubi Nobilitati Imperii optio datur, nihil imperio exigitur. *Recessus Imperii de Anno 1658.* tributorum exactionem ad Instrumentum pacis Osnabrugensis qvasi ad Lydiũ æqvitatis lapidem eximinari & dirigi jubent *§. 17.* Vide *Spreng. lib. 2. Instit. Juris Publ. cap. 9. p. 220. cap. 20 p. 242. 243. 244. cap. 24. p. 332. 333. & Gudalinum lib. 1. de Jure novissimo. c. 9. pag. 300. 301. Rosin. lib. 10. Antiq. Rom. cap. 23. pag. 775. col. 2.*

Lit. A & B. Soluturus tandem Qvæstionem hanc, cum DEUS nec in V. & N. T. politias, earumqve Instituta, evertenda esse statuerit: cavendum esse reor, ut nec nimium sententiæ affirmativæ, nec negativæ, inhæreat qvispiam: ne vel opprimatur plebs: neve Nobilitati imponatur insvetum. Namq; novitas plerunq; odiosa. Næ odium contigit Claudio Imperatori, memorante *Svet. in Ipso. c. 44. p. 331.* qvi, cum in cogendo tributo Nobilitatem cum plebe sociaret, ingente fastidio & acerbitate, cognoscebat, plerosq; omnem collationem palàm recusare: & ampliùs exigens, qvàm præstari debebat: pendebat, qvod justum satisqve erat. *Sen. 7. Benef. cap. 23 p. 139.* Qvapropter sub ipso jure naturali, qvod omnes obligat, æqvitatem & civilia instituta observari par est: & privilegia sine necessitate inevitabili non sunt perforanda.

QVÆSTIO CXX.

An Nobiles vectigalibus levatus sit? Dist.

NEgat *Arnis. lib. 3. de Jure Majest. cap. 7. pag. 609. per l. omnium 6. C. de Vectigal. & commiss.* qvæ ipsi, spectans ad negotiatores, parvum patrocinium parit. Qvin & *L. ex Præstatione. C. h. t.* ludit operam, mercatores tantùm respiciens. Porrò *ad l. 29. C. de Decur. & filiis eorum* &c. confugit: sed sine ejus suffragio. Deinde novum argumentum condit à Subjecto Denominationis: recensetqve aliud atqve aliud, qvod exceptum ipsi videtur *l. cit. & p. 610.* qvibus non comprehendit nobiles. Non levat qvoq; *vers. 7. c. 13. Epist. 12. Pauli ad Romanos:* sed Nobiles cum Plebejis subjicit isti

mu-

muneri. Qvem amplectitur *Salvianus lib. 5. de Provid. p. 159.* Constitutiones item Imperiales Augustæ Vindelicorum Anno 1500 approbatæ pag. 40. §. Item sollen. non eximunt Nobilitatem apendendo vectigali. Affirmativæ favet significatio vocis: qva de ita *Dn. Horn. lib 2. Polit. c. 3. p. 260.* Qvamvis vectigal in genere significet omnem pecuniam: qvæ vel tributi, vel collectæ, vel alio nomine in publicum confertur: unde Festo vectigal dicitur æs, qvod ob tributum & stipendium extraordinarium populo debetur. Regna qvoq; principatus, & agri dicuntur vectigales: qvi aliqvod tributum solvunt, aut publicè locati sunt: nobis tamen est pretium, qvod à transeuntibus solvitur, præsertim pro evehendis, invehendis, aut distrahendis mercibus imperatur ordinariè mercatoribus, qvi commerciis suis rem faciunt. Addantur hic Dn. *Wendelinus lib. 2. Instit. Polit. c. 24. th. 20. p. 295. Rosin. lib. 10. Antiq. Rom. cap. 23. pag. 775. col. 1. Lit. A & B.* Fovet istam & *lex Neminem ex his. 50 C. de Decur. & fil. eor.* Adhæc *Dn. D. Cellarius lib. 2. Polit. c. 16. p. 287. th. 7.* videtur sentire, Nobiles à vectigalibus esse immunes. Cui accedit *Dn. Sprengerus lib. 1. Instit. Juris publ. c. 20 p. 88. & D. Otto de Jure Publ. cap. 11 pag. 220.* Ego, ne temporibus turbulentis nova imponantur, consultum puto: præsertim si nimia sint, & rebus sordidis ac projectis, qvibus C. Caligula, teste *Suet. in Ipso. cap. 40 41. p. 236. 237.* & Vesp. Augustus, referente *Eod. in Ipso. c. 23. p. 401.* incidit, imponantur: qvòd odio sint: & in Imperio Romano Germanicò vetita per *Capitul. Leop. I. Imperat. §. 21.* nec tutò negentur: exemplo Carthaginensium, qvi, ubi ea

Ii 3 de

de re adversus Afros dimicâssent, tandem vectigal coacti sunt repetentibus reddere. *Justin. lib. 19. cap. 1. pag. 187. num. 5.*

QVÆSTIO CXXI.

An Nobili lautiora alimenta sint decernenda? Aff.

NEcessaria esse omnibus alimenta, (quæ, scriptore *Berch. in Com. in Instit. Imperial. pag. 67. col. 2. num. 2.* vestes, lectum, culcitras, & habitationem comprehendunt: ingratiis licèt Vallæ, ex nuditate Indorum, vestes sub alimentis comprehendi negantis, atq; expugnati exemplo Protoplastorum, admisso peccato primo, de vestibus sibi providentium: DEO consilium hoc ratum habente *Gen. 3. v. 7. & 10.*) Doctor ille eruditæ lingvæ SALVATOR MUNDI asseverat *Marci 8. v. 1. 2. 3.* Tradunt qvidem nonnulli, Demetrio autore, Epimenidem accipere solitum à Nymphis cibum, eumq; intra bovis ungulam conditum servare: paulatimq; inde sumere, nullaq; exinde digestione indigere, neq; visum unqvam edere. *Diog. Laërt. lib. 1. Vit. Philos. p. 13. col. 2.* & apud Hispanim fluvium, ait *Parens Eloqventiæ Romanæ lib. 1. Tusc. Qvæst. T. 4. pag. 186. Lit. C.* qvi ab Europæ parte in Pontum influit, Aristoteles dicit bestiolas nasci, qvi unum diem vivant: qvibus procul dubio cibo non est usus. At hæc & fabulosa sunt, & singularia: qvæ regulam communem non exstirpent. Hinc *Paulo JCto l. Necare 4. ff. de Agnoscendis & alendis liberis:* necare videntur illi, qvi alimenta denegant. Inde tamen non concludi potest, peculiari de alimonia

No-

tamen

Nobilibus esse prospiciendum. Qvid enim generosus animus de peculiari cibo sit solicitus? Qvid dilectum agat in eo, qvod inqvinat, non alit? Id qvod de cæna dapali, opipara, & varia statuit Seneca in qvadam Epistola. *οὐκ ἡ τροφὴ, ἀλλ' ὁ θεῖος ὅρος διακρατεῖ καὶ τὰς ψυχὰς, καὶ τὰ σώματα.* i. e. Non alimonia, sed divina sanctio cum animas, tum corpora, conservat. *Isid. Pelus. lib 3. Epist. 341. p. 339.* Non aliter, ac ad medicinam æger, ad sumendas dapes, qvisq; debet accedere: neqvaqvam videlicet in illis voluptatis appetens, sed necessitati succurrens. Hinc VERITAS per Evangelium dicit: Attendite, ne graventur corda vestra crapulâ. *August. lib de Conflictu Vit. & Virt. c. 20. T. 9. p. 1037. Lit. D.* Aurem vellicat cujusq; Nobilis circumspecti bracteatæ notissimi illius Philosophi sententia:

Sint epulæ vicisse famem. --- ---

Gens illa, DEO adeo amica, ut non solùm cum ipso crebros sermones misceret, sed eidem, citra naturæ operationem junctam, cibum potumqve prodigioso proventu apponeret, XL. annorum periodo, Manna pasta, in Eadem fortitudine, eodemq; robore perstabat, & *ἴσως δὲ καὶ μείζονος ἀπέλαυον δυνάμεως*, i. e. pro proportione insimul qvoqve majorem conseqvebatur virtutem. *Isid. Pelus. ibid.* Non abhorrent eqvidem generosa ac strenua Nobilitas fortioris ac bellicosæ nomen & honorem. Laconibus angusta erat mensa: qvò propulsantes industria sua famem ad audendum concitentur, & ad dolos concinnandum. Id cibi penuriæ munus est: atq; ideo erat angusta mensa, ut adsvescerent saturitatem vitare, & tolerare famem posse. Ita namq; ad expeditiones etiam aptiores fore censebant, si per

inediam valerent laboribus sufficere, temperantioresq; & frugaliores, si perdiu exigua impensa degerent. Item eò qvòd non desiderarent pulmentum: & qvemvis pastum caperent: putabant corpora salubriora reddi & gliscentia: spiritumqve, cibi defectu non coactum in profundum & latum, attollere in sublime corpora: præterea pulchra reddere: qvòd graciles & exiles habitus ad membrorum conformationem magis ductiles sint: cum saginati reluctentur suo pondere. *Plutarch. de Instit. Lacon. T. 2 p. 212.* Subjiciam & id, qvod ex *Diodori Siculi lib. 1.* notavit *Castel. lib 3. de Off. Reg. cap. 9. p. 345.* ubi: Ægyptiorum certè Regibus, inqvit, cibi potionisq; ratio legibus fuit præscripta. Vitulina enim tantùm caro, & anser apponi regibus mos fuit: tantumq; vini adhibebatur, qvantum reficere vires posset, non opprimere: ita, ut optimum optimi præceptum Medici ad tuendam valetudinem, non legislatoris scitum, vivendi ratio fuisse videretur. Hæc omnia vel intra abusum ciborum cohibentur: vel Instituta respiciunt: vel etiam ingenium, qvod ad hanc virtutem ultrò naturæ fert indoles, tangunt: citra abusum affirmativam defendi sententiam, qvis ringatur? Cum Ll. svadeant, præceptiones recti, praviqve depulsiones: *Cic. lib. 2. de Nat. Deor. T. 4. p. 312. Lit A.* vitiorum emendatrices, commendatricesqve virtutum. *Id. lib. 1. de ll. T. 4. pag. 434. Lit. E.* æternum Imperandi prohibendiq; sapientiam: *Cic. lib. 2. de ll. T. 4. pag. 438. Lit. A.* fundamentaq; libertatis & retinacula sempiterna. *Ammian. Marcell. lib. 14. c. 14. p. 12. Schönborn. lib. 3 Polit. c. 39. p. 348.* Nobilibus relinqvi ampliores sumptus firmat, qvàm ignobilioribus: ut sese lautiùs alere possint. *cap. non*

cogan-

cogantur 41. Firmamento eſt eidem *l. Sicuti 1. §. Mulier. 19. ff. de Ventr. in poſſeſſ. mittendo &c. & l. Habitatio 4. ff. h. t.* ubi pro dignitate perſonarum addicuntur cuiqve alimenta. De qvibus præteritis certo modo tranſigi poſſe relictis, non repugnat *Ulpianus l. Cum hi. 8. §. Si in annos 23.* qvanqvam, ut ingenuè fatear, §. hic mihi non ſatisfaciat. Forſan per morem Romæ receptum, D. Claudius Imperator, omni cœnæ & liberos ſuos cum pueris puellisq́; nobilibus adhibuit, qvi more veteri ad fulcra lectorum ſedentes viderentur. *Suet. in Eod. c. 32. p. 281.* Vide Lehm. in der Speyer. Chron. *lib. 2. cap. 19. p. 92. col. 1. Lit. B C. Vernul. lib. 2. Polit. Tit. 9. c. 5. p. 211. & Bodin. lib. 3. de Rep. c. 8. p. 467.*

QVÆSTIO CXXIII.

An Nobilis ſit liber à tutela? Neg.

Tutela defenſionem ſignificat, opus Regium: teſte *Liv. lib. 1. Dec. 1. pag. 22. Lit. A.* qvi eam Numæ tribuit, per omne regiminis tempus tam pacem, qvàm regnum, tueri conantis *Tacit. lib. 1. Annal. c. 4. p. 10.* eam, Tiberii Imperatoris verbis, parti regni applicat. Qvò ſpectat & ἐτυμολογία *§. 2. Inſtit. h. t.* ubi & defenſor appellatur Tutor: qvod patrocinio pupilli relinqvit locum: & *§. 2. Inſtit. de Attiliano Tutore* defenſores civitatum dicuntur Magiſtratus, qvi vernacula lingva appellantur die Ober-Vormünde. Vide *Sen. lib. 1. de Ira. c. 12. p. 544. & Terent. in Eun. Act. 4. Sc. 6. v. 32.* Natura eò ductat, docente *Cic. lib. 1. off. T. 4. pag. 466. Lit. H. & p. 467. Lit. A.* & à contrario abhorret: Eodem præcipiente *l. cit. p. 465. Lit. C.* Nec tutelam Nobili indignam eſſe ideo conjicio,

qvòd *§. 1. Instit. de Tutel. & l. Tutela 1. ff. h. t. in pr.* potestatem hanc imponunt, libero capite, i. e. Nobili dignissimam: qvam necessitas legis detrectari non sinit. Nec ullo se servitutis jugo premi credunt Serenissimi ac Potentissimi ELECTORES. Qvam me erudit Qvæstio illa Politicorum: Utrum Tutor ab ELECTORE S. Romani Imperii, testamento constitutus, præferendus proximiori Agnato? Qva de videndi *Dn. Schönborn. lib. 2. Polit. c. 14. p. 169. Dn. D. Otto de Jure Publ. cap. 17. p. 569. 570. Dn. Wendelinus lib. 2. Instit. Polit. c. 3. th. 8. p. 103. 104. 105.* Videtur mihi qvoq; responsionis negantis autor esse *Tit. totus Instit. de excusat. Tutorum & Curatorum:* in qvo inter XVII. legitimas tutorum excusationes una tantùm, videtur à sententia mea discedere: nec ulla tamen inibi expressa est mentio Nobilitatis. Addo tandem factum Imperatoris LEONIS BASILII Philosophi, qvi CONSTANTINUM filium septennem sub tutela matris, & qvorundam Nobilium reliqvit: qvorum diligentia Andronicus Ducas, tyrannidis invasor, oppressus est, notante *Joanne Bapt. Egnatio lib. 2. de Princip. Roman. T. 3. Hist. August. p. 450.* Ad Affirmativam proclivis esse videtur *§. 3. Instit. de Excusat. Tutor. vel Curat.* At ipse indefensam deserit Qvæstionem hanc: eò qvòd potestas non Nobilitatem, sed dignitatem, hîc significet: qvia si hîc intelligeretur Nobilitas: inferendum esset, omnes, penes qvos est potestas aliqva, esse Nobiles: qvod defensorem suum aliis, qvi verba perspicerent, deridendum propinaret. Idem *§. versu posteriore* se explicans susceptam tutelam non adimendam esse sciscit. Hunc *§. lego abrogatum l. 2. C. de Excusat. Tutor.* Opponere mihi qvempiam posse autumo *l. Excusa-*

cusationis 3. C. h. t. ubi planè liberantur ingenui tutela. Ast salva res est. Ingenui enim non sunt nobiles. Lex etiam ipsa limitationes jussu Imperatorum, SEVERI & ANTONINI, qvi ipsam condiderunt, admittere geminas tenetur.

QVÆSTIO CXXIII.

An Nobilis ad torneamenta sit admittendus? Aff.

M*ünst. lib. 3. Cosmogr. p. 746. ait*: Articulus XII. admittendis ad torneamenta præscriptus sic habet: Qvi torneamentis interesse voluerit: & Nobilibus Parentibus ortus non est: neqve ex qvatuor avis suã probare potest Nobilitatem: hic nullo pacto potest torneamenti ludum adire militarem. Hunc articulum Nobilitati ad torneamenta adeunda ducem esse, vel cœco est perspicuum. Aditum verò præcludi ad ea illi, qvi qvasi de digitis numerare tot avos nesciat: id extremæ esse injustitiæ duco. Nam fieri potest, ut qvidam puellus & investis Nobilis, bellorum contagionumqve sævitia, cum Parentibus, familiam & res suas cum ærugine amittat, & proinde probare neqveat hos Majorum gradus. Num ergo Nobilis iste nec Nobilis haberetur, nec ad torneamenta ipsi via pateret? Ecqvid nam hi probandæ Nobilitati adferent gradus? Forsan Principis celsitudinem & potentiam minuere tentabunt: qvod impium & supplicio dignum est. An virtus augescet inde Nobilium juniorum? Omninò: qvia est habitus animi acqvisitus crebris exercitationibus. An durationi aliqvid addidit? Etiam: qvia penes nullum Ma-

jorum istorum fuit, addere vel momentum mortalitati suæ. Qvæ ergo caussa fuerit tam ignominiosæ proscriptionis & amandationis? Præconcepta opinio, & vetustas erroris: qvæ per manus tradita homines versat & præcipitat: *Sen. de Vita beata. cap. 1. p. 652.* Et hos nævos nostros & cicatrices amamus: nec soli nostro vitio contenti affectamus, ut amentur. *Auson. in Epist. præmissa Edyl. 6. pag. 132.* Prodit & porrò Münsterus ibidem, & finem, cujus gratia Nobiles ad ludos eqvestres admittendi sint, videlicet ut verè Nobilis à nominetenus tantùm Nobilibus dignosceretur. *Spreng.* testem experientiam laudans demonstrat *lib. 3. Instit. Juris Publ. cap. 33. pag. 503.* Immediatam Sveviæ Nobilitatem Anno 1458. in Urbe **Heilbron** torneamentum habuisse: item Moguntiæ Anno 1282. *Id. ibid. cap. 1. pag. 385.* Northusana celebrat *Dresserus in Poligraphia pag. 211. 212.* & Halensia Saxonum. *pag. 241. 242.* Magdeburgi primum habitum fuisse Anno 938. inde ad Annum 1487. passim XXXVI. habita sunt, qvibus interfuerunt Nobiles: qvædam etiam à Nobilibus instituta. *Münsterus ibid. p. 746. 747.* Originem cepisse in Saxonia Anno post Christum natum 934. HENRICO, Duce Saxoniæ, electo in Romanum Regem. *Id. ibid. p. 744.* Ad Antoninum Bassianum Caracallam cunabula refert patrem *Dresserus in Poligraphia p. 242.* Qvid? si Octav. August. primò transscriberentur cum *Svet. in Ipso. cap. 43. p. 97. 98.* & in Nerone *c. 11. & 12. p. 299. 300. & Tacito lib. 11. Annal. cap. 4. pag. 212.* Vide mihi porrò assentientes *Limn. lib. 6. de Jure Publ. cap. 2. pag. 9. Besold. in Synopsi Doctr. Polit. p. 173. §. 10. D. Adam Contzen lib. 8. Polit. c. 20. p. 607. 608. Lips. lib. 5. de Milit. Rom. dial. 14. p. 315. & Barth. lib. 5. Adversar. c. 19. p. 249.*

QVÆ-

QVÆSTIO CXXIV.

An Imperator Nobilibus recens creatis, vel qvatuor avis talibus, destitutis, potestatem adeundi ludos eqvestres vel torneamenta, & iis se immiscendi, facere possit? Aff.

NEgativam nonnulli tribuunt Illustrissimo & Generoso Comiti Reinhardo de Solms/ in lib. vernácula lingva edito **Von des Adels Vrsprung:** cujus verba nec addere, nec refutare lubet: qvòd certis de caussis lectione Tractatus illius abstinui. Distingvit *Dn. Wendelinus lib. 2. Instit. Polit. cap. 30. th. 8. p. 375.* qvem in præsens non tango. *Excellentissimus Dn. Sprengerus lib. 1. Instit. Juris Publ. cap. 8. p. 46. 47.* Hanc suam sententiam qvatuor argumentis roborare nititur. In antecessum emittit, citiùs qvod oculos & pectora occupet, commodum Reipubl. ex multitudine eorum, qvi Nobilium in album virtute sua facinoribusq; generosis transscribuntur, prosiliens. Cui basin sterni *à Novella 15. in f.* exoptat. De argumento ipso: Concedi neqvit, id evincere reqvisita. Nam argumentum colligitur ex fine: & Qvæstio Caussam Efficientem Propinqviorem accersit. Novella etiam præter Subjectum (nam vox Nobilis hîc Excellentem significat & primarium) reticet & Prædicatum. Secundum argumentum, qvod in Conseqvente Virtutis consistit: & qvidem verè, *censura Cic. lib. 10. Epist. ad Fam. Epist. 12. T. 3. p. 165. Lit. G.* statuminare qvæstionem neqvit. Qværitur enim hîc: Num Princeps hominibus (ut sic loqvar) novis copiam dare possit ludis eqvestribus, eosq; celebrantibus, se sociandi? Et hoc erat demon-

ſtrandum. Reliqva ambo argumenta non attinet oppugnare, ſolutu obvia. Profluit hanc immunitatem conferendi facultas ex Juribus Majeſtatis: qvibus Principi acceptis nemo prohibebit jure, qvò minùs data à Principe ſuo Nobilitate etiam conſors fiat colludii in ſpectaculis iſtis, Nobilitati ſolemnibus. Qvocirca neminem mihi vitio daturum eſſe confido, putanti, penes eum eſſe ea, tam qvæ ipſi rei conſtituendæ reqviruntur, qvàm qvæ ei adjunguntur.

QVÆSTIO CXXV.

An Nobilis à criminis læſæ Majeſtatis, monetæ adulterandæ, & alius publici præſumtione ſit liber? Aff.

HUnc ſenſum non reſpuit *Dn. Spreng. lib. 1. Inſtit. Juris publ. c. 8. p. 43.* Nec injuſtè. Cum enim præſumtio omnis diluatur ex bona famâ & probitate ejus, in qvem inqviri poſſit: *Menoch. lib. 2. conſil. 283. n. 16.* Fieri neqvit, ut tanti & tam atrocis criminis læſæ Majeſtatis, & aliorum, inde vel dependentium, vel cum ipſo cognationem habentium, vel in leges nimium qvantum & publicitus inſultantium facinorum delatio in nobilem qvemqvam cadere poſſit. Næ nobilitatem *Beſold. lib. 1. Polit. c. 11. p. 404.* nihil aliud eſſe ſcribit, qvàm cognitam virtutem. Qvî ergo de eo ſuſpiceris facinora atrocisſima, cujus virtutum ornamenta & incrementa

Nôrunt, qvi in triviis eqvitant in arundine longa:
E ſabuloq; ſolent ædificare domos.

Taubm. lib. 2. ſacror. p. 13. Familiæ Nobilium qvò illuſtriores & antiqviores: eò præſumuntur à fœdis criminibus remo-

remotiores. Illustres autem sunt & claræ: *Vernul. lib. 2. Polit. Tit. 9. c. 1. p. 206.* non vitiis & facinoribus turpissimis: qvibus nemo inclarescit: qvin potiùs animum polluit. *Sen. in Herc. Fur. Act. 5. Sc. 1. p. 52.* qvas

--- Ardens evexit ad æthera virtus:

Virgil. lib. 2. Æneid. p. 689. & fugiunt vitium, morbum animi saniei plenum. *Basil. M. Orat. 7. pag. 203.* dæmonumqve cibum. *Hieronym. in Epist. ad Damasum pag. 57. Lit. C.* Nullum Nobilium præterit, eò majus esse peccatum: qvò major est peccantium existimatio. *Barth. in Pornoboscod. p. 195.* qva se cum periculo summo dejici verentur. *Id. ibid. pag. 18.* Nemo cum malo comite iter ingreditur. Qvid autem freqventius, qvàm iter Principum, comitibus Nobilibus susceptum? Scilicet Magnorum multorumq; Nobilium comitatus augere Principis magnificentiam putatur. Caussam certè ac finem Eqvestris ordinis Generosissimus Comes de Solms in Tract. de Orig. Nobil. esse statuit, ut dignitatem Togæ, Sago vires addat: sitq; adeo, qvod *Tacit.* ait: *de Mor. Germ. cap. 13. p. 227.* in pace decus, in bello præsidium: *Nobilissimus & Excellentissimus Dn. Kirchmajerus in Com. in Taciti Germ. p. 228.* Fragile verò præsidium, unde Princeps sibi exitium metuat. Ipsum porrò crimen læsæ Majestatis si intimius contempleris: memoriam subibit, vincere hoc, qvicqvid est vitiorum scelerumq; reliqvorum. Si enim cum Tacito hoc crimen omnium accusationem complementum: si cum Curtio desperationem, rectè appellaverit *Clapmarius lib. 5. de Arcan. Rerump. c. 16. p. 191. 192.* qvis neget ei atrocitatem flagitiorum omnium deformitatem superantem? Dolus hic subsit necesse est, maximè detestandus: qvi qvò pestilentior & capitalior: eò minùs potest præsumi. Silentii si-

ſipario in præſentia involvo Objectum: in qvod fertur impetu ſuo ſcelus: condo conſeqventem pœnam, reliqvas univerſas multis partibus præſtantem: odium illud viperinum, qvod cum illo firmiſſimo nexu nunqvam non conſtringitur, non perſeqvor: nec fidem fidelem putavero, ſi mens me decipiat, credentem, in hominis generoſi pectus non intrare cogitationem ullam, qvæ tantum ſcelus adumbret, & animo conceptum ejus in tanto ſplendore ingerat.

QVÆSTIO CXXVI.

An dentur ordines varii inter Nobiles? Aff.

VAriétatem ſummam eſſe ordinum Nobilium, inficiari neqveo. Res ipſa index eſt, &, qvæ ejus viam inſiſtit, Clarorum Virorum ſententia. Libandi eorum mihi qvosdam in præſens eſt animus: exactam eorundem notitiam proferendi facultatem ſubacti judicii poſſeſſoribus & eruditionis reconditæ relinqvo. Eqvitum Romanorum mentionem primùm ut faciam, *Beſoldus lib. 1. Polit. c. 11. p. 406.* me provocat. Eqvites Romani non Nobiles, ſed plebeji, erant: & primò ad munus judicandi lecti, vel judicum: dein, à Cicerone Conſule eqveſtris honoris ordine ſeparato, ſedes in XIV. Ordinibus Theatrorum ſeorſim acceperunt à plebe: idq; non genere aut meritis, ſed ſolo cenſu. *Lipſ.* à Beſoldi mente non videtur alienus eſſe. Documentum opinionis ipſe præbet *lib. de Amphith. cap. 14. p. 36.* Videatur ſupra Qvæſt. V. pag. 10. 11. Addo tamen & qvædam è *Svet. in Galba. c. 14. p. 351.* Majore adeò & favore & autoritate adeptus eſt Sergius Galba, qvàm geſſit, imperium: qvan-

qvanqvam multa documenta egregii Principis daret. Sed neqvaqvam tam grata erant, qvàm invisa, qvæ secus fiebant. Regebatur trium arbitrio, qvos unà, & intra palatium habitantes, nec unqvam non adhærentes, pædagogos vulgò vocabant. Hi erant T. Junius Legatus ejus in Hispania, cupiditatis immensæ: Cornelius Laco, ex Adsessore Præfectus Prætorii, arrogantia socordiaq; intolerabilis: libertus Icellus paulò antè anulis aureis, & Martiani cognomine ornatus, ac jam summæ eqvestris gradus candidatus. Qvæ verba si accuratiore judicii trutina pensitet qvispiam: statim ipsum perspecturum esse confido, Galbæ tempore rursum polluisse auctoritate eqvites Romanos. De eqvitibus Germano-Romanis adjungam iis, qvæ extant in ſ. cit. Qvæst. V. p. 11. *Boterum lib. 1. Parte 1. Cosmograph. p. 59. col. 1.* observasse, in Comitiis Imperialibus, finita Electione, novum Imperatorem adscendere altius sedile, inibiq; sedentem qvosdam eqvestri ordine donare. Hinc sigillatim eqvitum ordines omnes essent denominandi, nisi brevitatis studiosus Nobilissimum ac Cordatissimum Lectorem remittere mallem ad *Nobilissimum & Excellentissimum Dn. Limnæum lib. 6. de Jure Publ. c. 2. n. 15.* &c. Unde nonnulla excerpsit *Nobilissimus Dn. Wendelinus lib. 2. Instit. Polit. cap. 18. th. 7. p. 131.* qvibus hæc subdit. Eqvites Nobilibus superiores sunt: fiunt, non nascuntur. Est enim dignitas tantùm personalis. Ex ignobili fit Nobilis: sed, ex veteri more, non eqves: qvià olim non, nisi ex Nobili, fiebat. Habent Eqvites omnia Nobilium privilegia: sed non vicissim Nobiles Eqvitum. Olim Nobilibus non concedebatur catena aurea, nisi 200 Florenorum: Eqvitibus 400 Florenorum. Concessa iisdem erant calcaria inaurata. Nobi-

libus non item. Et hanc in rem ſanctiones fuerunt Imperiales. Seculum noſtrum, ordinis impatiens, omnia mutavit. Omnibus autem cum ſciam in ore eſſe, paucos noſſe planè, Ordinem aurei velleris præcipua induſtria luſtrandum cenſeo. PHILIPPUS II. Burgundionum Dux, inqvit *Bodinus lib. 5. de Rep. c. 4. p. 856.* Ordinis eqveſtris, qvem aureo vellere ſubornavit, leges Anno 1429 accuratisſimè ſancivit: qvas LUDOVICUS XI. Anno 1469. qvadrageſimo pòſt anno, imitatus eſt; eumq; ordinem D. Michaëlis nuncupavit. Hujus aurei velleris proxima lex eſt, ut in eum ordinem nemo cooptari posſit, niſi genere Nobilis, & ſine ulla infamiæ labe vixerit. Vide ferme eadem apud *Spreng. lib. 3. Inſtit. Publ. cap. 9. pag. 406. Dn. D. Liebenthal* non diverſum his ſentit in *Col. Polit. Exercit. 10. th. 49. p. 338.* ita pergens: Sunt & alii ordines merè Laici, ut ordo aurei Velleris, vulgo Del Toſone, qvi non excedit numerum qvinqvagenarium. Inſtitutus eſt à PHILIPPO Burgundiæ Duce: translatusq; per Succesſionem in invictisſimũ CAROL. V. & ſic ad Reges Hiſpaniarum pervenit: Ubi notandum, opinari *D. Liebenthal l. cit. p. 338. th. 50.* ordinem S. Michaëlis eſſe alium ordine aurei velleris: & hoc aſſerit citra Medium. Cui aſſentiuntur *Limnæus & Wendelinus l. cit.* Ego eundem eſſe ordinem cùm aurei velleris: tum S. Michaëlis puto: confirmatus auctoritate Bodini, Galli utpote, & variis Circumſtantiis, veritatem exprimentibus perſpicuè. Ordo hunc excipiat S. Joannis Baptiſtæ: qvem ita delineatum ſiſtit *D. Liebenthal l. cit. pag. 337. th. 43.* Initium S. Joannis Baptiſtæ ordo ſumpſit tempore Phocæ Imperatoris (*Pomponius Lætus in Comp. Rom. Hiſt. T. 3. Hiſt. Aug. pag. 376. 377. 378. & Joan. Baptiſt.*

Egna-

Egnatius lib. 2. Rom. Princip. T. eod. pag. 442. sub Phoca Imperatore hujus ordinis prorsus multam faciunt mentionem.) Is enim imperavit Constantinopoli circa annum salutis DCC. *Volaterr. Anthropol. lib. 21. cap. 6.* Initium hic ordo habuit perexiguum: qvia Xenodochium tantùm pauperum, qvod hospites excepit eos, qvi sanctam terram & sepulchrum CHRISTI visitatum venerunt: ubi verò à Godofredo Rege insula Rhodus ipsis concessa: incrementum cœpit maximum: atqve sic magister ejus Ordinis creatus fuit: qvi aliis jus diceret, & præesset. Ubi verò Rhodo sunt expulsi milites, à Solimanno, Turcarum Imperatore, Anno 1523: insula Melitensis illis à Carolo V. est concessa. Unde Germanicè **die Johanniter / Rhodische / oder Maltheſiſche Ritter** appellantur. Dissentit *Nobilissimus ac Excellentissimus Dn. D. Micrælius lib. 2. Syntagm. Hist. Polit. Sect. 5. Quæst. 11. p. 513.* qvi Celeberrimum hunc Ordinem Fulconi, Genero BALDUINI SECUNDI, Regis Hierosolymitani, Comiti Andegavensium, acceptum fert. De ordine Teutonico videndus *Sleid. de Statu Relig. T. 2. p. 118. col. 2.* &c. De Templariorum ordine *ex Tyrii lib. 22. cap. 7. D. Christ. Matth. in Theat. Hist. p. 918. col. 1. & 2. Calvis. in opere Chronol. pag. 753. col. 1. D.* **Liebenthal** *l. cit. th. 44.* Eqvites auratos, qvos *Limnæus l. cit.* Eqvites aureæ Periscelidis nuncupat, *Lans. in Consult. Princip. Orat. 9. p. 370.* ita describit: Windesora, Urbs Angliæ, meritò familiam ducit, amænissima deliciarum domus, qvæ multis Regibus cunas, hospitium, & sepulchrum præbuit. Et in hac ad Galliam vincendam natus est Eduardus III. Rex bellicosissimus: qvi ad virtutem militarem, splendore ac præmiis magis excitandam, nobilissimam Eqvitum Auratorum socie-

 tatem,

tatem, in qvam postea magni Imperatores, Reges, & Principes exteri cooptari honori summo duxerunt, itidem conscripsit.

QVÆSTIO CXXVII.

An Nobilis promissis fides sit habenda? Aff.

PRopugnat hanc qvæstionem *Vernul. lib. 2. Instit. Polit. Tit. 9 cap. 5. pag. 211. col. 1.* Firmamentum ejus ponit in *l. 2. ff. de Testib. & Novel. 60. c. 1.* In neutra qvidem verba illa, qvæ *Vernul.* citat, reperio; Verba Nobilis factis comparantur. Hæc ibi legi extantia *§. 2. l. 3. ff. de Testibus.* Sicuti non semper, ita sæpè, sine publicis monumentis cujusqve rei veritas deprehenditur. Agitur utrinqve de Testibus, & cujus testimonium valeat, cujus rejiciendum sit, inqviritur. De fide promissorum Nobilis ne apex qvidem legitur. Verba §. 2. citata, generalia sunt: & publica monumenta hîc removentur: qvò ergo facta excesserunt? *Cromerus lib. 1. de situ & gente Poloniæ pag. 499. col. 1.* propiùs ad metam progreditur ita fatus: Fraudem facere, promissum fallere, pejerare, mentiri, Nobili probrosum & infame semper habitum est, atq; etiamnum habetur: qvamvis in majori habendi studio, qvàm olim, & licentia. Ipsum æternum illud Numen, mundi Rector & Gubernator: *Bernh. serm. 4. in parvis. p. 443 Lit. G.* cujus potestas multò major est Imperatoris: *Ambros. in Epist. ad Valent. Imperatorem. in Ep. Symmachi p. 449.* & facillimè qvi peragit, etiam qvæ nostram mentem excedunt, *Cyrill lib. 3. in Joh. c. 14. p. 155. Lit. D.* nobis hominibus, qvibus omnia debita dimittit, etiam promissionibus suis debitor noster

fieri

fieri dignatur *August. lib. 5. Confess. c. 9. T. 1. p. 106. Lit. D.* nec sponsionibus, qvàm factis, locupletior est. *Drexel. in Heliotr. lib. 5. c. 4. p. 489.* Qvid vero melius in unoqvoq; genere, qvàm DEUM imitari? *Card. de Arc. Rerump. c. 90. p. 377.* Imitatus est suo modo Pomponius Atticus, qvi ab origine ultima stirpis Romanæ generatus, perpetuò Majoribus acceptam eqvestrem obtinuit dignitatem. Eum refert *Corn. Nepos. in Ipso. p. 341. col. 1. Lit. D. E.* Mendacium neq; dixisse, neq; pati potuisse, Itaq; ejus comitas non sine severitate erat: neq; gravitas sine facilitate: ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererentur, an amarent. Qvicqvid rogabatur; religiosè promittebat: qvod non liberalis, sed levis arbitrabatur, polliceri, qvod præstare non possit. Augustum Imperatorem culmine Imperatorio suo fidem datam servare non duxisse indignum *D. Christ. Matth. in Theat. Hist. p. 260. col. 2. & p. 444 col. 2.* narrat. Imperator enim hic decies sestertium edicto promiserat iis, qvi Caracotam, latronum in Hispania Ducem, ad se deduceret. Caracotas, re intellectâ, se ipsum Augusto sponte obtulit: & præmium ex edicto poposcit. Verùm Augustus hunc hominem comprehensum non necavit, sed & veniam, & pactum præmium dari jussit: ne aut mercede promissa vitam eripuisse, aut publicam securitatem violasse videretur adversus eum, qvi sponte se ipsum judicio stiterat. Qvotusqvisq; est, qvi hostem suum nactus indemnem dimittat? Qvotusqvisq; fidem non falleret securitatis publicæ caussa? Nostra sanè ætate, inqvit *Cardan. de Arc. Prud. Civil. c. 97. p. 439.* Consvescunt multi polliceri multa: postmodum langvescunt sensim: adjicit tamen Vir Excellentissimus: hoc turpe est & odiosum.

QVÆSTIO CXXVIII.

An bona paganica vulgò Baurengüter / *à Nobilibus empta, allodii Nobilis naturam induant? Dist.*

NEgativam amplexus est *Illustrissimus Dominus Sprengerus lib. 2. Instit. Juris publ. c. 40. p. 333. 334.* Sententiam suam non minus auctoritatibus Præclarissimorum Virorum, qvàm non spernendis argumentis, propugnat. Illis, cum debita reverentia cultuq; maximo, missis ad rationes illius me converto: qvarum prima pulvinis illis antè rusticis, possessore & Domino ipsorum jam Nobili, allodii Nobilis naturam ideo denegat, qvòd in rebus excedentibus Principale accessorium non afficiat; in qvam sententiam affirmativa æqvalitati magis consonam arbitratur. Sed, pace Magni illius Viri, & cum præfatione honoris; excipio: Nobilis, qvi emit fundum antè rusticum, jam emptum applicat proprietati suæ: dominiumq; in immobile hoc bonum novum non sortitur ut rusticus, cujus dominium, per Venditionis contractum & absolutam solutionem, rustico est ademptum: sed ut nobilis: nisi velit qvispiam somniari, Nobilem & fundum rusticum, tanqvam accessorium, factum qvoq; esse rusticum: qvod nemo forsan amplectetur. Secundum sententiæ Negativæ firmamentum, petitur à liberatione hujus fundi à collectis futuris: qvod onus, dum fundus erat rusticus, subire cogebatur: qvo ipso injuria fieret Principi. Verùm

Non semper feriet, qvodcunq; minabitur, arcus:

Horat.

Horat. de Art. Poet. T. 2. p. 419. cecinit. Nam collectæ omnino sunt infeudatorum propriæ: & qvidem ordinariæ. *c. Imperialis 2. Feud. 52. c. Adhoc. 2. Feud. 54. c. Imperialem. 2. Feud. 55.* & ut Nobilis allodium suum vendens Jurisdictionem non vendit Imperatoris: *c. Adhoc. 2. Feud. 54.* ita onus fundi venditor rusticus non transfert in Nobilem feudatarium & liberum caput. Perdit qvidem in fundis infeudatis venditis jus collectarum ipso jure: munera illa c. Adhoc *2. Feud. 54.* non item: qvæ potiora plerumq; sunt Collectis illis ordinariis: id qvod ex *l. cit.* manifestissimi est juris. Satius certè fit è fundo rustico allodium: qvàm ex hoc ille. Tertia defensio ebullit ex vili pretio, soluto pro dominio fundi, à Nobilibus impetrandi, redundanteq; inde pauperie in contribules, collectas pendentes: eaq; fundamentum sibi locat, *Domino Sprengero Judice, in l. Actores 4. C. de Exact. Tributi. & l 2 C. Sine censu.* Adhæc qvæsivero, nunqvid utilitatis profluat in contribules memoratos ex agris non subactis? Inde profecto & Princeps, & Contribules damno multantur. Ille, qvia infeudatus ille fundus consveta non defert munera: hi, qvia ager nec satis effulget, collectas solvit: & sylvescere tandem incipit, non sine damno deinceps colendus. Præstat proinde, vili etiam pretio Nobili addici fundum: ut Principi solvantur, qvæ debentur: ut annona vilescat: qvod in utriusq; rem consulit: qvàm macrum frigidumq; tantùm inspici. *Ad l. Actores 4. C. de Exactor. Tribut.* regero, militum ibi in cogendis tributis cohiberi sævitiam, non interdici Nobili de emendo fundo rustico. Nec *l. Res annonaria 2. C. Sine censu* qvicqvam momenti habere videtur: qvæ exigit, ut fraus in emptione ista

Nobilis

Nobilis exſpiret: unde nullum detrimentum contribulium colligi poteſt. Non nemo Paulum JCtum *l qvæ religioſis 43. in pr. ff. de Rei Vindicat.* affirmativam tueri conjecit: ſed ingratiis Athletæ illis Juſtitiæ ſtrenuiſſimi, qvi propriiſſimo de ſignificatu verborum non abiens, qvæ de religioſis dicuntur, de iisdem procul dubio advertenda ſancit. *Vide* Lehm. in der Speyer. Chron. *lib. 2. c. 19. p. 91. col. 2. Lit. C.* Hæc ita ſtatuens, inſtituta Imperiorum, Regnorum, & Principatuum ſtrictè obſervanda puto: ne vel Principi, vel Nobili, vel Contribulibus ulla oboriatur injuria & afflictio: ad qvæ illa, qvæ ad Negativam debilitandam ſignavi, certis de cauſis reſpiciant.

QVÆSTIO CXXIX.

An Nobilis ab ignobili in pugnam qveat vocari? Neg.

HAnc negativam firmat c. Si ruſticus. 2. Feud. 27. qvod omnino æqvalitatem exigit inter pugnantes, ſeu duello contendentes. Vide *Vernul. lib. 2. Polit. Tit. 9. c. 5. p. 211.* Nobiliſſimus ac Ampliſſimus cum Dominorum Theologorum, tum JCtorum, tum etiam Politicorum chorus unanimi ſuffragio decreverunt jam pridem duella, pugnas, & contentiones omnes exeſſe orbe Chriſtiano. Namq; jure divino ejusmodi inſultus & impetus, atq; naturæ, eſſe contrarios, qvis neſcit? Norunt qvidem omnes, Goliathum cum Davide manus conſeruiſſe ex *c. 17. lib. 1.* Samuel. At hoc exemplum, tanqvam factum Heroicum, temerariæ imitationi non ſubmittendum: qvippe hoc peculiari inſtinctui Spiritus Sancti

Sancti assignandum: id qvod placet *Domino D. Balduino lib. 4. Cas. Consc. cap. 1. p. 884. col. 1. & 2.* Duellum pater est vocis bellum, qvod nonnullis καὶ ἀντίφρασιν qvasi minimè bellum dicitur. Eo enim semel incenso, nunqvam ferè prisca illa tranqvillitas & concordia nobis arridebit. Id ipsum qvibusdam dicitur à belluis, qvia beluinum sit, in mutuum sævire exitium. *Hugo Grotius de Jure belli & pacis lib. 1. c. 1. p. 3. Jul. Cas. Scalig. lib. 3. Poët. c. 90. p. 360.* Ferum Martem! exclamat *Lips. lib. 5. de Milit. Rom. dial. 1. p. 210.* qvi non animata solùm vitâ devolvit: sed evertit, qvicqvid stetit. O etiam ferini animi! qvi cladibus his auctores. Bellum sine licencia Imperatoris gestum, etiam re bene gesta, pro spurio haberi debet. *Modest. l. Desertorem. 3. §. In bello qui 15. ff. de Re Militari l. un. C. Ut armor. usus. Ulpianus l. 24. ff. de Captiv.* Duellum injussu Majestatis summæ suscipi, nemo, nisi impius, inficias iverit. Qvæ his objicit *Nobilissimus Dominus Schönbörn. lib. 6. Polit. c. 23. p. 628. eadem p. 629.* rejicit, & improbat. Ubi obiter notandum, ex antè scriptis constare, ne pro patriæ salute commissum duellum pietati Christianæ esse consonum. Auro omnino digna sunt Verba Henrici Borbonii, Principis Condæi, objecta Isaaco Valdræo Majo, demonstrare conantis, duella decoris tuendi, cui vitam verè Nobilis animus posthabere teneatur, necessitate excusari, apud *Lans. Orat. 5. pag. 147.* Magno errore, dicebat Princeps Potentissimus & Prudentissimus, homines in eo decus & veram gloriam reponunt: qvod gloriæ DEI, ad qvam omnia consilia & actiones dirigere debemus: & man-

datis ejus, in qvorum observatione vita æterna consistit, adversatur: nec, nisi pro patria, jussu Principis, aut inculpata corporis tutela, cuiqvam gladium stringere fas est. Pôst conversa ad Pastorem, qvi post sedile stabat, facie, qvò majorem sententiæ suæ fidem adstrueret, ab eo coràm qvæsivit: An salva conscientia, privatis injuriis ulciscendis, liceret ad certamen venire? Ille verò, cum hoc non licere, nec, nisi cum certo æternæ damnationis discrimine id fieri posse, respondisset: inqvit: Hoc jam constanter tenete, & auctore me, qvi, pro decore vestro & gloria, ultrò me sponsorem & prædam offero, illas de decore & gloria erroneas opiniones ex animis vestris in posterum delete. Videatur *Sleidan. lib. 6. de Statu religionis T. 1. p. 203. col. 1. & 2.* Utinam occasio & in Academiis amputaretur qvibusdam ex subselliis Scholasticis eò transilientibus, & ultra profectuum in studiis & moribus factum fundamentum, ac Nobilitatis splendorem sese, instar Dolabellæ, soceri Ciceronis, gladio alligantibus, ne injuria ventorum sævientium in mare devehantur, neu Anticyras abripiantur, gladii gestandi: qvâ parceretur juventutis sangvini, vix interdum, qvid differant qvadrata rotundis, agnoscentis. Nec Academiæ aliàs insontes, ob vilissimum commodum intus canentium malè audient apud exteros: & legere cogentur, qvæ de his fervidiore calamo notare non insulsè sustinuit *D. Coringu lib. 4. Polit. c. 8. n. 10. p. 309.* Ego admiror, inqvit, in qvibusdam Academiis studiosos armatos incedere,

con-

contendere, provocare, depugnare; noctu etiam armatos discurrere; qvod Nero & neqvissimi fecêre, obvios superbè appellare, invadere, ferire; qvod Urbanorum est latronum: adeò, ut licentia armorum infamia pericula latrociniaq; è sylvis lustrisq; in urbes & politissimorum hominum phrontisteria exciverit. Neq; enim ignoramus, urbes esse, in qvibus apertiùs justitiæ & sacræ Themidos alumni se mutuis vulneribus conficiant, & cives inqvilinosq; nefariè oppugnent. Qvales illos olim justitiæ interpretes, aut legum Præsides sperabit Respublica? qvi, veluti ad latrocinia instituerentur grassantur. Qvid igitur svades? Qvid enim? Princeps Martiis hisce pullis leges ponat militares; qvandoqvidem Academicam mansvetudinem feracula jactantia aversantur. &c. Nemo ferè est, qvi ad cædis mentionem non exhorrescat: & aversetur eum, à qvo illa perpetrata dicitur: infit *Muret. lib. 7. Var. Lect. c. 23. p. 181.* FACTA AUTEM JAM HOMICIDIA jactant nonnulli: vereorq; ne audiatur aliqvando publicè: PONE PRETIUM HUMANÆ CARNI: Homicida est, qvi oderit fratrem, verbis Spiritus Sancti *1. Joh. 3. v. 15.* & *Tertulliani* etiam *de Idolol. c. 2. p. 150. Salviani item lib. 3. de Gubernat. DEI. p. 74.* Homicida qvoq; qvi fratrem conviciis & maledictis, mendaciisq;, latrones exornantibus, qvæ proh dolor! his turbulentis temporibus, Pseudopoliticis & honestatis perduellibus decumana Sapientia creduntur, proscindit, *Cyprianus lib. 1. Epist. 3. p. 2.* Hæc tam deploratæ ne-

qvitiæ documenta, lancinantis insontium vitam famamq; gladio ultore profligenda foret: ut Ecclesiæ oppressæ & Reip. labenti incrementa sua redderentur, & pacis oliva perpetim inter fratres Christi efflorescerer, atq; concordia orbis universus se exoscularetur. Sed manum de tabula. ὁ γὰρ ἐξὸν σῶσαι, παρορῶν, τῆς ἀπωλείας δηλονότι αἴτιος: Qvicunq; potest servare: si negligens fuerit, interitûs est Caussa. *Isid. Pelus. lib. 3. Epist. 337. p. 338.*

QVÆSTIO CXXX.

Num Doctores sint præferendi Nobili genere? Dist.

AFfirmativæ favet **Lehm. in der Speyer. Chron.** *lib. 7. cap. 79. p. 863. col. 1. Lit. C D E.* Fundamentum suæ sententiæ struit exemplo SIGISMUNDI, Imperatoris, qvi, cum ipsi exploratum esset, naturam esse auctorem, ut indoctis præferantur docti, plurimos doctos magnificè extulit, nobilibusq; prætulit. Qvod idem fecisse traditur FERDINANDUS I. Rom. Imperator, teste *Melch. Junio Part. 2. Orat. p. 42.* **D. Liebenthal** *in Colleg. Polit. qvæst. 7. p. 345.* eandem defendere nititur principio: locum autem relinqvi virtuti argumentorum suorum, ad qvæstionem hanc statuminandam, videns nullum: prodit ad Negativam, præcipuum poscens subsidium à *l. Providendum 7. C. de Postulando.* Nam I. illa propriè loqvitur de Advocatis, nihilq;, in qvo acqviescat sensus ejusmodi, producit: ne per vocem qvidem: Vetustas. Nam qvic-

qvicqvid vetustum est, non statim est nobilitandum: imò & *Dominus D. Liebenthal in verbis l. quoq; errat.* Nec patrocinatur *l. Nobiliores. C. de Commerc. & Mercat.* qvæ mercimoniis perniciosis Urbi interdicit Nobilioribus, honestioribus, & ditioribus. *l. quoq; Nemini C. de Advoc. diverſ. judic.* nihil opis ad sententiam istam confirmandam adfert: cum Nobiles sileat, & cæteris supernumerariis tantum præferat Advocatorum filios, cum præsentium, tum futurorum. Ego, non corruptus malo illo virtutibus cognato & propinqvo, adulatione: *Maximus Homil. 2. de Jejun. Qvadrag. p. 190.* statuo, citra ullius præjudicium, splendoris item, & dignitatis dispendium, in id omni curæ incumbendum esse, ut, qvod Principi cuiq; in Nobilitate largienda curæ est atq; cordi, meritorum habeantur ratio: ita qvidem, ut nec Nobilitatis avitæ gloriæ qvicqvam detrahatur: nec doctrinæ, virtuti, prudentiæq; excellentiori convenientia ex æqvo adimantur. Sic illa ad altiora se non provehi haud indignabitur: nec hæc se perperam spretam opprimi qveretur.

QVÆSTIO CXXXI.

An divites, vitæ integri, Nobilioribus in Magistratibus sint præferendi?

Neg.

BOdinus *lib. 3. de Republ. c. 8. p. 477.* pro affirmanda qvæstione laborat, forsan minùs fausticer. Ab Ulpiano *l. Rescripto. 6. ff. de Numer. & honor.* præsidium qværit, qvod l. ista non constituet. Pleraq; enim in ea reperiuntur, qvibus dubitanti omnino satisfieri neqvit. Loqvitur l. de Decurionibus: & siqvis longiùs progrediatur:

diatur: legem asseqvi & sensum Grammaticum, à qvo deviandum esse sine urgente necessitate ad διάνοιαν non putant Sapientiæ & Æqvitatis antistites, tenere se non posse profitebitur. Ad hæc illis, non Nobilitati, si extrema paupertate adeo atterantur, ut victui cogendo non sint, dignitas illa negatur: & talis ipsis antefertur, qvi magistratu honestè defungi, & citra desiderium reqvisiti victus non debiti tantùm, sed & lautioris, qvi-verit. Accersit Bodinus deinde ad muniendam mentem suam animi exemplum Indorum, qvibus solemne sit, ad honores & imperia optimum ac locupletissimum qvemqve provehere. Optimum agrestis & fera si natio præferret; idq; perpetuo: culpam prementem non haberet comitem τἀγαθὸν ἐστι, ὃ πάντα ἐφίεται. i. e. Optima appetunt omnia. *Aristot. lib. 1. Eth. ad Nicom. c. 1.* Divitias qvi suspicit, qvi virtuti posthabet: non animadvertit opum naturam, virtutem æstimare nescit. Indi verò admirantur divitias, iisq; gravi fasces trandunt, homines ingenio, moribus, & cognitione rerum nec præditi, nec leviter qvidem tincti. Si enim id fiat propter divitias: vehementer errant. Sapiens enim non amat divitias: sed mavult. Non in animum illas, sed in domum, accipit. Nec respuit professas, sed continet: & majorem virtuti suæ materiam subministrari vult. *Sen. de vita beata. c. 21. p. 568.* Si bonæ menti tantum honorem impertiantur Indi: nullum discrimen in fundamento inter purum sceleris, & Nobilem est. Nam nobilitatis fomes est morum sanitas: Princeps dator. Qvid? qvòd nec divitiæ, nec vitæ inte-

integritas æqvant nobilitatem, qvam appello. Integer vitæ sæpenumero est, & divitiis circumfluit: qvem Princeps nec novit, nec præmio virtutis nobilitat. Raró etiam fit, ut mores incorrupti cum divitiis uniantur. Opes enim sunt, qvæ vitiant, qvæ effæminant: de qvarum capite semina multorum orta. *Lips. lib. 5. de Milit. Rom. dial. 16. p. 316.* Nobilitas, si vera, perpetuò excolit avitos titulos, partumq; generositatis decus: qvo qvid dignius Reip. moderatore & Principe? *Donatus in Com. in Terent. p. 137.*

QVÆSTIO CXXXII.

An Mercatura Nobilitatis officiat Splendori? D.

B*Odinus l. 3. de Rep. c. 8. p. 473.* lege Claudia tribunitia affirmativæ scutum parare molitur. Ea enim Senatoribus Romanis vetitum fuisse patet, neqvis maritimam navem, in qva plusqvàm CCC. amphorarum esset, haberet, ad fructus vectandos. Qvæstus omnis, inqvit Livius, Patribus indecorus est visus. Huic convenit l. Nobiliores. C. de Commerc. & Mercator. qvæ Nobiliores natalibus avocat à commerciorum exercitio, qvò facilior mercatoribus & plebejis negotiandi detur facultas. Præterea non abit & proxima l. 6. Neqvis. C. de Dignitatibus. qvæ dignitate conspicuos inde abstrahere satagit. Qvibus rationibus sententiæ Bodini sociat suam *D. [illegible] in Coll. Polit. Exercit. 10 th 35. p 335.* Ad Negativam propendet *D. [illegible] lib. 8. Polit. c. 10. p 567. col. 2 § 7. & p. 568. col. 1.* ubi perseqvitur, l. illam Claudiam tribunitiam ab Hortensio esse sublatam: & non

solùm

ſolùm civibus Romanis univerſis, ſed & Senatoribus, qvin & Patriciis Venetis, Hiſpanis, & Anglis licuiſſe mercari. *Svetonius* præterea autor eſt *in D. Claud. Cæſ. c. 18. p. 268.* Romæ annona graveſcente ob asſiduas ſterilitates, cum Imperator convitiis admodum infeſtaretur: curam Urbis annonæq; ſolicitisſimè egiſſe, nihilq; non excogitaſſe ad invehendos etiam in tempore hyberno, commeatus. Nam & negotiatoribus certa lucra propoſuit, ſuſcepto in ſe damno, ſi cui qvid per tempeſtates accidiſſet: & naves mercaturæ cauſſa fabricantibus magna commoda. Qvod imperatorium inſtitutum cum Nobilibus, annona flagellante rerum nervo ſpoliatis, ac plebejis ſuccurerit: & qvidem illis maximè: eò qvòd Nobiles duplex damnum impetiverit: alterum per ſterilitatem, alterum per pecuniam, ſperatam qvidem ex frumento, ſed annonæ gravitate perditam: procul dubio, ut damnum geminum levaretur, Nobilibus qvoq; mercaturam conceſſam fuiſſe præſumendum eſt. Perſas tandem Nobiles libertate ſua uti fruiq; in mercibus invehendis & evendis, credo *Botero* narranti *lib. 1. Coſmograph. Part. 2. p. 105. col. 1.* Accingo, his traditis, me ad argumenta examinanda. Pro Affirmativa excipio, poſterioribus legibus tolli priores: id qvod liqvidisſimè apparet ex *D.* Conſten *ſupra citato.* Concidit inſimul patrocinium illud ex *l. Nobiliores. 3. C. de Commerc. & Mercat.* petitum. Nam interdictum de commerciis, urbi noxiis, non officit Nobilitati: ſed ſervandæ urbis deſiderio ardens, ut averruncetur peſtile omne in negotiatione, lata eſt. Qvin *l. Neqvis 6. C. de Dignitat.* à dignitatibus arcet qvosdam vilibus commerciis addictos, turpi lucro paratis. Hinc autem inferri neqvit, Mercaturam officere Nobilitatis ſplen-

splendori. Mediam insistere se viam videri vult *Nobilissimus Dominus Sprengerus lib. 1. Instit. Juris publ. c. 8. p. 45. 46.* & de sordida & tenui mercatura affirmandam esse qvæstionem putat; de magnifica & lucrosa non item. Sed videtur esse Fallacia Accidentis & Ignoratio Elenchi. De mercatura ipsa, non de Adjunctis ejus, hîc sermo institutus est. *Dominus D.* **Liebenthal** *l. cit.* ad impulsivam mentis aciem dirigit, scilicet necessitatem: idq; confirmat exemplo M. Æmilii Scauri, cujus nobilitati nihil offecerit carbonariæ exercitium, eidem ad hoc paupertate adacto. Debile profectò firmamentum! Nam si mercatura non nocet Nobilitatis splendori, in qva qvispiam, paupertate pressus, est operatus: utiq; in mercaturam non est cudenda faba: culpam in causam derivari est. Qvid verò qvæstioni isti cum Scauri carbonaria? Aliis omnino remediis obsistere, iisq; honestioribus, lapsisqve rebus suis consulere potuisset; cùm innumeræ viæ pateant excutiendi magnum illud opprobrium: qvo nomine paupertatem describit *Horat. lib. 3. Carm. Oda 24. T. 1. p. 250.* qvæ

--- --- --- jubet

Qvidvis facere & pati,

Vide *Keckerm. lib. 1. Polit. c. 14. p. 243.* & *Besold. lib. 1. Polit. c. 11. p. 416.* Distingvo ego inter mercaturam, propriè sic dictam: & Venditionem eorum, qvæ possidet Nobilis, usus proprios excedentia. De illa pronuncio, eam non officere Nobilitatis splendori: nec enim eandem per se, nec in accidente memorato violat: etsi lubens concedo, avaritiæ genus esse, & pestilem πολυπραγμοσύνην, immiscere se rei, ad se non pertinenti. Ple-

bejis linqvenda sunt, illos qvæ à Nobilitate secernant, lucrum ponente in Splendore gratiæ Principis & tot concessis, iisq; illustribus, privilegiis, qvæ non permittent Nobilem circumspectum & gnavum mendicabulorum projectorum instar inhiare qværendis, qvæ ventri sunt satiando: eorumq; caussa, ut cum Adriano Imperatore, paucis mutatis, ex *Ælio Spartiano in Ipso. T. 2. Hist. August. p. 71.* loqvar

Ambulare per plateas,
Et volare per popinas,
Ac ibi pati cachinnos.

De qvæstu Dardanariorum, qvos perstringit *Wendel. lib. 2. Instit. Polit. c. 19. th. 4. p. 239.* & suæ pœnæ subdit **Lehm. in der Speyer. Chron.** *lib. 2. c. 39. p. 159. col. 1. & 2.* Omnibus exosorum, non attinet h. l. scribi. Impropriè sic dictam mercaturam, venditionemq; proventus cujusq; Nobilis, per instrumenta idonea, si objecta, non adeo digna gravissimis Nobilium personis, incitaverint, ignominiosam qvispiam esse si crediderit, illum sapientiæ humanæ culmen Icari instar transvolasse pronuncio.

QVÆSTIO CXXXIII.

An Nobiles degenerent? Dist.

AFfirmativæ suppetias it *Aristot. lib. 2. Rhet. c. 15. T. 2. p. 675. Lit. B.* γενναῖον ἡ καὶ τὸ μὴ ἐξίςασθαι ἐκ τῆς φύσεως ὅπερ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ȣ̓ συμβαίνει τοῖς εὐγένεσιν· ἀλλ᾽ εἰσιν οἱ πολλοὶ εὐτελεῖς, i. e. Generosum voco, secundùm qvod non deficit à natura Siqvidem plerunq; non accidit Nobilibus: sed multi sunt abjecti. Comprobat Philosophi assertionem. *M. Velstein. Decade XII. Quæst. Eth.*

Eth. Quæst. 10. p. 247. non modò trito Proverbio illo: ἡρώων τέκνα πήματα. Heroum filii noxæ: sed & exemplis (qvæ tamen hoc vitii & delirationis nomen pessimum Nobilitati, propriè sic dictæ, non transscribunt) & multis argumentis, cum à natura, tum moribus, translatis: qvæ omnia ponderare in præsentia, & examinare, mei non est instituti. Videatur *Vossius lib. 2. Instit. Orat. c. 14 p 514. 515.* item Physicorum Ethicorumq; chorus spectatissimus, & celeberrimus. Negativam sectatus Philosophus Stagirensis, excellentior Præceptore suo Platone: imò,

Qvo minor est, qvisqvis maximus est hominum: *Lipsio teste in præf. ad Lect. præmissa libr. Polit. p. 7.* Locus extat, *lib. 3. Polit. c. 13. T. 2. p. 445. Lit. F.* ubi ita: ἔτι διότι βελτίους εἰκὸς τοὺς ἐκ βελτιόνων· εὐγένεια γάρ ἐστιν ἀρετὴ γένους. Jam ergo optimis effigies seu conformitas ab optimis. Nobilitas enim est virtus generis. Ad solvendum tandem hanc Qvæstionem, ajo, non paucos Nobilium à Majorum, & parentum, virtute desciscere. Idq; edocet qvemq; experientia. Verùm num propriè dici posſit, Nobiles degenerare, qvi à virtute Parentum aberrent: illud est præprimis in Qvæstione & dubium. Genus qvemq; Nobilem ducere à Parentibus pueris est notissimum: nec ullum, nisi monstrum fuerit enorme, ab illo delabi, vero est consentaneum. A virtute autem deviare, ex mente & Definitione Aristotelis, non est declinare à genere: sed ab Accidente Generis, habitu acqvisito. Natura enim primordia & dispositionem habitui producit: licèt non in omnibus: & hæc dispositio dici potest, non habitus naturalis, sed proclivitas ad habitum, exercitatione & actione crebra parandum, &

qvasi qvædam ejusdem κακαγγαφία. Hanc qvasi ex tabulis mentis deradere: num dici possit degenerare: prudentioribus dijudicandum relinqvo. Meam sententiam si mihi aperiendi detur copia: Imitationem parentium virtutis, à filiis non posthabitam tantùm, sed & proculcatam prorsus, declinationem dicendam esse nullus dubito: & hanc nonnullis amabilem; qvibusdam exosam esse Nobilibus, res ipsa mihi videtur inculcare. Nec hac opinione fore, ut ullum Natalium suorum gloria illustrem Nobilem offendam, arbitror.

QVÆSTIO CXXXIV.

Num Nobilium peccata contumeliam inurant? Aff.

QVam amplectitur *Generosus & Clarissimus JCtus, Dominus Dionys. Godofred. in Disput. de Nobilit. c. 3. th 118.* inqviens: In foro conscientiæ Nobilium peccata, qvia plerumq; in exemplum trahi solent, semper graviora sunt, qvàm ignobilium. *Lactantius lib. 7. Divin. Institut. c. 7.* de suo hæc addit: Qvisqvis rationem hominis abjecerit: ac præsentia secutus, in humum se ipse prostraverit: tanqvam desertor & Imperatoris & patris sui punietur. Nec *Barthius* secedit ab ista, hac brevitate utens in *Pornobosc. od. p. 195.* Eò majus peccatum est: qvò major delinqventis est existimatio: eò qvòd præcipuè eorum exemplis offenditur Respublica: ut videantur eam contemnere, aut ipsam sibi similem putare. *Card. de Arcan. Prud. Civil. c. 27. p. 84.* Ideo de ignavis & vitiosis Nobilibus dicit *Lips. lib. 1. Var. Lect. c. 8. p. 26.* statuis eos, in qvorum dissoluta vita nullæ

vires

vires aut nervi insint, similes; in qvibus, præter formam, & magnificum nomen, nihil inveniatur. Confirmat id Daniæ Nobilitas, qvamvis in tam illustri ordine tantum facinus nemo bonus ne cogitatione qvidem sibi depingat, plus satis. Ipsa enim, proh conclamatam fidem & conscientiam! fœdus sua pro libertate (dicendum mihi erat licentia, impio conatu in caput tam sanctum, grassante) cum SIGISMUNDO, Rege Poloniæ, ac civitate Lubeca, adversus ipsum Daniæ Regem percussit: qvod crimen læsæ Majestatis gravissimum esse pronunciat *Bodinus lib. 1. de Rep. c. 8. p. 123.*

QVÆSTIO CXXXV.

Num Nobiles ad Judicem citari qveant? Dist.

N*obilissimus atq; Excellentissimus Dominus Spreng. lib. 1. Instit. Juris Publ. c. 8. p. 43.* mordicus tenet, nullum nobilem neq; ad testimonium dicendum, neq; juris jurandi caussa præstandi ad tribunal posse vocari: sed, si ea de re usus eô sit in tribunali, judicis esse, mitti ad domum vel arcem Nobilis Notarium qvendam, qvi nobilem istum examinet. Basin sententiæ suæ locat in *l. ad personas egregias. 15. ff. de jurejurando.* Assensum cum exceptione qvadam, præbet Lehm. in der Speyr. Chron. *l. 2. c. 19. p. 94 c. ½. Lit. D.* Nobilitati, inqviens, id immunitatis tributum est, ut qvotannis solis tribus judiciis publicis interesse obligentur, nisi contra se invicem ut Actores & Rei litigaverint, & ad testimonium dicendum vocati fuerint. Tandem *Recessus imperii Parte 2. Imperatoriarum Cameræ constitutionum p. 458. §.* wie und vor welchem. sanxerunt,

runt, ut Nobilis qvisqve Imperii immediatus ab Electoribus Serenissimis, Principibus, & principi geminis ad medium aliqvem arbitrum, à celsitudine illius haud alienum, provocet: hac videlicet lege, ut locus ille, qvò citatur Nobilis ille à Principe, duodecimum ultra lapidem ne distet. Ad singula jam est respondendum. De primo: lex citata de jurejurando egregias personas exprimit: qvas Dionys. Godofr. in marg. Græca voce ἐνδόξους appellat: qvæ alias celebres signat: (*Vide D.* Conzen *lib. 8. Polit. c. 20. p. 606. col. 1. de Latina Donat. in Com. in Terent. p. 15.* & *Varronem lib. 1. de Rust. c. 15. p. 24.*) perperam proinde ad Nobiles accommodatur. Præterea indefinitè proferuntur ultima l. verba, & citra piaculum & mutationem sensûs de qvopiam alio ministro publico, vel etiam judice ipso, Senatore, vel Scabino possunt intelligi. Testimonium qvod attinet: largitur Lehmann ad dicendum illud Nobiles vocatos esse, sed, qvantum conjectura asseqvi valeo, qvoties libitum fuerit Judici. Ipse Lehmann perspicuè docet, nobiles obligatos fuisse ad sistendum se ter Prætori Provinciæ qvotannis. De immediatis Nobilibus idem ex Recessibus constat: qvanqvam id qvidem cum discrimine: forsan auctoritatis Nobilium magis tuendæ gratia. Qvin in Cameris ELECTORUM & PRINCIPUM qvisq; Nobilis se ad citationem Principum vel Magnificorum Dominorum Consiliariorum repræsentare compellitur, & æqvitatis, & legum, & Consvetudinum instinctu. Hoc ergo circulo hæc se expeditam dat qvæstio, à Principe suo, Suo inqvam, citandos esse ad tribunal, qvoties res & justitia, non neglectim habeu-

habenda, poscit, & plebejos & Nobiles: reosq; esse detestandæ contumaciæ, in foro divino & humano luendæ, qvicunq; authoritatem tantam defugerint. Prærogativam nihilominus Nobilitati largiuntur jura civilia: qvæ rationem habentia Personarum, legum fundamentalium, locorumq; moderantur ita negotium & actionem, ut semper exsplendescat, qvæ primatum legit inter præcepta juris, VITA HONESTA.

QVÆSTIO CXXXVI.

An Nobilis ob delicta strictè in carcerem detrudendus, an arrestandus sit? Dist.

PRiore in qvæstionis enunciatione neganda dum operam locat suam *Vernul. lib. 2. Instit. Polit. Tit. 9. c. 5. p. 211. col. 2.* posteriorem tacitus solidat per *l. Nullus in 2. C. De Exhibendis & Transmittendis reis:* qva cautum est à tribus Imperatoribus, ut nullus, nisi convictus, in carcerem conjiciatur. Mentem suam menti jungit Vernulæi, *Dominus Spreng. l. 1. Institut. Jur. Publ. c. 8. p. 43.* Affirmativæ adminiculatur ipsa experientia. Edocet me *Cluver. lib. 3. Introduct. in univers. Geograph. c. 29. p. 297.* qvi ibidem ait: Superbiæ Campanorum haud postremum exemplum refert *Valer. Max. lib. 9. c. 1.* Cum bello Punico II. ad Hannibalem descivisset Capua: & postea à Romanis acerrima obsidione expugnaretur: Octoginta Principes Senatus interfecti sunt: trecenti Nobiles in carcerem conditi: ac multitudo civium venundata: at propter fertilitatem Urbs servata, ut esset aratorum sedes. Vincula qvoq; TIBERIUS Imperator in Senatu Pompejo, cuidam eqviti Romano, qviddam per-

perneganti, minatus eſt, affirmans, fore, ut ex Pompejo Pompejanus fieret: acerba cavillatione ſimul hominis nomen inceſſens, veteremq; partium fortunam. *Svet. in Tiber. Cæſ. c. 57. p. 88.* Id Confirmat *Id. in D. Veſpaſ. Aug. c. 5. p. 389.* referens, unum ex Nobilibus, Joſephum, cum conjiceretur, juſſu Imperatoris, in carcerem, conſtantiſſime aſſeveraviſſe, fore, ut ab eodem brevi ſolveretur: verùm jam Imperatore. *Thuanus lib. 89. p. 252. Lit. B C.* qvoq; idem ſentiens, indicare, ſuſtinuit, Petrum Valdeſium, Præfectum navis majoris Hiſpalenſis, cum qvinqvaginta Nobilibus, à Draco in mari captum, in cuſtodiam in Angliam miſſum eſſe, acceptis in navi à Draco 50000, aureorum. Qvæ triplex aſſertio fundamentum gentium jure habere videtur: & qvidem ratione belli: aliàs enim ad jus gentium hæc aſſertio non pertineret, Diſtingvendo qvidam ſe hanc Qvæſtionem ſoluturos eſſe perſvaſum habent. *Germaniæ Dorothæus Dominus Dionyſ. Godofredus in diſput. de Nobilitate. cap. 3. th. 114.* ſtatuit, Nobiles, confeſſos nondum, nec convictos, incarcerari non deberi, honeſtè in palatio detineri, niſi ſemel aufugerint: & ſi qvando ex vinculis cauſſam dicere cogantur, non adeò ſtrictè conſtringendos eſſe: per *l. Accuſationis ultimam C. de Accuſat. & Inſcript.* qva l. præciſe dignitatis æſtimatio indicatur, non nobilitas. Accedit & *l. ſiqvis filio 6. §. Ejus qvi 7. ff. de injuſto, rapto &c.* qvæ de ſervo, in carcerẽ cuſtodiæ diligentioris cauſſa dato, loqvitur: & ſimul Nobilem in carcerem mittendum ſolvit ejusmodi cuſtodia & carcere. *Cromerus lib. 10. Rerum geſtarum Polonicarum p. 298. col. 1.* ad affirmativam ſub diſtinctione magis propendet, nolens eqveſtrem hominem indicta cauſſa prehendi, aut ſupplicio affici, excepta cauſſa furti, in-

cendii,

cendii homicidii voluntarii, ſtupri virginum, & matronarum, latrocinii, & iis, qvi vadimonium promittere nollent, aut non poſſent. Accuratius diſtingvit *Nobiliſſimus ac Excellentiſſimus Dominus D.* Stryk / *Anteceſſor in illuſtriſſima Academia Marchica ſolertiſſimus, indeq́; orbi literato celeberrimus, in diſput. de carcere ad cuſtodiam conſtituto c.2.n.13.* inter delictum minus, utpote in cauſſa debiti: & inter atrocius: ob illud non eſſe Nobilem in carcerem mittendum: ob hoc maximè, cenſet, ſi nimirum de eo planè convictus fuerit. Carceri verò vulgari, ubi omnes delinqventes detinentur, in Criminalibus etiam eum includendum non putat, ſed peculiari loco cuſtodiendum. *Laudatus jam Anteceſſor Ampliſſimus & Clariſſimus l.cit.n.4.& 5.* æqvum cenſet, fœminam Nobilem, in non adeo atroci crimine, à Judice ad ſe cum dedecore adductam, hodie non ſtatim in carcerem detrudendam, ſed ſub idonea fidejusſione domi detinendam eſſe; in cujus ſententia animum meum defigo.

QVÆSTIO CXXXVII.

An Nobilis Qvæſtioni ſeu torturæ ſubjici debeat? Neg.

VEſtigia ſeqvor religioſè Maximorum hujus ætatis JCtorum, & inter eos præcipua ſubmisſione *Magnifici ac Excellentiſſimi JCti, Domini D. Brunnemanni*, cum in Politica, ſua ipſius manuſcripta, qvi *l. omnes judices 33. C. de Decurionibus* perſpicuè, qvod demonſtrandum, tam voce Senatorem: qvàm ſævisſima pæna, temerario Judici ob hanc culpam infligenda, evincit: tum qvoq; in Proceſſu inqviſitionis *c. 8. Membro 5. n. 9.*

Dominus Schönb. lib. 2. Polit. c. 39. p. 247. laudati JCrisſimi Viri mentem non improbat, qvin potiùs amplectitur, per varias ibi citatas ll. cumprimis *l. Divo Marco, 11. C. de Qvæſtionibus:* in qva obſervatione dignus eſt verſus: Si tamen. His & *Vernulæus accedit lib. 2. Inſtit. Polit. Tit. 9. c. 5. p. 211. col. 2. eadem l. ut & l. Decuriones. 16. C. de Qvæſtion.* Illa qvidem l. cum Eminentisſimis, qva voce eos ſignari non dubito, qvi à Principe Summo ad ſummos in aula & terra ſua honores ſunt evecti: & perſectisſimis, qva appellatione exprimi autumo Politicos, urbibus moderandis præfectos, & Philoſophos: & decuriones: ſi ſcilicet eos nulla violati pudoris macula adſperſerit: *interpretatione l. 3. C. de Veteranis*, qvæ aliqvid honeſti peragere ceſſantibus exuit partis l. privilegiis. Hæc verò ita vetat, ut judici, temerè hæc negligenti, pœnam capitis imponi jubeat: ſimulq; adjungit, qvos maneat tam ſæva pœna. *D. Liebenthal Exercit. 10. th. 15. p. 255. ut & Spreng. lib. 1. Inſtit. Juris Publ. c. 8. p. 43. l. Nullus 4. C. ad l. Jul. Majeſtat.* qvæſtionis Negationem fulciunt, & qvidem tam fortiter, ut nulli ullum ideo dubium oriri qveat. *Laudatus Dominus Liebenthal addit cit. l. porrò l. ſeveram. 10. C. de Dignitat.* & ea ſubmovet cruciatus dictos à Clarisſimis: verùm hæc non nuncupat Nobiles, ſed eos, qvos *l. Senator. 11. C. h. t.* nominat. Præterea ignorare me non ſivit *Subtilisſimus Cardanus de Arcan. Prud. Civil. c. 112. p. 520.* axioma: **Neganti nulla poſſunt absq; comprobatione adhiberi tormenta.** Nec hic adverti qvicqvam iniqvitatis judico. Nam ſi negaverit facinus, qvem opinio facinoroſum tua eſſe ſibi perſvadet: nondum convictus eſt. Qvo jure ergo pœnam impoſueris citra delictum?

Satius

Satius est, dimittere vel sontem, qvàm ob solam suspicionem, insontem, cruciatibus, ipsa pœna capitis sævioribus, divexare & dilaniare: atrociores multò futuros, si addixeris libertati, si Nobilitati. Flagellum detestabatur citra caussæ cognitionem, præprimis verò in homine libero & cive Romano, generosus ille dux CHRISTI militiæ. *Isid. Pelus. lib. 4. Epist. 104. p. 51. Paulus Act. 22. v. 25.* Tu Nobili Viro minaris, intentas, applicas tot eqvuleorum apparatum. Scilicet Veritatem es indagaturus: cui extorqvendæ Phalaridem agis. Imò parce, dum veritas pateat: nec amplius poteris tyrannidis & iniqvitatis argui. Inqvisiturum te ideo in veritatem ais, ne porrò peccetur. Qvid verò ob ideam aliqvam, ut sic dicam, Platonicam & conceptum mentis tuæ forsan peccaturum punis? qvem peccantem nec dum offendisti. Temet ipsum qvoq; peccaturum eodem cruciatu dignum pronunciabis. Videatur *Zepperus lib. 5. de Il. Mosaic. c. 10. p. 272.*

QVÆSTIO CXXXVIII.

An Nobilis à furcæ supplicio sit liber? Aff.

CUm præcedente Qvæstione nec Nobilem, nec hominum ullum tam fœdis, & à pectore Christiano, cui CHRISTUS in toto Novo fœdere, rerum potito, tantam sævitiam nusqvam injunxit, prorsus abominandis tormentis subjiciendum esse probaverim: religio, me Christe! injungit, ut Nobilem virum tanto hoc solvam supplicio. Exsecratio est, qvisqvis è ligno pendet: non hominis, cui auscultandum foret, sed ipsius DEI, vox deprehenditur. *Deut. 21. v. 22. 23.* Cogita, homo,

vermis & umbra, qvò insolentiæ procedas, qvi maledictum esse judices, qvem CHRISTUS pretiosissimo suo sangvine, etiam ob hoc peccatum damnandum, à maledicto liberavit. Qvid futurum putas de Nobili homine, libero à maledicto illo, gemina lege, divina nimirum, & humana: ad qvam cum JCtissimis Viris descende. *D. Liebenthal in Col. Polit. Exercit. 10. th. 15. p. 330.* rectè aperit, expediens Nobilem qvemq; (culpandus ideo, qvòd non omnem hominem) à tam detestando supplicio, proportionem inter delictum & pœnam non reperiente. Ast hallucinatur in Defensione, clypeumq; justum non contrectavit. *l. laudat Capitalium. 28. §. Non omnes 2. ff. de pœnis.* Qvo in titulo l. qvidem illa 28 agit de capitalibus pœnis, easq; nominatim perseqvitur: & inibi mentionem non facit furcæ, vel suspendii citra mentionem Nobilitatis. Adhæc §. Non omnes non ferit Qvæstionem. Fustibus eximit liberos honestiores & ditiores, eos premi iisdem passus, qvi sunt homines liberi tenuiores. *Nec favet l. Moris 9. §. Ista ferè ff. de pœnis.* Qvia agit de decurionibus, qvos nobiles non esse Politicos constat. Vide *Nobilissimum atq; Excellentissimum Dominum D. Struven Promotorem venerandum in Disput. de Carcere ad custodiam constituto. c. 2. n. 13. Limnæum lib. 6. de Jure Publ. c. 4. §. 65. Vernul. lib. 2. Instit. Polit. Tit. 9. c. 5. p. 211. col. 1. & 2. Schönb. lib. 3. Polit c. 39. p. 348. Nobilissimus at Clarissimus Dominus Wendelinus lib. 2. Instit. Polit. c. 13. th. 9. p. 138.* ita depictam dat suspensionem de patibulo. In Germania modò hoc supplicium supra modum triste & ignominiosum est. Qvia cadavera non demittuntur è patibulis, sed corvis dilanianda permittuntur. Unde ossa sæpius in plures annos de infami trabe pendent. Mitius in Anglia

&

& Gallia (item in castris militaribus) supplicium hoc est, ubi post occasum Solis demittuntur cadavera, & terræ mandantur. Certè furti pœna atrox est suspendium, plurimis improbata JCtis & Theologis: qvia inter culpam & pœnam nulla est proportio. Vide *Matth. Stephani de Jurisdict. l. 1. c. 8. n. 51. &c.* Johannes Corasius ait: Suspendium inter omnium pœnarum genera, qvæ à Veteribus excogitata sunt, esse ignominiosissimum, fœdissimum, turpissimum, & maximè infame. Et *l. Capitalium 28. in pr. ff. de pœnis* damnationem ad furcam capitalem vocat pœnam. Hujus primum auctorem denominat *Kekkermann. lib. 3. Syst. Log. c. 4. p. 574.* In ligno qvidem suspendendos esse nonnullos, lex lata de ritu ejus *Deut. 21. v. 22. & 23.* indicat. Hamanum qvoq; cum decem filiis in patibulo ob crimen læsæ Majestatis suspensos esse, indicat *Esther. c. 7. v. 8. 9. 10. & c. 9. v. 13.* Et perduelles publicos ei affigi curavit Josua: id qvod patet ex *c. 8. Josua v. 29.* ex facto Regis Hai. Qvin & contumacem filium in crucem agendum esse *Joseph. lib. 4. Antiq. Rom. c. 8. p. 41. col. 1.* refert. Ast fures eò rapi, & inibi, qvoad corpora ipsorum in cineres redacta fuerint, detinendos esse, nec lex jubet ulla divina, nec ratio, ei contraria, sine piaculo svadere potest. Vide *Nobilissimum atq; Amplissimum Dominum D. Frantzium de Interpret. Script. p. 507. &c.* Id qvod majore pondere de Nobilibus statuere possum. Et qvanqvam *D. Christ. Matth. in Theat. Hist. p. 199. col. 1.* referat, Babylone M. M. M. Procerum à Dario Hystaspe suspendio adjudicata esse: qva de re silet *Just. lib. 1. c. 10. p. 15. 16. 17.*

tamen exemplum non probat, qvod lex & consvetudo vetat.

QVÆSTIO CXXXIX.

Num Nobilis satisdare teneatur? Neg.

D*ominus Schönbörn. lib. 3. Polit. c. 39. p. 348.* Qvæstionem propositam negat: eamq; cum solidat, tum limitat. Firmamentum ei qværit à *l. qvoties. 17. C. de Digni.* At qvid legi cum Nobilibus? Solutos satisdatione illustres lego viros: illos verbotim non item. Nec enim seqvitur: Nullus illustris vir ulla dandæ fidejussionis concussione vexandus est. Ergo nec Nobilis. Totus etiam titulus C. de Satisdando ne unico apice innuit Nobiles; nec *l. Siqvando. 6 §. Admonendi 1. ff. ut Legatorum.* At verò *§. 2. Instit. de Satisdationibus.* in ὑποδόσει ad Nobilem pertinere puto; qvia hæc ipsa in primo colo est universalis tota: & idem §. in f. respiciendum esse ad Qvalitatem personæ svadet. Limitatio, exprimitur verbis: Si possideat immobilia: qvam limitationem in laudatis titulis & ll. inveni: sed eandem repugnare *§. 2. Instit. h. t.* docet *Dn. Arnold. Vinnius JCtus in Comm. in Instit. Imperial. pag. 689.* Huic 2. §. derogat: inqvit, Jus Saxonicum. Nam illud Actorem, si non est immobilium possessor, ad satisdationem adstringit: Der Kläger muß dem Beklagten einen Vorstand vor die Expens und zur Wiederklage bestellen. Landr. P. O. *Tit. 13. Constit. Elect. Aug. p. 1. c. 5.* ibiq; Carpzov. Si autem fidejussoribus destituatur: tunc ad juratoriam cautionem admittitur. *d. Tit. 13.* P. und G. Ord. *§.* So aber Kläger Armuths halben *&c.* Præter satisdationem Actor qvoq; ad actualem Gvarandæ præstationem

nem tenetur. Vide *Tit.* N. P. und G. Ord. *D. Carpz. P. Jud. Tit. 9. Art. 4. Berlich. cap. 1. pag. 19.* Verùm puto, tutiorem esse cautionem illam, qvam qvis præstat possessione lautioris patrimonii, eâ, qvam immobilibus dat, qvæ minoris æstimatur. Qvin & Juratoria eò tendit. Sed hæc ad Qvæstionem hanc non pertinent. Negatur attamen qvæstio commodè de litis æstimatione *§. 2. Instit. h. t. in pr.* & per verba. Pro Qvalitate personæ: in f. §. cit. Vide *Vernul. lib. 2. Pocit. Tit. 9. cap. 5. pag. 211. col. 1. & Perez. in Erotemat. in Instit. Imperial. pag. 480. &c.*

QVÆSTIO CXL.

An Nobilis mitiùs sit puniendus? Dist.

SI ulla Qvæstio difficultate sui hactenus laboravit, crucemq; mihi fixisse visa est: hæc certè inter omnes ancipites dubiam facit solutionem. Alii enim Auctores ad negativam, alii ad Affirmativam proclives sunt: alii nodosa omnia in ipsa distinctionibus tollere moliuntur: qvi & ipsi inter se belligerare videntur. Mitius omninò puniendi sunt Nobiles plebejis 1. in Sacrilegio. *Ulpianus* author est *l. sacrilegii 6. ff. ad l. Jul.* peculatus. Nam generaliter eximit personæ Qvalitatem. At in sacrilegio nocturno, si modicum auferatur, honestiore loco natis, deportatio in Insulam adjudicatur. 2. In direptione eorum, qvæ in naufragio perdita, ad terram appulsa sunt. Ulpianus enim *l. Pedius. 4. §. Div. Anton. 1. ff. de incendio & ruina &c.* si præda, vi ablata, fuerit gravior: liberos fustibus cæsos, in triennium relegandos esse: si exigua

pecu-

pecunia, fustibus cædendos esse injungit: Servos verò, in illa, flagellis cœsos, in metallam damnandos: in hac flagellis cœsos dimittendos esse mandat. Marcianus verò *l. De vi. §. Sed & 2. ff. ad l. Jul. de Sicar. & Venef.* extra ordinem ejusmodi Prædatores citra discrimen, Divi Pii constitutione, puniendos esse præcepit. 3. In Incendio voluntario. Nam plebeji bestiis objiciendi: Nobiles vel capite puniendi, vel in Insulam deportandi. 4. In sepulchro violato. Id enim siqvis læserit, corpore extracto, vel ossibus erutis, summo fortunæ tenuioris supplicio adfici: Nobilis verò in insulam deportari debet. Si verò sepulchrum læsionem passum fuerit: utrinq; vel relegantur, vel in Insulā deportantur: *Paulo JCto* inculcante *l. Rei sepulchrorum 12. ff. de Sepulchro violato.* 5. In abigeatu. *Ulpianus* qvippe *l. De abigeis 1. §. Qvanqvam 3. ff. de abigeis*, Hadrianum qvidem Imperatorem plebeis in hoc scelere metalli pœnam, item operis. vel etiam gladii præstituisse refert: Nobiles ab hac pœna solvit: addicit verò eos relegationi; aut ordine movendos esse sancit. Qvi autem cum gladio seu vi armata pecudes abigunt: non iniqvè & bestiis objiciendos ducit. 6. In expilatione. Nam *Ulpianus l. Dehis. 1. §. Expilatores. 1. ff. de Effractor. & Expilator.* hos, sed plebejos, in opus publicum, vel perpetuum, vel temporarium, dari solitos ait: Nobiles verò ordine ad tempus moveri, vel fines patriæ juberi excedere: utpote qvibus nulla specialis pœna Rescriptis Principalibus imposita sit: idcirco liberum futurum esse statuendi arbitrium cognituro. 7. In Stellionatu. Namq; ipse *Ulpianus l. Stellionatus 3. §. Pœna.*

Pœna 5. ff. de Stellionatu irrogat eidem in plebejis pœnam extraordinariam, excepto opere metalli, qvod egredi non debet. Nobilibus verò (si hi formula: in honore positi: signandi fuerint) relegationem & motionem ab ordine temporarias imponendam injunxit. Qvoad Negativam audiendus omninò est, *Magnificus Dominus D. Brunnemannus in Politica sua ipsius manu scripta,* qvi in atrocioribus delictis pœnam Nobilibus atrociorem imponendam esse statuit: Nobilis, inqvit, graviùs puniendus, qvàm plebejus, si adversus Principem rebellionis convictus teneatur. Nam qvò major est ejus in Principem obligatio: eò gravior etiam debet esse pœna. Approbat hunc sensum *Boterus lib. 1. Cosmograph. Parte 1. p. 66. col. 2.* inqviens: Septentrionem versus sita est urbs Gotha, ubi olim celeberrimum illud munimentum, cui nomen fuit Grimmenstain/ exstructum erat. Qvæ Urbs, qvia Dux FRIDERICUS II. nonnullos Proscriptos, scilicet Gvilielmum de Grumberg/ Gvilielmum de Stain/ & qvendam Nobilem de Anderslebe in hoc monumentum hospitio exceptum tuitus erat, jussu Imperatoris MAXIMILIANI, Duce belli Summo, AUGUSTO, ELECTORE SAXONIÆ obsidione cincta, capta, solo æqvata, & proscripti illi capti & interfecti sunt. Dictus verò Dux etiam captus Viennam deductus est: ubi ad vitæ finem usq; detinebatur. *Vide Calvis. in opere Chronol. p. 246. col. 2. §. Cum Roma.* Qvæ autem *D.* Liebenthal *in Coll Polit. Exercit. 10. Qvæst. 12. p. 273.* pro negativa obtinenda, & augenda Nobilibus pœna citat: ea, perlecta, & per singulas leges præcipua industria examinata, mihi non videntur

esse probandis iis, qvæ Excellentissimus Vir sibi probanda esse pollicitus est. Unum adhuc memorandum addam qvod Lehm. in der Speyer. Chron. *lib. 7. c. 50. p. 806. col. 1. Lit. E. & col. 2. Lit. A & B.* refert, scilicet, Robertum de Rohrbach Spiræ Anno 1360. combustum esse, ob qvinq; Christianam religionem obpugnantia capita, qvæ professus est & tuitus. Talem sævitiam & tyrannidem ob errorem mentis nemo sanæ mentis approbaverit. Videatur *Dominus Schönbörn. lib. 2. Polit. c. 39. p. 347. D. Kirch. Vol. 1. Orat. 2. p. 26. &c. Camerar. Cent. 1. Horat. Subcis. c. 86 p. 399. 400. Besold. lib. 2. Polit. c. 2. p. 607. 608 D. Polantus lib. 1. Qvæst. in Cod. Qvæst. 5. p. 5. & 6. Spreng. lib. 1. Instit. Juris publ. c. 8. p. 43.* Reinking. *de Regim. Secul. & Ecclesiast. lib. 2. Clas. 1. c. 8. p. 852. §. 31. 32.*

QVÆSTIO CXLI.

An Nobilis per Procuratorem in Criminalibus comparere possit? Neg.

N*obilissimus ac Amplissimus Dominus Sprengerus. lib. 15. Instit. Juris Publ. c. 43. p. 43.* defendere Qvæstionem molitur *per l. ult C. De injuriis.* Ubi imperator Zeno sanxit, licere Unicuiq; Illustri, tam reo, qvàm accusatori: uxori item, literisq; masculini sexus, & filiæ illustris superstitis: caussam injuriarum, in qvocunq; judicio competente, per Procuratorem criminaliter suscipere, vel movere: ita tamen, ut nullus alius idem sibi audeat vindicare, vel à Numine Imperatorio postulare, sed in cæteris morem judiciorum, qvi antè obtinuerit, in posterum servandum esse intactum. Ad qvam legem notandum puto, mentione

Viri

Viri illustris non statim necessario exprimi nobiles, sed dignitatem, eamq; Principalem. Deinde ad militantes illustres, tanqvam subjectum Denominationis, sive sine cingulo constitutos, lex limitatur. Cingulo autem usi sunt Romani Senatores, qvi Nobiles fuerunt, teste *Lipf. lib. 2. Elect. cap. 19 p. 506.* Qvin & glossa Godofredi idem privilegium Episcopis & Presbyteris tribuit: *Novel. Valentin. de Episc. Jud.* qvi non fuerunt Nobiles. Præterea Qvæstio agit de Objecto Universali in Criminalibus. Lex ista determinatur ad injuriarum actionem. Tandem voces: In cæteris: ambiguæ sunt. Possunt enim intelligi vel de Subjectis, vel de Objectis. Si de illis qvispiam intelligendas esse contenderit: nanciscor sententiæ fundamentum & rationem. Si de his: legem habeo faventem. Videatur *Dominus Schönbörn. lib. 3. Polit. c. 39. p. 348.* qvi Qvæstionem eadem lege fundat: ut & *D.* Liebenthal *in Coll Polit. Exercit. 10 th. 15. p. 33.* Qvibus passim reclamat experientia.

QVÆSTIO CXLII.

An Nobiles ærumnis sint obnoxii? Aff.

Qvæstio hæc ut neminem ancipitem habere, ulliusve scrupulum animo injicere potest: Nihil enim tam dirum ac terribile est, neq; morbus, neq; à DEO invecta calamitas: cujus gravitati hominum natio ac conditio exposita non sit: *Muret. lib. 8. Var. Lect. c. 16. p. 108.* At, qvos DEUS probat, qvos amat: indurat, recognoscit, exer-

cet: eos autem, qvibus indulgere videtur, qvibus parcit, mollis venturis malis servat: *Sen. de Provident. c. 4. p. 379.* ita qvidem, ut, qvò qvis sanctior, hoc plerunq; afflictior sit: *Drexel. in Heliotrop. lib. 3. c. 6. p. 288.* nec miserior ullus est eo, qvi propriam miseriam non novit. *Id. in Gymnas. Patient. Parte 3. c. 6. p. 567.* verùm

Juncta fluenta gelu, conspecto Sole, liqvescunt:
Et rursus liqvidæ Sole gelantur aqvæ.
O qvàm sæpe malis generatur origo bonorum!
Tempestas dulcem fecit amara moram.

ita de exitu ærumnarum canit, *Rutilius lib. 1. Itinerar. p. 22.* cui suffragatur *Basilius M. Orat. 12. p. 324.* Qvi in ærumnis animo non cadit: sed ob spem, qvam positam habet in DEO, vim mœroris sustinet: is profectò à DEO tolerantiæ suæ mercedem recipiet: Eodem se habent modo res calamitatum in Nobili. Nam fieri neqvit, ut, dum Nobilis humani nihil à se alienum reri possit, is idem commune jugum, communemqve calamitatem, in qva tamen qvisq; suam habet fortunam, non tantum *Curtio lib. 6. p. 122.* sed & experientia teste, qvà se nunqvam exuere poterit, ferre non cogatur. Exuere se, sed frustra, tentabant Nobiles qvondam duo. Insimulabuntur iidem à FERDINANDO IV. Rege Hispaniarum perduellionis: cujus eos, strenuè negantes, convincere nemo poterat. Illo verò, in ipsos ira incenso, de medio tollere laborante: solvi se scelere & supplicio precabantur. Qvod dum impetrare nec multùm iteratis precibus possent: provocàruut, bene sibi conscii, ad DEUM omniscium justissimumq; judicem: Regemq; ad Ejus tribunal accipi rogabant. Qva

facta

facta provocatione FERDINANDUS REX, XXX. die pòst, dormire suis creditus, repentino obitu exspiravit, referente *Domino Sprengero lib. 1. Instit. Juris publ. c. 11. p. 54.* Hac cum oppressione confli&tandum Arsacidi, Viro Scythæ, erat, & cum inopia: eaq; tanta, ut vir ille fortis & strenuus latrociniis obnoxiam & infamem vitam agere cogeretur. Tandem verò ejus jugum excussit. Nam magnam cogens exulum manum, qvos Parthos nuncupant, devicto Seleuco & Mandragora, inq; Regem Parthorum adsumptus, regnum ita instituit, formavitq;, ut diem victoriæ, tanqvam natalem libertatis, multis pòst tempestatibus solemnem celebraverint: qvi postqvam fato functus erat, tanto in honore ipsius memoria fuit, ut celebre ad Posteros Reges cognomen Arsacis ex suo nomine reliqverit. Nam & Parapatius, & Mithridates, & Pharnaces (Vide alia nomina apud *Justinum lib. 41. c. 5. p. 316. n. 8. & p. 317. n. 9. & Isaacum Vossium in Notis in Just. p. 412. 413. 414.*) &, qvi post illum regnarunt, Parthorum Reges, cognomen Arsacis sibi posterisq; illustri titulo propagatum, adoptaverunt: ut autor est *Alex. ab Alex. lib. 1. Gen. Dier. c. 3. p. 7.* Ejectum è patria sua puerum Nobilem tacere neqveo. In Baleari insula ille constiterat: ast ejus miseratus exilium Sergius Galba Imperator, ita, ut in eo deploraret communem temporum illorum statum, ob id ipsum inde ad se acciri jussit. *Svet. in Sergio Galba c. 10. p. 348.* Et qvis sine lachrymis legere possit cladem illam tremendam? qvæ oppressit Palatinatum ad Rhenum. Nimirum Anno M D XXV. turba inibi bellum movit exsecrandum, & flammis ultricibus M CC. & XCII. arces & munimenta, Nobilitatis Franciæ peculium, (*Fabricius in Com. in*

Virg.p.5.& 6.Varro lib.1.de Re Rust.c.17.p.27.Lips.in Com.in Sen. p.144.n 54.Voss.lib.4. Orat.Instit.c.8.p.164. delevit. Nec ergò

Miremur, periisse homines: Monumenta fathiscunt,
Mors etenim saxis nominibusq; venit.

Auson. Epigram.34. p. 11. Naufragio deniq; finiam qvæstionem hanc Nicolai Zenonis, Nobilis Veneti. Is peregre abiens in fines Frisiæ, qvam *Boterus lib.1.Cosmograph, Parta 8.p.192. col. 2.* Insulam Vetustati incognitam fuisse scribit, Frisiamqve Hibernia majorem asserit, Anno M. CC. & LXXX. navem, ipse incolumis, fregit. Ast ut Nobilis prematur malorum gravitate: miseriam ignorat omnem. Nam sententia *Amphitruonis apud Sen. Trag. Act. 2. sc. 3. p. 23.*

Qvemcunq; fortem videris, miserum neges.

QVÆSTIO CXLIII.

An Mors oppetat Nobiles? Aff.

OMnino prosternit mors Nobiles omnes. Fit enim ipsa sine discretione: qvæ venit ex prævariatione. *Bernh. Serm. in Transitu S. Malach. Episcopi p.330. Lit. H.* nec minus moritur herus, ut servus; Nobilis, ut plebejus: *Barth. in Pronoboscod. p. 134.*

-- -- Æqva lege necessitas
Sortitur insignes & imos,
Omne capax movet urna nomen.

Horat. lib.3. Carm. od. 1. T. 1. p. 172. adeoq;

Pallida mors æqvo pulsat pede pauperum tabernas
Regumq; turres.

Eodem ebuccinante *lib. 1. Carm. od. 4. T. 1 p. 19. Scilicet*

Ut

-- -- Ut calidis fumus ab ignibus
Vanescit spatium perbreve sordidus:
Ut nubes gravidas, qvas modò vidimus,
Arctoi Boreæ dissipat impetus:
Sic hic, qvo regimur, Spiritus effluet.

cui tristi lepori consonat chorus mulierum Trojanarum apud *Sen. Trag. in Troade. act. 2. sc. 3. p. 222.* atq;

Fatis agimur.

Sen. Trag. in Oedipod. act. 5. sc. 2. p. 294. Hinc

Qvod natum est, poterit mori.

Id. in Herc. Oetæo. Act. 3. sc. 3. p. 400.

-- -- -- Infanti qvoq;
Decreta mors est.

Id. in Thebaide act. 1. sc. 1. p. 105. Qvid? qvòd

Ubiq; mors est.

Id ibid. p. 102. Irrutiles ergo, ò homo, licèt, aut splendore Nobilitatis, aut fastigio potestatis, aut fulgore virtutis: semper tibi spina proxima est: semper inferiora tua respice. Super spinas germinas: nec prolixa gratia manet. Brevi unusqvisq; decusse ætatis flore marcescit. *Ambros. lib. 3. Hexaëm. c. 11. T. 4. p. 219.* Flos qvoq; aliqvando generosæ Nobilitatis Dominus VVolfgangus de Schleunitz/Nobilis Misnicus, cui ex forma non vulgari nomen fuit Pulchro, morbi lethalis æstu, nimium flagrante, cecidit. Effigiem ejus viventis vel pictam, vel sculptam, cum impetrare tentarent necessarii: oleum, qvod dicitur, & operam perdiderunt. Jussi tandem effodere cryptam: magnam partem faciei laniatam vermibus conspicati sunt: Sepulti in templo Afrano seu ad Afram urbis Misniæ, ubi familia Schleunizia he-

redi-

reditarium habet monumentum, & qvidem in lapide sepulchrali; lugere est peculiare Epitaphium: qvod descriptum vide apud *Dominum D. Franz. de Interpret. Script. p. 868. 869.* Hic naturam natura sublatam perspicere licet: qvæ aliqvando præter eam perit. Periit nempe Pontio Gardio Nobili loco apud Svecos in Petrocoriis nato, Legato Regis Sveciæ ad Muscos, eidemq; fortissimo belli Duci, & multorum exercituum Imperatori, Anno M. CCCC. XCV. Nonis Decembribus in Narva fluvio interiit. *Thuan. lib. 83. p. 83, Lit. C D E.* Fit qvoq; ut mors, Nobilitatam oppressura, cum casu & ignominia se societ: qvibus ERIDERICI I. Imperatoris, cui cognomen Barbarossæ est inditum, filius HENRICUS, Rex Romanorum est perterefactus. De gratia Pacis inter ELECTOREM Moguntinum CONRADUM, & LANDGRAVIUM Thuringiæ, Erfordiæ concilianda agebatur. Sedebant Legati in cœnaculo: in qvo rumpebatur derepentè pavimentum. Qvo facto, qvatuor Comites, Nobilesq; multi in cloacam decidebant, turpi confecti morte: qvidam ingenti cum vitæ periculo extracti, documento fuerunt, qvàm displiceant DEO de lutosis putidisq; rebus dissidia, memorante *Cluv. in Epit. Hist. lib. 9. p. 540. col. 1.* Qvid de tyrannide scribam? Qvæ nonnunqvam ad mortem inferendam grassatur. Caligula Imperator Eqvitem Romanum, nullius flagitii compertum, objiciebat feris. Nobilis, vitæ integritati confisus, innocentem se proclamavit. Cognito, Imperator ipsum reduci jussit, & abscissa lingva rursus induxit *Svet. in ipso. c. 27. p. 226.* Horresco totus apud *Amm. Marcellin. lib. 29. c. 10. p. 407.* legens,

legens, Diogenem, laqveis impiæ falſitatis, (qvæ etiamnum venenum ſuum triſtisſimum dulcedine Politicæ (rectiùs diabolicæ neqvitiæ) prudentiæ condire ſatagit, conſtrictum eſſe. Vir erat nobili proſapia editus: ingenio, facundia forenſi, ſvavitateq; præſtans, diu Bithyniæ rector. At opimum patrimonium ipſius, qvod ipſi diripiebatur, capitali eum pœna adfecit. Hem!

Qvàm varia lethi genera mortalem trahunt,
Carpuntq; turbam pontus, & ferrum, & doli!

Sic cum qverente de mortis varietate *Sen. Trag. in Hippolyto act. 2. ſc. 1. p. 138.* qvæſtionem hanc, totam ferè iisdem verbis contentam, abrumpo.

QVÆSTIO CXLIV.

An Nobilis ſepultura, diverſa plebejis, ſit afficiendus? Aff.

POmpa funeris, agmina exſeqviarum, ſumptuoſa diligentia ſepulturæ, monumentorum opulenta conſtructio, vivorum ſunt qvaliacunq; ſolatia, non adjutoria mortuorum: inqvit *Auguſtin. ſerm. 32. de Verb. Apoſt. T. 10. p. 405. Lit. D.* Nihilominus in iis gloriam venamur, qvæ ex luto eidem parantur. Qvid acceſſit funeri Imperatorum, ad rogum humeris Senatorum apud Romanos lato? *Tacit lib. 1. Annal. p. 3. & 4. Lipſ. in Com. p. 7.* At inde nihil ut accedat functo vita: Chriſtiana tamen pietas ſuſcitat univerſos, ne ſuos è vita egreſſos, inhumatos projiciant. CHRISTUS ipſe mortuus, ſepultus eſt: ut docet Harmonia Evangelica & Apoſtolica: & in medio terræ ſalutem nobis operatus eſt, piè referente *Bernh. ſerm. in fer. 4. Hebdom. Pœnoſæ p. 148.*

Lit. G & H. Imò dum adhuc inter homines ageret: cum Lazari funus, sepulchro clausum, vitæ redderet: Viduæ etiam in Naim, Unicum sepulturæ, obviam factus, non interdixit de sepultura. Nec hoc diffitendum est, CHRISTUM ipsum sepulchro & monumento splendido, antè magno & regio ferè honore loculo conditum, impositum, & compositum esse; licèt invidia Judæorum sepulturæ solemnitate universa eum neqviter spoliaverit. Lycurgus etiam mortuos nobiles intra Urbem humari, monumentaqve propè templa poni, non prohibuit: monumentoq; nulli, nisi vel in bello mortui, vel mulieri sacerdotis, mortem obeuntis, nomen inscribi jussit: *teste Plutarcho in Lycurgo T. 1. p. 18. col. 2. Lit. A. Cicero* qvoq; autor est *lib. 1. Tuscul. Quæst. T. 4. p. 189. Lit. B.* In Hircania plebem aluisse canes publicos: optimates verò domesticos: qvod illi genus canum nobile esse duxerunt: atq; ita laniatos pro facultate paratis à canibus sepultura donatos ibidem credi. *Horatius* idem innuit *lib. Epod. Oda 8. T. 1. p. 363.* ita canens:

Esto beata: funus atq; imagines
Ducant triumphales tuum:
Nec sit marita, qvæ rotundioribus
Onusta baccis ambulet.

Qvæ verba ita interpretatur *Lambinus in Com. p. 365.* Romani dolebant in pompa Nobilium funebri Majorum imagines, præsertim eorum, qvi triumphassent, & res præclaras gessissent, præferri. Vide *Janum Gruterum in Florileg. Ethico-Politici Parte 3. p. 519. Tacitus* qvoq; *lib. de Moribus Germ. c. 8. p. 618.* seu secundum editionem *Nobilissimi Dn. Kirchmaj. c. 27. p. 318. §. 1. & 2.* in qvæ verba commentatur *Clarissimus Dn. Professor. p. 319.* & inæqvalitatem

his

his deſcribit verbis: Funerum (ſcilicet apud Germanos) nulla ambitio. Id ſolum obſervatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur. Struem rogi nec veſtibus, nec odoribus, cumulant. Sua cuiq; arma, qvorundam igni & eqvus adjicitur. Sepulcrum ceſpes erigit. Monumentorum arduum & operoſum honorem, ut gravem defunctis, aſpernantur. Videatur *Fabricius in Com. in Virg. pag. 1715.*

QVÆSTIO CXLV.

An Nobiles immediati olim ſtatus fuerint Imperii? Aff.

NEgativæ patrocinatur *Nobiliſſimus & Conſultiſſimus Dn. D. Otto de Jure Publico c. 19. p. 649. 650. qvi p. 540.* Status Imperii **des Reichs oder Reichs Räthe** perperam appellat. *Contra Artic. 40. Capitulat. dicta. p. 518.* Verba ita habent: Qvidam Nobiles in Germania Imperio immediatè parent: vocanturq; liberi Nobiles, **die Freyen vom Adel / die freye Ritterſchafft / welche ohne Mittel der Käyſerlichen Majeſtät unterworffen.** *Receſſ. Imper. Auguſt. de Anno 1555. §.* **Und in ſolchen Fried,** *Ord. Cam. Parte 2. Tit. 5. p. 650.* addit idem: Hi non minùs, qvàm ſtatus imperii, immediatè ſubſunt imperio, Conſtitutionibusq; Imperii de immediatè Imperio Subjectis loqventibus, comprehenduntur: nec tamen inter Imperii ſtatus referendi ſunt: qvia ad Comitia Imperii non vocantur, multò minùs in iis jus ſedendi & ſuffragandi habent. *Magnificus & Excellentiſſimus Dn.* **Reinking.** *lib. 1. Regim. Secul. & Eccleſ. claſſe 4. cap. 1. pag. 327. n. 30. ad 35.* ſummatim omnia colligit, qvæ antè exce-

prat ad firmandam Negativam: ſcilicet 1. Receptionem in matriculam imperii. 2. Seſſionem & votum in imperio. 3. Solutionem indictionum & collectarum. 4. Territorium & jurisdictionem, ac regalia; hæc ſcilicet omnia iſtis denegat, & hinc infert ſententiam ſuam. Salva auctoritate tantorum Virorum ad argumenta ipſorum ſolvenda prodeo. 1. Miror, Nobilitatem illam dici Liberam aliqvoties, nec haberi poſſe ſtatum: cum hæc libertas immediationem ſtatus pariat, & hinc ipſum ſtatum. 2. Idem arguit comprehenſio illius Nobilitatis ſub conſtitutionibus Imperii de immediatè Imperio ſubjectis. Qvod ſi hi Nobiles in catalogum eorum, qvi immediatè ſubſunt imperio, relati ſunt: qvod fatetur Dn. Otto: primum ponit reqviſitum ſtatus: qvod ambabus ulnis amplector. 3. Jus ipſi olim fuiſſe ſedendi & ſuffragandi in Comitiis, docet *Clariſſimus Dn. Wendelinus lib. 2. Inſtit. Polit. c. 26. p. 309. th. 8.* ſed non liqvere de inſeqventis amiſſionis cauſſa. Et hæc faciunt ad Qvæſtionis aſſertionem ſtabiliendam. Addo his judicium *Dn.* Reinking *l. c. p. 728. §. 42.* Qvi concedit, fundatam habere intentionem eum, qvi priora reqviſita probaverit, etiamſi non poſſit probare præſtationem collectarum: qvia fieri poſſit, ut aliqvis privilegio vel præſcriptione immunis ſit ab hoc onere. Hæc ſufficiant ſcripta ad Objectiones Dn. Ottonis. Accedo ad argumenta Dn. Reinking. Qvi ipſe refutatione trium priorum argumentorum per jam ſcripta me liberat. Qvartum ergo argumentum expediendum mihi eſt. Territorium negat liberæ Nobilitati. Qvis ergò, cum libera ſit, qvod conceditur, Nobilitas illa, territorium ejus poſſidet? Libera omnino dicitur Nobilitas illa ratione Nobilitatis, Principi ſuo ſubjectæ:

qvod

qvod nemo negabit: si de Principali fuerit verum: de accessorio negare qvis non vereatur? Hoc cum sit in propatulo, nemo & jurisdictionem tollet. Regalia verò Dn. Otto *p. 650.* authoritate Wesembecii, largitur. Videatur *Limnæus T. 2. lib. 6. de Jure Publ. c. 1. n. 19.* & authores à *Dn. D.* **Liebenthal** *in Coll. Polit. Exercit. 10. Quæst. 1. p. 338.* citati: *Dn. Sprengerus item lib. 2. Instit. Juris Publ. c. 39. p. 229.* Præter authoritates istas pro sententia adstruenda *Dn.* **Reinking** oppono, præter memorata reqvisita, Definitionem suam, *lib. 1. Rep. Eccles. ac Secul. Class. 4. c. 1. p. 323. n. 2.* Status imperii immediati sunt cives, qvi Cæsaris & cummuni Procerum Imperii consensu in album s. matriculam imperii recepti sunt, eâ lege, ut Cæsari, **als ein Christlich** Corpus **und Versammlung**, ut loqvitur MAXIMILIANUS I. *in* **R. A.** *de Anno 1512. pr.* de usu imperii, in Comitiis proponenti, consilio & suffragiis adsint, & occurrente necessitate, certum censum in matricula expressum pensitent, vel subsidium militare præstent. In hac definitione essentialia constituentia, scilicet Genus & Differentiam Specificam, amplexor: accidentia verò, si separabilia fuerint, amando: & sic mihi non incommodè videor colligere, cives istos esse statum imperii immediatum: idqve per Regulam de conversione, licèt Materiali. Cæterùm de conditione, qvæ ab Eodem authore Definitioni inseritur, ne literam qvidem in *Recessu* isto & fine ejus *pag. 93. & 94.* lego. Legi tamen eundem *pag. 83. in f. §. 1.* nec qvicqvam reperi pertinens ad hanc Qvæstionem. Imperator enim confirmat, sibi cum Ordinibus imperii convenire de seqventibus articulis: id qvod negandum est: at hæc assertio nec stabilit, nec labefactat qvæstionem-

nem. Reliqva adjicere nolui, qvæ usui nulli fore perspexi.

QVÆSTIO CXLVI.

An Nobiles immediati hodie sint, vel dici qveant, Status Imperii? Aff.

AD Negativam iterum propendet *Nobilissimus ac Excellentissimus Dominus Sprengerus. lib 2. Instit. Juris publ. c. 4. p. 192.* primò qvidem statuit, Formali status destitui Nobilitatem, qvod in jure Comitiorum consistere existimat. Fundamentum sententiæ ponit R. A. in Worms *de Anno 1564. §.* Und wollen wir. Deinde ait, Carolum V. Imperatorem facere mentionem, der Grafen/Freyherren/Herren oder vom Adel/ und Stände. Ad qvæ excipit, Vocabulo vom Adel intelligi die Freyen/so Edel genannt: vel Nobiles consiliarios. Ad primum respondeo, Formam constituentem non esse Accidens separabile: qvam exprimit in Definitione sua Dominus Reinking in proxima Qvæstione. Imò propriè jus Comitiorum indicendorum penes IMPERATOREM ROMANO GERMANICUM est, & SERENISSIMUM COLLEGIUM ELECTOTALE simul. *Dominus Schönbörn. lib. 4. Polit. c. 33. p. 462. 463. Dominus D. Otto de Jure Publ. c. 13. p. 463. 464. Dominus D. Cellarius lib. 2. Polit. Succincta c. 17. p. 290. 291. Capitul. Ferdinandi III. Imperatoris. p. 366. Art. 13. &c. Capitul. Ferd. IV. Art. 14. p. 416 &c. & Capitul. Leop. I. Art. 17. p. 485. 486.* Ideoq; & Nobilitati immediatæ, & Reliqvis Statibus omnibus & Singulis denegatur, tanqvam jus solius Majestatis, & Reservatum ELECTORA-

RALIS COLLEGI SERENISSIMI. Concidit ergo fundamentum Domini Sprengeri ex ſeipſo. Receſſum laudatum imperii qvod ſpectat, contrectari qvaſi manibus poteſt, §. cit. loqvi de conſcriptis ſeditioſis militibus, & pœna eorum, qvi eos conſcripſerunt. Qvare nec hoc pondus habet. Nec loqvitur idem de Statu horum temporum. Ad alterum regero: Carolus V. in l. cit disjungit die Freyherren von den Herren oder denen von Adel (Particula vernacula oder hic eſt Conjunctio Explanativa) Ergò per voces Herren oder den von Adel non intelliguntur Barones. Dominos Conſiliarios Nobiles ſileo: qvia præterit Imperator, qvantum ego lego in his verbis, & aliàs memini. Porrò ſciendum, *Dominum D.* Liebenthal *in Coll. Polit. Exercit. 10. qvæſt. 1. p. 338.* formare Qvæſtionem ipſam in θέσει: reſponſionem verò in ὑποθέσει. §. Verùm ſi hodiernum. Primò concedo JCtisſimo Viro, Nobiles mediatè ſubditos Romano Imperio, non eſſe ſtatus, qvia Statibus formaliter non aſſociantur. 2. Fallunt rationes §. Repugnat & §. Deinde, ſupra refutatæ. 3. Tria confunduntur in §. Proinde. 1. Subditi nominantur immediate Imperio. 2. Membra Romani Imperii. 3. Status Imperii ſubjecti. Subditi immediatè ſunt omnino ſtatus: ſed membra nec immediatè omnia ſunt Subjecta, nec ſtatus. Videtur hic ludi fallacia Compoſitionis & Diviſionis. Tandem abſolvam hanc qvæſtionem Verbis Invictisſimi imperatoris LEOPOLDI in *Capitul. p. 458. 459. Art. 3. & p. 504. Artic. 26 & 27 p. 517. Artic. 39.* qvi Articulo 3. Status qvosdam vota & Seſſionem in Comitiis diſcernit ab iis ſtatibus & Libera Nobilitate, qvæ regalia, Jurisdictionem, immuni-

nita-

nitates, &c. habent: & si etiam sunt status; qvi per libertatem istam immediatam reliqvis statibus Imperii procul dubio accensentur, id qvod probat manifeste *Capit. cit. 7. Art. IX. p. 472. 473.* qvæ verbotim citabitur infra Qvæst. CXLIX.

QVÆSTIO CXLVII.

An Nobiles Sveviæ, Franconiæ, VVetteraviæ, & Rhenanarum provinciarum sint status Imperii, & an differentia inter hos est alios Nobiles dari possit? Aff.

PRiorem Qvæstionem negat *Besold. lib. 1. Polit. c. 7. p. 141. §. 14.* Cui assentitur *Dominus* Reinking *de Regim. Secul. & Eccles. lib. 1. Classe 4. c. 1. p. 327. §. 32. & classe V. c. 10. p. 667. 668.* Qvibus ex anteriore sat responsi dari posse puto. Accedo ad posteriorem Qvæstionem, & eam etiam affirmo. Prædicti enim Nobiles sunt Status, & immediati cives Imperii Romani: Hassiæ, Bavariæ, Saxoniæ, Wesphaliæ & alii sunt mediati cives, non status immediati. Illi sunt incorporati in suis provinciis imperio Romano: Hi imperantibus CAROLO MAGNO & HENRICO AUCUPE, cum provinciis, qvas habitaverunt, non incorporati sunt Imperii provinciis. Rebelles enim & contumaces exstiterunt. Qvocirca Cæsares ansam præbuerunt absentes, ut graviore cura à Dominis suis coerceri possent. Illi immediatè parent Imperatori & Imperio Romano, etiam in territorio sui Principis, agnoscuntq; judicem solum Imperatorem & Cameram: Hi & Imperatori, & Cameræ, & Principi suo obedientiam præstare, & vocanti ei in

jus

jus sese sistere teneatur. Vide *Nobilissimos & Excellentissimos Viros, Dn.* Reinking *de Regim. Secul. & Eccles. lib. 1. Classe V. c. 10 p. 667. n. 4. 5 & Dn. Spreng. lib. 2. Instit. Juris publ. c. 1. p. 192. & c. 2. p. 198.*

QVÆSTIO CXLVIII.

An Nobilitati Immediatæ pactiones fœderum sint licitæ? Aff.

FOedus vocem inter profanas locum non reperire, referenti credo *Nobilissimo ac Consultissimo Dn. Hornio lib. 2. Polit. c. 5. p. 341.* cui ea de animali cæso nomen videtur habere: qvòd sangvine olim firmatum fuerit fœdus. Nam hanc vocem asserit propriè efferri de sangvine: & fœdum, item fœdare, nativa significatione, de cruore dici putat. Hinc sagaciores nulli integrum fore credunt, icere fœdus: præter illos unicè, qvibus vel à Majestate æterna, vel Principe suo, vel etiam à Republ. cui communicandi hanc potestatem est facultas, tributum est. DEUM omnino fœderum arbitrum ac testem esse, vel *Livius* inculcat *lib. 1. Dec. 3. p. 9. Lit. C.* Ad Principem qvemq; *Capitulatio* imperatoris LEOPOLDI I. *Art. 7. p. 468. Art. 8. p 472. 473. 474. & Art. 10. p. 474. 475.* refert. In Aristocratia optimatibus, & in Politia s. Democratia populo decernit *Nobilissimus ac Amplissimus Dn. D. Cellarius lib. 2. Polit. c. 13. p. 242.* In Romano Imperio Statibus Universis solis eadem *l. cit.* Hinc *Dn. D. Otto de Jure Publ. c. 11. p. 393.* regulariter hanc potestatem fœderum condendorum ab omni civitate & aliorum jure redemit, legibus fretus, qvas laudat copiosè ibid. Objicit qvoq; Qvæstioni, verùm

alienâ mente, *Excellentissimus Dn. Sprengerus lib. 1. Instit. Juris publ c. 6. p. 38.* verba Capitulationis Invictissimi & Augustissimi LEOPOLDI I. Imperatoris felicissimi, qvæ extant *p. 468. Art. 7. §.* Wes Standes oder Würden sie seyn. Hisq; robur addit ex CAROLI V. RUDOLPHI II. MATTHIÆ item, & FERDINANDI II. Constitutionibus, qvibus arceri nobilitatem omnem à potestate fœderum pangendorum nullus dubitat. Hæc simulachrum prima fronte vincentis repræsentat; verùm rerum ipsarum natura vim istam prorsus avertit, victoriamq; prosternit, cujus ἀπόλαυσιν possesionem & dominium antevertit. Ipse suum refutat sententiam *Dn. D. Otto de Jure Publ. c. 11. p. 382. 383.* & potestatem illam fœderum in jure divino & naturali, qvin & jure gentium atq; Canonico fundat: qvamvis videatur aliqvid humani passus esse, qvòd fœdera omnia statuat esse, ut loqvuntur Politici, defensiva: & defensionem atq; fœdus tantùm non faciat Synonyma: cum Defensio justa sit finis cum intentionis, tum consecutionis, seu Conseqvens fœderis, seu finis ᾧ & finis ὃ: qvanqvam hac de re cum nullo contendero. Fallitur etiam, credens, totum titulum ff. de Collegiis illicitis & corporibus, sibi favere, nihil eodem vel perficiens, vel proficiens. Totus nimirùm ille Titulus agit de tribubus colligendis. Dubitanti satisfacit *Gajus l. Sodales 4. h. t.* qvi ex l. Solonis priores leges, §. & versus commodè explicat: qvam totam porrò enodat cum superioribus *Nobilissimus ac JCtissimus Dn. Dionysius Godofredus.* in marginalibus, toti titulo adjectis; qvem Virum obscuritatem, tertium corpus Juris fœdans vitium, omnem ferè satis depulisse, potissimis

sele-

ſelectis ſuis in notis, qvas textui addit, pronunciat *Autor Methodi corporu juru reconcinnandi p. 7. §. 21.* Præterea titulus LXV. Aureæ Bullæ CAROLI IV. nihil juvat ipſum: qvi non fœdera, ſed deteſtandas conſpirationes, conventicula hujus farinæ, colligationes item illicitas vetat. Ad hæc *l. Si qvis 1. C. de ſeditioſis*, qvæ ſeditiones tollere nititur; ut & *l. in nullis C. h. t.* qvæ de fœderibus ne verbum qvidem facit, hic exſpirant. Idem ſtatuendum de reliqvis, unde Dn. Otto adminicula ſibi acqvirere ſtuduit. Nec *Excellentiſſimi Dn. Sprengeri* ſententia robur accipit ex allegatis. Nam *Articulus VII. Capit. illius* abſtinendum eſſe illicitis & odioſis fœderibus, atq; Conjunctionibus multitudinis jubet, fœdera juſta vigore ſui non prohibet. Nec proſunt Imperatorum anteriorum laudatæ ab ipſo Conſtitutiones, qvas *Capitul.* LEOPOLDI prægloriosiſſimi *Art. IX. p. 472. 473.* internecioni dedit. Qvæſtionem ipſa defendit fœderis indoles, qvam his ſvaviſſimis coloribus delineat *Magnificus ac Excellentiſſimus Dn.* Reinking *lib. 2. de Regim. Secul. & Eccleſiaſt. Claſſ. 3. c. 3. p. 105. n. 21.* Nullum tuendæ ſalutis adverſus hoſtium impetus ferè majus præceptum, qvàm aut Potentiſſimum eſſe, aut cum Potentiſſimis ſocietatem & amicitiam coire: ſive ejusdem imperii, ſive plurium civitatum Principes confligantur. Pactum, ut alia tranſeam, DEUS cum Davide, qvi ipſi in perpetuis fuit deliciis, iniit nunqvam rumpendum *Pſ. 89. v. 3. 45. item v. 34 35. 36. 37. 38.* qvibus verbis Sapientia & divitiis exundans fons ille Salomon memoriam refricat fidei, à DEO Davidi Patri de fœderis hujus firmitate datæ. Et, ut propriùs ad metam properem, non ſolùm SAXONICAM, BRAN-

DENBURGICAM, & HESSICAM DOMUM fœderis inter ſe junxiſſe gratiam, Imperatore etiam inde excluſo, ſi poteſtate ſua abuteretur: idq; hereditarium: *Sleidanus T. 2. de Statu Relig. lib. 17. p. 38. col. 2.* ſed & Argentinenſes, muniendi ſui cauſſa contra vim injuſtam, cum Tigurinis, Bernatibus, & Baſilienſibus, ſanxiſſe: *lib. 7. de Statu relig. T. 1. p. 220. col. 2* teſtatur. Qvis verò vetuit Hanſaticas civitates, qvò minùs fœdere facta coirent? Coiverunt profectò Anno à Chriſto nato 1200. vel, qvod aliis placet, 117. Qvod fœdus *Pax Oſnabrugenſis c. 10. in f. probavit:* ut *Dn.* Kerling *lib. 1. Regem. Secul. & Eccleſ. Claſſe 4. c. 20. p. 478. n 50. &c.* notavit. Qvia *Dn. Spreng. l. 1. Inſtit. Juris publ. c. 9. p. 38.* ejusmodi fœderum pactiones nobilitati immediatæ competere ideo ſtatuit: qvòd Dn. Publiciſtæ Nobiles immediatos qvoad negotia & territorialia ſtatibus imperii parificent. Tandem, ut contraham ſcribenda, Nobilitati iſti, jus & poteſtatem eſſe ineundorum fœderum, liqvet *ex Art. IX. Capit.* LEOPOLDI I. Imperatoris Potentisſimi, *p. 472. 473. 474.* Verba ita habent: Und weiln auch in der That verſpühret worden / daß die außwärtige Gewalt ſich in Reichsſtädten / und ſonderlich die / ſo zwiſchen Reichsſtände und ihren Unterthanen obſchweben / unterm Prætext der Häuſers Bündniß / und anderm dergleichen Vorwand / ein Zumiſchen / zuſammen zu kommen / und dero Angelegenheiten zu beobachten zumaln die vor dieſem unter ihnen aufgerichtete Unionis gleicher Geſtalt zu confirmiren und approbiren ſich unterſteben / das Inſtrumentum pacis aber allein Churfürſten und Ständen Confœderationes und Verbündniſſen / worunter inſonder-

beit

helt die begriffen / welche zu des Reichs beſtem / und gemeiner Lands-Defenſion, auch mehr beqvemer Verrichtung der Creyßverfaſſungen aufrichten werden / einzugehen erlaubet / und denen Unterthanen dergleichen nicht zugibt / ſondern derſelben hierüber erhaltene Privilegia und Indulta caſſirt und aufhebt: Als wollen wir nicht allein durch Abmahnungs-Schreiben ſolchem weitaußſehendem Vornehmen begegnen / und nicht geſtatten / daß der güldenen Bull / dem Friedenſchluſſe / und den Reichs-Conſtitutionen zuwider / einige mediat Unterthanen mit außwertigen Potentaten und Republiqven / oder anderwertigen Reichs Ständen / oder dero Landſtänden und Unterthanen einige Confœderation, Protection, Mediation, und Gvarantiam ſub qvocunq; prætextu vel colore eingehen / oder aufrichten mögen: und was dawieder vorgenommen / unverzüglich / jedoch mit der in vorgehendem 8ten Articul vermeldeter Reſtriction abſtellen: ſondern auch gegen die beharliche Contraventores, inſonderheit aber diejenige / welche ſich wieder ihre Lands-Obrigkeit an fremde Gewalt henken / und derſelben Hülfe / Indigenat, und Schutz würcklich begehren / annehmen / gebrauchen / dabey zu ſuchen ſich unterfangen / und ſolchen unziemlichen Handlungen / auf vorgehende Erinnerung / nicht renunciiren / vermöge der Rechten und Reichs-Conſtitutionen / ernſtlich verfahren / und auf den Nothdurffts Fall die ereignete Thätlichkeiten und invaſiones durch gehörige Gegenmittel den Reichs-Conſtitutionibus gemäß / abkehren. Vide *Limnæus lib. 4. de Jure Publ. cap. 8. n. 16. & c 34. n. Spreng.*

lib. 2. Instit. Juris publ. c. 29. p. 330. 331. & Wendelin. lib. 2. Instit. Polit. c. 27. th 5. p 316.

QVÆSTIO CXLIX.

An Nobilibus Imperii immediatis jus competat Austregarum? Aff.

AUstregæ dicuntur à Germanico Vocabulo **Außtragen**: qvòd lites eorum coram istis judicibus componantur, & decidantur **daß die Sache für derselben rechtlich außgetragen werde.** *Dn.* Reinking *lib. 2. Regim. Secul. & Ecclesiast. Classe 2. cap. 16. p. 971. Nobilissimus ac Consultissimus Dn. D.* Stryke *in Disput. de Foro Austreg. pag. 5. th. 4.* rem clariùs expositurus, Forum Astregarum definit judicium, in qvo caussæ certorum Ordinum Imperii controversæ, ex concessione Generali Imperatoria, coram judice ad id Electo, in prima instantia, deciduntur. Has ideo introductas scripit *Dn. D. Otto de Jure Publico c. 17. p. 545. & 546.* ne Nobiles immediati deterioris conditionis essent mediatè subjectis: qvibus plures conceduntur instantiæ: at immediatè subjectis una tantùm. Propiorem intentionem signat *Amplissimus Dn. D.* Stryke *l. cit. p. 5. th. 4.* ut lites statuum imperii in eo componantur ac decidantur: **Daß etliche dem H. Röm. Reiche ohne Mittel unterworffene Glieder ihre zusammen habende** differentz/ **Jrrung/ und Zweyung gegen einander/ vermittelst derselben/ nach Maasse und Weise in den Reichssatzungen vorgeschrieben/ rechtlich außtragen oder beylegen sollen.** Jus istud non alienum esse Nobilitati Imperii immediatæ: *Dn.*

Rein-

Reinking *l. cit. n. 12.* ita it probatum *ex Instrum. pacis cap. 5. num. 20. §. Visitatio. circa f.* Cætera in aulico non minùs, qvàm in Cameræ Imperialis judicio, privilegium primæ instantiæ Austregarum jura & privilegia de non appellando Statibus imperii illibata sunto: nec per mandata, aut Commissiones, aut avocationes, aut qvovis alio modo, turbentur. Concessas autem esse Statibus immediatè Imperio Subjectis: sive se invicem conveniant, sive ab aliis conveniantur, juxta Præscriptum *Ordin. Camer. Parte 2. Tit. 3. & seqq. Dn. D. Otto l. cit. pag. 545.* inculcat. Vide *Dn. D.* Struven *Disput. de Processu Austreg. th. 12. p. 13. Spreng. lib. 2. Instit. Juris Publ. t. 39. p. 330.* eandem Sententiam amplectitur, prædicans ibidem Nobilitatem illam mediatam, qvòd hoc modo nobilioris sit conditionis, qvàm qvædam imperii civitates: qvæ hoc non gaudent privilegio. His uberioris explicationis caussa addenda esse operæ pretium duxi, qvæ luci exposuit *Excellentissimus Dn. D.* Struve *in Disput. de Foro Austregarum p. 28. & 29. th. 30.* ita præcipiens: De Nobilibus Imperii Immediatis dubitari adhuc posset: sed otiosum fuerit, contra manifestum textum in Ordin. Cam. disputare: ubi expressè forum Austregarum illis perinde, ut Comitibus & Baronibus, indultum. Dicuntur autem Nobiles immediati illi, qvi neminem Imperii Principum, sed solum Imperium, Superiorem agnoscunt: So dem Reiche ohne Mittel/und keinem andern Fürsten/ oder Herrn unterworffen. *Recess. Imperii de Anno 1452. §.* Dergleichen. Cujus generis Nobiles reperiuntur in Svevia, Franconia, & ad tractum Rheni: die Fränckische / Schwäbische / Rheinische Ritterschafft: qvi ob hanc caussam etiam appellari solent die Freye vom Adel/ oder freye Ritterschafft:

ſchafft: de qvo videndus *Beſoldus in Theſauro Pract. ſub verbis:* Frey: Reichs Ritterſchafft. Et hos ipſos Nobiles aliqvi Statibus Imperii annumerari volunt: præſertim cum ex *Aurea Bulla in f. Proœm. pateat*, Nobiles etiam Comitiis Noribergenſibus interfuiſſe: de qvo *Gerlac. Buxtorff. ad A B. Concl. 5. Tit. C.* Hodie tamen certum, eos ad Comitia amplius non vocari: nec Statibus Imperii, propriè dictis, accenſeri. Reinking *de Reg. Sec. & Eccleſ. lib. 1. Claſſ. 5. cap. 10. n. 8. & 13. Joſias* Nolden *de Stat. Nobil. Civil. cap. 19. n. 150.* Non tamen ea propter Foro Auſtregarum privandi: qvia immediati ſunt: & tenor Conſtitutionis Imper. in Ord. Cam. pro ipſis militat expreſſè. Hæc hactenus *Celeberrimus Dn. D.* Struve Videatur *Limnæus lib. 6. de Jure Publ. c. 3. n. 36.*

QVÆSTIO CL.

An Viduis Nobilibus conſtituatur Dotalitium, vel Leibgedinge *in Feudo? Diſt.*

Nulli dubium eſt, qvin providendum ſit omni induſtria, neqvid qvoad dotem mulier detrimenti capiat. Mulier domina eſt dotis ſuæ: maritus fictione juris civilis: per *l. ex pecunia. 12. C. de Jure dotium. l. Qvamvis 75. ff. h. t.* & *l. In rebus Dotal. C. h. t.* Cui ſiqvid eſt illatum damni, ſubveniendum eſt, ut damnum reſtituatur: qvippe jura ſuccurrunt ſubveniuntq; deceptis. *Menoch. lib. 1. Conſil. 58. pag. 129. num. 42.* Scilicet intereſt Reip. mulieres habere dotes ſalvas: *l. Reipubl. 2. ff. de jure dotium:* nec maritus ſolùm in ipſis rebus, qvæ temporis tractu atteruntur (qvod de eo marito intelligo, qvi ad ſecunda vota tranſiit) ex facultatibus ſuis (forſan im-

improbis mortuus) sed & hæres ad restitutionem ejusdem generis & qvalitatis aliarum compelli possit: *per l. Res in dotem. 42. ff. de jure dotium;* imò & dotis mulieris potiorem caussam esse convenit, qvàm Reip. nisi Principi & Prudentibus aliter visum fuerit, *l. Dotis tuæ. 9. C. h. t.* eaq; in dote recipienda, marito ad incitas redacto, Creditoribus omnibus est præferenda *l. Ubi adhuc. C. h. t.* potiore minimè nitentibus: *Magnifico & Præcellentissimo Dn.* Kohl *arbitro in Declarat. accurata Constit. March. pag. 158. col. 1. & 2.* Vide *Magnificum & Excellentissimum Dn. D. Joach.* Scheplitz *ad Constit. Marchiæ. Parte 3. Tit. 24. Qvæst. 3.* Nec puto, Viduas Nobilium deterioris fore conditionis, plebejorum Uxoribus superstitibus. Illud autem Prætori enodandum committo, num ex feudo Dotalitium illud pendendnm sit, nec ne? *Dn. Sprengerus lib. 1. Instit. Juris Publ. c. 41. pag. 344.* ad Affirmativam inclinat, statuitq;, tale qvid à marito, vel ejus successore, Viduæ tradendum esse: qvo in sua viduertate ad vitæ dies utatur fruatur. Cætera nihil addit, præter authoritatem *Georgii* von Rotschitz *in Tract. de Dotalit. Art. 1. num. 19.* Excellentissimus Vir Authori Nobilissimo addidisset fundamenta illa legum & Consvetudinis, qvibus sententia hujus superstruitur: ut edoceri possent Lectores veritatem: qvam auctoritas non firmat. Qvid de ejusmodi argumentis sentiendum sit: nec Nobilissimis Dn. JCtis, nec Amplissimo Dn. Logicorum choro est obscurum. Ex qvo diverticulo venio in rem præsentem. Feudum ab illo Longobardico vocabulo FEDE, qvod fidem significat, deducendum esse svadet *Excellentissimus Dn. Spreng. lib. 2. Instit. Juris Publ. cap. 41. p. 334.* Officiiq; monet cum Dominum, tum præcipua intentione Vasallum. Hoc

feudum in mobilibus & immobilibus constitui posse, asserere non veretur *Tiraquellus de Retractu T. 3. Oper. p. 63. n. 84.* cujus collatio ad Imperatorem in Germania pertinere dicitur *Magnifico & Excellentissimo Dn. Arnisæo lib. 2. de Jure Majest. c. 4. p. 324.* Et licèt hereditaria successio creationem excluserit: tamen auctoritas & Jurisdictio à Principe dependet: & vacantes dignitates conferri ad alterum, qvàm majestatem, non putat. Anglorum, ait Polyd. Verg. in Hist. Angl. mos est, ut comitatuum tituli arbitrio Principis dentur. In Germania apud Imperatorem ita mansit jus conferendi feuda, ut eorum controversiæ ne qvidem in Camera admittantur. Idq; de feudis Imperii Romano-Germanici certo respectu intelligendum esse, præter sensum verborum istorum, probat *Magnificus Dn.* Reinking *de Regim. Ecclef. & Civil. lib. 1. Classe 4. c. 4. p. 362. 363. n. 1. 2. 3. 4.* Aliàs Archiepiscopum, Episcopum vel Abbatem, vel Abbatissam investituram feudi dari posse, liqvet *ex c. si verò 3. Feud. 1.* qvod de Ecclesiasticis priscis dictum puto. Vide *& c. Quia de 1. Feud. 5. totum.* Nunc, ubi Principes feudorum investituram sibi asseruerunt, absurdum fore putarem, siqvis Clericus, exceptis iis, qvi sub Pontificis Romani regimine vivunt, & cœlum ipsum Principibus vendunt, feudi possessionem & negotiationem sibi tributam & licitam, per somnium conciperet. Hoc ergò feudum qvomodo tradi potest à marito? Generali suo interdicto feudum alienandum non esse, LOTHARIUS Imperator voluit *c. Est autem. 9. Feud. 2. & c. Præterea 44. Feud. 2.* Et FRIDERICUS Imperator edictali perpetuò valitura lege sanxit, ut nulli liceat feudum totum, vel part. partem aliqvam vendere, vel pignorare, vel qvocunq;

modo

modo distrahere seu alienare, vel pro anima judicare, sine permissione illius domini, ad qvem feudum spectare dignoscitur. Si Maritus tradiderit de feudo dotalitium: evertet jura Principis. Si Successor seu feudatarius heres dederit: detrahet Principi, sibi, successori. Si Successor detulerit; ex feudo caduco: officiet iisdem, & indebitum solvet. Filiam non succedere in feudo, citra peculiarem Principis investituram, *c. Si qvis. 8. in f. Feud. 2.* edocet. Qvid ergò de Vidua futurum esse censebo? Usumfructumne percipiet ad vitam? Mirum, ne dicam miserum, dotalitium, fundumq; sine fundo! Dotalitium seu feudum fœmineum omni jure esse perpetuò, pecuniam, ausim jure ipso assertore confirmare. Pecuniæ autem nomine (qvamvis viduis Nobilibus pecuniam potiùs, qvâ sibi meliùs consulere possunt, usuris inde captis, salva sorte, qvàm aliis rebus, qvas vocant, materialibus, seu rectiùs naturalibus, paratam numerandam esse, æqvitati consonum credam) non solùm pecuniam numeratam: sed omnes res, tam soli (removeo, eæ enim ad dotalitium non spectant) qvàm mobiles (has amplector) tamq; corpora, qvàm jura, denotantur. *l. Rei appellatio. 5. ff. de V. S. l. Pecuniæ verbum. 178. ff. b. t. l. Pecuniæ nomine. 222. ff. h. t.* Hanc feudi speciem, impropriè licèt nomine feudi nuncupetur, usui fore Viduis confido, nec æqvitate, nec Magnificis Dominis JCtis repugnantibus.

QVÆSTIO CLI.

Utrum Nobilitatem allegans eam probare teneatur? Dist.

FAvet Affirmativæ *Inclytæ Reip. Danicæ Phœnix admirandus Dn. Arnisæus lib. 2. de Jure Majest. c. 3. p. 292.* hoc libero verborum ligamine: Nobilitas à natura non competit, sed ex l. humana: ut docet Aristot, eumq; secutus *Boëtius lib. 3. Philosoph. Consulat.* ubi is canit:

Omne hominum genus in terris
Simili surgit ab ortu:
Qvid genus & Pravos strepitis?
Si primordia vestra,
Auctoremq; DEUM spectas:
Nullus degener extat;
Nî vitiis pejora fovens
Proprium deserat ortum.

Qvod Germani dicunt:

Als Adam hakt und Eva spann:
Wer war do ein Edelmann?

Et horum imitatione dicunt Angli:

When Adam dolve/and Eva span:
Whe was then a Gentelman?

Qvo themate celebris ille seditionum concitator Johannes Ballusus legitur in concione, qvâ plebejos excitabat contra Nobiles usus, inæqvalitatem dignitatum, hominum injuria obortam, dictitans, eamq; ad primam æqvalitatem revocandam, in qva DEUS unumqvemq; creâverit. Thom. Walfingh. Stov. Helinshod. in Richard. II. Ideoq; nemo præsumitur Nobilis: sed qvi nobilitatem allegat: eam probare debet. *l. Non ignarat. & ibi Bald. in pr. C. qvi accusare non possunt.* Sed hæc demonstratio à dispari esse videtur. Negativa in Nobili ex facili sibi defensorem jungit. Qvis enim fidem ei asserenti negaverit? cui

Justi-

-- -- Justitiæ soror
Incorrupta fides, nudaq; veritas
Qvando ullum invenient parem?

Horat. lib. 1. Carm. Od. 24. T. 1. p. 76. Amplectitur pariter, & defendit hanc sententiam par *Imperat. Dioclet. & Maxim. l. Lex Visellia. C. ad l. Visellium*: qvæ libertinum, qvi se dicit ingenuum, tam de operis civiliter, qvàm etiam ex l. Visellia criminaliter vult perurgeri. Dubiam & ancipitem reddit hæc in re mentem & extraria terra, & forum. Illa nescit: hoc, probata qvæ non sunt, negligit: nec injuria. Qvid enim stultius? qvàm incerta pro certis habere: falsa pro veris. *Cic. de Senect. T. 4. pag. 554. Lit. G.* Et qvicqvid ex incerto venit: conjecturæ & licentiæ paventis animi traditur. *Sen. Epist. 12. pag. 193.* Apud suos qvid refert probari Nobilitatem? cum omnes sciant.

QVÆSTIO CLII.

An Nobilibus regimen in subditos competat? Dist.

NObiles potentia armatos esse aliqva; non est de nihilo. Vide supra Qvæst. II. p. 16. 17. 18. Pollent speciatim etiam, ex Jure suæ Nobilitatis, jurisdictione in pagos, vicos, castra, & alias id genus terras: qvam Princeps persæpè illis concedit: ita, ut rustici ipsi juramentum fidelitatis & subjectionis præstare cogantur: tanqvam sub eorum jurisdictione habitantes, & domicilium foventes. Qva in jurisdictione à Superiore turbari neqveunt: qvia Dominus evertere neqvit jura vasalli. Et hæc de Nobilibus mediatis ex-

exprimit *Magnificus & Præcellentissimus Dn.* Reinking *lib. 1. de Regim. Eccl&e. & Civil. Classe 5. c. 11. p. 682. n 36. ad 40.* Excludi verò non possunt Nobiles immediati, qvibus tantam potestatem communicat omnibus *Capitulatio* invictissimi LEOPOLDI I. *Art. VII. p. 468. 469.* Jurisdictionem non nuncupo... am, qvæ est summa in rebus Civilibus & criminalibus cognoscendi, statuendi, & exseqvendi potestas: definiente *Nobilissimo Dn. Hornio lib. 2. Polit. c. 2. p. 222.* Summam se eam dicere ideo affirmat Politicus cognoscendi potestatem, ut jurisdictio magistratuum separetur à Principali: Illa namq; est Ens Independens, hæc dependens. Hæc etiam ipsa, Nobili collata, differentiam admittit: qvæ tantùm est regimen seu imperium mixtum: nec admittit Definitionem illam, qvam tradit *Dn. D. Otto de Jure Publ. c. 1. p. 1.* qva describitur, legitima in subditos imperandi potestas: qvippe qvæ utrumq; comprehendit imperium, pariterq; communicabile. Jurisdictio etiam, strictè sic dicta, huc non semper pertinet: qvia ll. condendarum potestas pertinet ad jura Majestatis incommunicabilia. Ideoq; regimen istud appello potestatem à Superiore, penes qvem est sufficiens facultas, plerumqve concessam Nobili mediato, ad moderandos res subditorum civiles, salutis publicæ caussa. Mediato Nobili largior hanc copiam: qvia nullum mihi dubium, qvin utrumqve teneant, per libertatem suam, qva soli Imperatori & Imperio sunt Subjecti, Nobiles immediati. Vocem plerumqve etiam addo. Nam multi sunt Nobiles, qvibus potestas qvidem hæc, tanqvam Fundamentum Relationis, competit: tanqvam Ratio Fundandi verò negatur,

&

& Nobiles nonnullos perpetuò qvoad exercitium deficit: qvia ipsis & pagus, & vicus, & arx, & subditus deest: præsertim iis, qvi non sunt feudatarii heredes, Vid. *Dn. Wendelinus lib. 2. Instit. Polit. c. 12. p. 80. th. 1. Besold. lib. 1. Polit. c. 12. p. 475. 476. Dn. Cellarius lib. 1. Polit. c. 6. p. 72. 73. Spreng. lib. 2. Instit. Juris publ. c. 39. p. 226.*

QVÆSTIO CLIII.

An Nobilis succedat Nobili? Aff.

Liqvet hoc ex *c. Et qvia 1. Feud. 1.* per seqq. verba: Antiqvissimo tempore sic erat feudum in dominorum potestate connexum, ut, qvando vellent, possent auferre rem, in feudum à se datam. Postea verò eò ventum est, ut per annum tantùm firmitatem haberent. Deinde statutum est, ut usq; ad vitam fidelis produceretur: sed cùm hoc jure succesionis ad filios non pertineret: sic progressum est, ad filios ut deveniret: in qvem scilicet vellet beneficium hoc confirmare. Si qvis igitur, idq; per c. Seqvitur 8 Feud. 1. decesserit filiis & filiabus superstitibus: succedunt tantùm filii inæqvaliter, vel nepotes ex filio, loco sui Patris. Vide *c. Succesionis feudi. 50. Feud. 2. Plinius in Paneg. ad Traj. p. 81.* Qvæstionem confirmat hoc verborum pondere: In vestigia sedesq; nobilium immigrant pares domini: nec jam clarissimorum virorum receptacula habitatore servo teruntur: aut fœda vastitate procumbunt. Datur intueri pulcherrimas ædes, deterso situ, auctas ac vigentes. Approbat eandem *Dn. D. Otto de Jure Publ. c. 17 p. 560* eò qvòd filius succedens Patri, hujus personam repræsentet: & eum eo censea-

tur

tur una eademq; persona: idq; contingere ait non in allodialibus solùm, sed & in feudalibus. Et hæc successio est omnium etiamnum usitatissima. Videantur cæterum Dn. Feudistæ.

QVÆSTIO CLIV.

An Nobili potestas indicendi belli conveniat? Neg.

Affirmativæ sententiæ præsidium conducit *Bodinus lib. 1. de Rep. c. 10. p. 245. & p. 248.* per Instituta Regni Poloniæ, Daniæ, Sveciæ, & Norvegiæ: ubi contendere Nobilitatem ait, jura Majestatis ad se pertinere. Hinc asseverat, illicitum esse Regibus, aut bella indicere, aut indicta suscipere, sine auctoritate & consensu Nobilitatis: idq; profitentur Casimiri M. lege cautum esse: attamen cum exceptione urgentis necessitatis. Addit etiam, cum incerta sint, & paulo momento hæc regna mutabilia: prout Nobilitas Principe; aut Princeps Nobilitate potentior sit: tunc belli ac pacis summam ita pendere à Nobilitate, ut status ipse magis Aristocraticus, qvàm regalis, esse videatur. Accedit aliqvantisper ad sententiam hanc *Horn. lib. 2. Polit. cap. 2. pag. 232.* persvasum habens, bellum gerere in universum nou esse opus Majestatis: cum & privati duello possint concertare: & numerosiores familiæ, aut plurium familiarum congeries, extra Rempubl. impressionem facere, aut hostem lacessentem repellere qveant. At in Rep. bellum decernere, & civium capita hosti subjicere, solius Majestatis est. Privati enim illi Gladiatores

Reip.

Reip. nomine haud pugnant: & multitudo extra Remp. neminem vi Majestatis cogit ad expeditionem: sed qvicqvid geritur: vi præcedentium pactorum perficitur. Si mihi, qvod sentio, pace tanti Viri proferri liceret: duellum esse bellum negarem: cum qvôd certamen, qvod ipso *D. Hornio* teste, inter gladiatores accidit, vel à duobus, inter se dimicantibus, consit, bellum dici neqveat: nisi & dimicationes brutorum bella politica dici propriè velit qvispiam: tum qvôd bellum sit populorum, per vim certantium, dissidium, susceptum ad propulsandum aut vindicandum injuriam; qvomodo ipse bellum describit *lib. 2. Polit. c 5. p. 334.* tum qvòd jure bellum destituatur & forma justâ, qvodcunq; patratur invito & non jubente Principe. Jus belli definitur *Ipsi l. cit.* potestas constituendi de omnibus belli instrumentis, aut circa ipsum bellum inchoandum finiendumq; necessariis. Bellum (in Romano imperio) solus Imperator augustissimus & olim indixit, & suscepit: omnesq;, qvi eo invito gerere conabantur, criminis læsæ Majestatis fuerunt rei. *D. Otto de Jure Publ. c. 11. p. 379. & Perez de Jure Publ. p. 210. & seqq. per multa.* Hoc tempore citra scientiam, & Consilium, Consensumq; Statuum Imperii, saltem Septem Electorum, bellum decernere neqvit Imperator. *Capitul. Augustissimi* LEOPOLDI I. *Artic. 11. p. 414. Nobilissimo ac Excellentissimo Dn. D. Cellario lib. 2. Polit. c. 11. p. 226. n. 2. & 3.* qvi ipse superioribus hæc præmittit: Belligerandi potestas est in

regno penes regem: in Ariſtocratia penes Optimates: in Politia penes populum: in Mixta e. g. ex Regno & Ariſtocratia vel eſt penes unum: vel penes optimates, uno plures: vel penes unum & Optimates ſimul. *Clapmar. lib. 1. de Arcanis Rerump. c. 20. p. 34.* De Nobilitate immediata concedo qvæſtionem cum per *l. tit. ex d. cbpitul. tum per Art. 9. Capit illius.* Cui enim fœdera licita ſunt: ei bellum vetitum eſſe vix percipitur. Cumq; dum hæc ſcribo, bellum propiùs abeſſe cervicibus Germanæ, è ſuperiori ægritudine vix reconvaleſcenti, nuncient rumores non prorſus fallaces: magnumq; proh dolor! ſit in eo bello mali, in qvo, ſpe pacis excluſa, ipſa victoria eſt acerbisſima: qvæ aut allatura eſt interitum victis, aut vincenti ſervitutem: *Cic. lib. Epiſt. ad Fam. Epiſt. 21. T. 3. p. 101. Lit. D & E.* Princeps pacis calidisſimo precatu eſt orandus, conterat, qvæ ejus eſt ſumma per univerſum terrarum orbem decantata potentia, qvi in peculium ipſius ex orci faucibus, divino ereptum ſangvine, amor nunqvam mutabilis, arma univerſa, Halcyoniaq; eidem reducat propediem, qvibus denuò turbandis & evertendis ne ipſa qvidem ex orco proditura ſcelerum colluvio ſit unqvam!

QVÆSTIO CLV.

An jus venandi Nobilibus competat? Diſt.

VEnandi ſtudium intra moderationis terminos laudem promeretur non unam: utpote qvod æqvè, ac ſtudium literarum, voluptate non caret: qvippe, judicio *Plinii Junioris lib. 1. Epiſt. 6. ſcripta ad Cornel. Tacit. pag. 8.* Diana non magis montibus, ac Minerva, iner-

inerret. Nomen id ipſum celebre ſibi adſcivit, vario ex fonte hauſtum. Exercitium ejus primum ad autores Phœnices refert *Polyd. Vergil. lib. 3. de Rer. Invent. c. 5. p. 219.* qvod promovit C. Julius Cæſar, *Svet. memorante in Ipſo. c. 19. p. 6.* non ſine lucro; qvippe communium impenſarum, ſolus gratiam capit: qvem ſecuta invicta Romana gens, non Primoribus id tantum tribuit: qvod hauſiſſe videtur ſibi *Dn. Schönb. lib. 2. Polit. c. 28. p. 213.* ex verbis Poëtæ Venuſini *lib. 1. Epiſt. 18. T. 2. p. 334.* his verborum qvàm lepidis ornamentis: qvibus inferioris ſubmiſſionem ad potentioris nutum componere ſtudet, uſi:

Nec cum venari volet ille, poëmata panges.
Gratia ſic fratrum geminorum Amphionis, atq;
Zethi disſiluit: donec ſuſpecta ſevero
Conticuit lyra. Fraternis ceſſiſſe putatur
Moribus Amphion. Tu cede Potentis Amici
Lenibus imperiis: qvotiesq; educet in agros
Ætolis onerata plagis jumenta, canesq;:
Surge & in humanæ ſenium depone Camœnæ;
Cœnes ut pariter pulmenta, laboribus emta;
Romanis ſolemne Viris opus, utile famæ
Vitæq;, & membris, præſertim cum valeas, &
Vel curſu ſuperare canem, vel viribus aprum
Posſis. Adde, virilia qvòd ſpecioſius arma
Non ſit, qvi tractat;

Sed omnibus ſimul: qvòd verba Horatii in Indefinita Enunciatione acqvieſcant: id qvod nulli eſt obſcurum. Præterea *idem lib. 3. Carm. Oda 24. T. 1. p. 150.* ita canit:

--- --- Neſcit eqvo rudis
Hærere ingenuus puer:
Venariq; timet ludere doctior,

Seu Græco jubeas trocho:
Seu malis vetitâ legibus alea.

Unde manifestum est, & qvidem ex secundo versu laudato: ingenuos magis adsvefactos fuisse ad literas imbibendas, qvàm ad venationis exercitium: & idem incubuisse magis plebejis. Idem nec suo caret usu. *Herodotus in Melpomene p. 265.* continguos refert Thyssagatis, iisdem habitantis locis, qvibus inditum nomen est Irycæ, qvos hoc modo victum sibi per venationem qværere ait. Conscensis arboribus, qvæ per omnem regionem freqventes sunt, insidiantur. Singulis adest canis, item eqvus, in ventrem cubare edoctus humiliùs, subsidendi gratia. Ubi qvis ab arbore feram viderit: sagittaqꝫ percusserit: conscenso eqvo illam perseqvitur, comitante cane. Redundare ad hæc fructum ex hoc studio in Historiarum cognitionem perfectiorem, persvadere nititur, sed non memorato Effectu vel Conseqvente: *Bodinus in Methodo Hist. p. 497.* qvi Historicum sæpè venationibus interesse jubet. Qvid? qvòd hoc ipsum Mithridates, Rex Ponti, veritus, ne inimici, qvod veneno non poterant, ferro peragerent, finxit: ejusqꝫ studiosus, per septem annos neqve urbis, neqve ruris tecto usus est: sed per sylvas vagatus, diversis montium regionibus pernoctabat: ignaris omnibus, qvibus esset locis: adsvetus feras cursu aut fugare, aut perseqvi, cum qvibusdam etiam viribus congredi. Qvibus rebus & insidias Rex vitavit, & corpus ad omnem virtutis patientiam duravit. *Justin. lib. 37. cap. 2. p. 287. n. 7. 8. 9.* Unde liqvet, & errâsse *Petr. Victorium lib. 6. Var. Lect. c. 1. p. 118.* qvi venandi studium servile opus nominat: & eos, qvi jure gentium id Accidens commune statuunt. Hoc videns

dens *Nobilissimus & Consultissimus Dn. Hornius*, venatione ſubditis interdictum eſſe ſentit: *lib. 2. Polit. c. 3. p. 257. 258.* Hanc ſuam ſententiam probat ex Majeſtatis dominio in territorium: qvod fundamentum eſſe interdicti putat. Specialiter & eidem dominio ſylvas, & in iis naſcentia ſubjicit. Qvem ſeqvitur *Dn. Spreng. lib. 2. Inſt. Juris Publ. cap. 13. pag. 228. 229. & c. 42. p. 341. 342. Arniſ. lib. 3. de Jure Majeſt. cap. 4. p. 527. 528. 529. Nobiliſſimus & Excellentiſſimus Dn. D. Ludwel in Com. in Inſtit.* ubi aliqvot ſimul authores laudat. Qvibus tandem hæc addit: Superiores modò operam dent, ne feræ privatorum agros depaſcantur, &, ſi aliter fiat, damnum reſtituendum eſſe ſcribit. Cui conſentit *Dn. Vennius in Com. in Inſtit. Imperial. p. 683. & Dn. Perez in Inſtit. Imper. pag. 474. 475.* At venantes contra Interdictum Principis ſupplicio afficiendos negat. Retur enim, nec immerito, inter delictum & pœnam ſemper debere eſſe proportionem: *per l. Perſpiciendum. 11. in pr. ff. de pœnis.* qvæ judicantem jubet perſpicere, ne qvid durius, aut remisſius, conſtituatur, qvàm cauſſa depoſcat: qvalis ipſi inter capturam feræ beſtiæ & vitam hominis nulla eſſe videtur. Argnmenti vim petit à *l. 28. §. 1. ff. de Uſur.* Conſentientesq́; ſimul aliqvot Authorum citat. A *Dn. D. Ludwel* dato diverticulo, redeo ad Qvæſtionem, & *c. Fridericus 27. Feud. 2. §. 5.* confirmo, interdictum eſſe à FRIDERICO Imperatore, ut nemo retia ſua, aut laqveos, aut alia qvælibet inſtrumenta ad capiendas venationes tendat, niſi ad urſos, eqvos, vel lupos capiendos. Qvin & *l. occidendorum. C. de venat. fer. ab Impp.* Honorio & Theodoſio, ſolus Leonum venatus conceſſus eſt. Superioribus qvidem ſeculis omnia animalia, qvæ terra, mari, cœlo capiuntur, i. e. feræ beſtiæ;

& volucres, & pisces, capientium fiebant, sic respondente, *Gaio l. qvarundam. 1. §. Gravia. 1. ff. de acqvir. rer. domin.* Verùm hoc jus fuit ab Impp. abrogatum ll. antè citatis. Eodem res recidit cum *§. Feræ igitur, 12. Instit. de rerum. divis.* in qvem vide *Dn. Vennium in Com. p. 156. 157. & pr. l. Usufructuarium. 92. ff. de Usufructu, & qvemadmodum &c.* Affirmativa jure divino solidatur ex *v. 26. c. 1. Genes.* Faciamus, inqvit ibi SUMMA OMNIUM MAJESTAS, hominem ad imaginem & similitudinem nostram, qvi dominetur piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, universæq; terræ, & reptili, qvod movetur in terra: ubi notandam puto vocem Haschamaim, à Pagnino animam viventem versam, eandem cum sexu gemino innuere: adhæc cuiq; commati notam Universalitatis additam: qvæ acrius urget. Idem defendere videtur *cum vers. 19. & 20. c. 2. Genes.* ὀνοματοθεσία universæ bestiæ: pariterq; *v. 1. & 2. c. 9. Genes.* ubi idem dominium universale, & qvidem post lapsum, traditum, Protoplastis iteratur, & qvasi tabulis continuis & perpetuis confirmatur, nulli hominum evertendum. Omnia sunt tradita in vestram manum: inqvit Emphaticè Pagninus. Unde liqvet, Nobili cuiq; & Plebejo, ac Principi commune esse jus venationis: qvòd toti humanæ genti, adeoq; singulis Individuis liberrimus campus, jura venationis publicans, pateat. Videatur *Nobilissimus, Amplissimus, ac Excellentissimus Dn. D. Gerhardus in Com. in Gannf. p. 29. §. 3. p. 30. Quæst. 5. & p. 31. Quæst. 6.* Ubi ostendit, Usucapionem hodie violentam esse ferarum & artificiosam: qvanqvam, præmissa veniæ petitione, de dominio mihi hîc nullum dubium suboriatur. Timor enim omnibus, exceptis certis qvibusdam casibus, inest etiamnum

feris,

ſeris, licèt non tam vehemens, ac olim: & jus & dominium perſpicuè, qvod ante dixi, confirmatum eſt Nocho. *Ultimus decrepiti orbis Elias, admirandus Dn. D. Lutherus T. IV. Jehn. Germ. p. 57. col. 2. inf. in cap. 9. Benef.* Jus illud Specici toti applicat: & hinc non obſcurum eſt, firmari hîc intenſivè jus gentium: qvod jus civile debilitat: utut ſit immutabile, & omnes conſtringat. *Horn. lib. 2. Polit. c. 2. p. 202. 203.* interdum ſumit *καταχρηστικῶς*: nec huc pertinet. Sunt qvoq; inter JCtos non infimi, qvi jus venandi regale eſſe Principis negant: qvos recenſet *Dn. D. Otto de Jure Publ. c. 11. p. 437.* ubi ſimul Dn. Opponentes nonnullos laudat. Qvid? Venationis communis ablatio tyrannidem arguit: aut ſaltem arguere videtur citra adulationis nubem rem contemplanti. Demonſtrat Nimrodus, potens ille venator *Geneſ. 10. v. 9.* Contemptor ille DEI, ac in DEUM injurioſus & Rebellis: *Joſephi lib. 1. Antiq. Jud. c. 9. p. 4. col. 2.* primus venator hominum, primus bellator, tyrannus, & monarcha: Magnifici ac plurimùm reverendi *Dn. D. Chriſtophori Pelargi, Profeſſoris SS. Theol. in illuſtriſſima Academia Viadrina olim celeberrimi, Inſpectoris Eccleſiæ Francofordiæ cis Viadrum, ut & inter vicinos Chriſto Salvatori colligendæ, Clariſſimi, Generalis item totius Marchiæ Superattendentis excellentiſſimi:* Saturnus Babyloniæ: *Beroſi lib. 4. Rer. Antiq. pag. 334. col. 2. & Metaſthenis de Judicio Temp. & Annal. Perſarum. pag. 339. col. 1.* judicio: pariterq; omnibus Hebræis tyrannus habitus ac reprehenſus, teſtimonio antè laudati *Dn. D. Gerhardi in Com. in Geneſ. p. 261.* circa finem. Pagninus vertit: Potens in terra venatione coram Domini & fortis Nimrod. Eſavus tandem complet certitudinem de ſenſu meo *Geneſ. 27. v. 3. 4. item v. 30. 31. deniq; v. 40.*

Pagni-

Pagnini verba Emphatica ita habent: Senui nunc; Tuum arcum & tuam pharetram, tum inſtrumenta qvæſo tolle: (Hem! flagrantisſimum venandi deſiderium ſtudiumq; indefeſſum!) venationem mihi venare, & in agrum egredere: & affer: & mediorum verſiculorum verba comitatis & ſvavitatis ſale ſunt adſperſa: qvibus tyrannidem ſignari autores ſunt *Dn. D. Gerh. in Com. in Geneſ. p. 255. 256. 257.* Nec abludit *Dn. D. Otto de Jure Publ. c. 1. p. 6. & 7.* jam memorati Summi Theologi verba extenſiora ita contrahens: Dicitur Nimrod tyrannidem & potestatem dominandi in invitos adhibuiſſe, armis in initimos & alios poſteros illatis: Unde omnia imperia primum cœpiſſe dicit *Bodin. de Rep. lib. 1. c. 6. & lib. 4. c. 1.* qvem notat *Schönbörn. lib. 1. Polit. c. 4.* Qvi eam ob cauſſam in ſacris literis robuſtus venator *Geneſ. 10. & 1. Paralip. 5.* i. e. hominum oppreſſor & extinctor, appellatur. Nam hoc loqvendi genus apud Hebræos latronem ſignificare, teſtatur *Pſ. XCI. v. 3.* à laqveo venatoris, atq; peſte exitiali te liberabit: Ut etiam Ariſtoteles latrocinium ſeu λῃστείαν poſuerit inter genera venationis. Inſuper ex *Sleidani T. 1. de Statu Relig. lib. 5. p. 159. col. 2. & p. 160. col. 1. & 2.* manifeſtum eſt, Sveviæ plebem aliqvando moviſſe in Magiſtratum ſuum, ob negatam communem poteſtatem venandi: eò qvòd à condito mundo DEUS dederit homini jus & imperium in omnis generis animantia. Et hæc qvidem de Jure Divino & naturali ſcribo: de jure gentium in univerſum vel communem fuiſſe ſubditis, ſive Nobilibus, ſive ignobilibus: ſive proprium ſolis Principibus venatum: omnino probatione eget. Ex Jure civili verò in certa regna: in Romanum imperium per Placita Principum & leges in-

inductum esse, exploratum habeo: atqve inde factum regale Principis, & juribus majestatis additum, nemo facilè negaverit. Qvæ res author est, ut, qvi huic juri detrahere contumax ausit, injurius verè in Principem habendus sit. Hæc ipsa tamen jura Nobilitati, & civitatibus nonnullis communicavit Principum peculiaris gratia: & id privilegium moratur Eadem adhuc apud Eandem: non jure antiqvo, sed nova pietate. Principem veretur, qvicunq; DEUM colit: cujus iste in terris est vicarius: nec refragatur illi in minimis, ne DEUM offendat in maximo eorum, qvos terra portat. Scit pius Nobilis, sibi gloriam obseqvii relictam esse subdito: qvod DEUS ipse exigit: *Rom. 13. v. 1, & 7.* Græci Codicis elegantia & virtus altiùs progreditur. Mandat universis, qvod exigit à singulis, inqviens: πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑποτασσέσθω· οὐ γὰρ ἔστιν ἐξουσία, εἰ μὴ ἀπὸ θεοῦ· αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι· ὑπὸ τοῦ θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν· i. e. Omnis anima Potestatibus obseqvitor. Non enim est Potestas, nisi à DEO. Qvæcunq; verò sunt potestates: à DEO constitutæ sunt. Nec reqvirit à subditis ἀδύνατα, seu qvæ fieri neqveunt: obseqvium poscit: Salvatorem, universi imitari jubens, qvi, æqvalis DEO Patri in cœlis, obedientiam in ipsa morte subeunda præstitit in terris, ut commendaret omnibus obseqvium in Superiorem: & eo aditum sterneret ad immortalem excellentiam in cœlis, olim profusam, denuò obtinendam. Gulæ fræcnum hæc injicit obedientia: ne vel corpus langvidum reddat & infirmum: vel animum vitiis repleat, *Card. de Arcan. Prud. Civil. c. 18. p. 546.* Qvid in solo cervo vel caprea, vel apro, vel paucis etiam avibus deliciarum qværis? Patent tibi montes, sylvæ, campi. Hi tibi commu-

municant omnia, præter paucissima, qvæ Principis Tui steriles noctes non paucas, non è digitis suis, numerantis, solatio levaminiqꝫ inter tristes aularum curas, relinqvunt. Non offendes DEUM, autorem licèt priorum jurium: dum obseqvium tuum Eundem in Ministro hoc DEI maximo in terris exoscularis. Salvatori Tuo liberatur à culpa, solvitur supplicio prostitutæ pudicitiæ muliercula, Accusatores suos labe forsan copiosiore conspurcatos, pudore suffusos fugans: *Joh. 8. v. 3. ad 12.* Scilicet non venerat ad labefactandum Politias, & leges earum: sed ad convocandam conscribendamqꝫ gentem, qvæ ante solium cœleste, in ipsa æternitate, rorum. Legat proinde vestigia serena tantæ potentiæ generosa Nobilitas, & Vicarium Ejus Principem animo contumaciæ vacuo invitet, ut per donationem possideat, qvod jure rigido nancisci integrum non est: gloriamqꝫ sibi putet inde emanaturam palmariam, obseqvio suo publicè exscribenti aurea Catonis verba: CEDE MAJORI. Invitârunt procul dubio hoc ipsò omnes Nobiles Principes suos inde à privilegiorum horum cunabulis, & copiam venandi sibi pepererunt. Autor hujus assertionis mihi est *Nobilissimus ac JCtissimus Dn. Vennius*, & qvi hunc illustriorem Orbi Literato reddidit *Nobilissimus ac Excellentissimus Dn. D. Johannes Ernestus Noricus*, incomparabilibus justitiæ, passim jam prostratæ, vindicibus, Heroibus immortalibus, PRINCIPIBUS SAXONIÆ ex hoc ipso nomine non Europæ solùm suæ, sed & imminentibus eidem undiqve perduellibus, formidandis, CHRISTIA-

STIANIS, PARENTI & GNATO, possessione tam pretiosa felicissimis, Reverendissimo, Potentissimis, Illustrissimis, Serenissimis, Dominis, Dominis meis gratiosissimis, Martisburgi, MEROVÆI, Francorum Regis, si penes *Calvisium in opere Chronol. p. 551. col. 1, in pr. Edit. IV. & Dresser. in Poligraphia pag. 368.* fides, multis intervallis virtutem superantibus, vel inter epulas, qvæ tantorum PRINCIPUM perennans & perqvam spectatissima est modestia & humanitas, familiarissimus. Nempe uterq; me docet *in Com. in Instit. Imperial. p. 157, 158.* Hodiè Electores, Principes, Comites, Barones, Nobiles, atq; qvorundam Civitatum Primores jus venandi ita sibi vindicâsse, ut nulli ex subditis, imprimis autem rusticis, feras bestias venari liceat. Imò nec in propriis qvidem agris & sylvis: nisi illud ex singulari gratia à Dominis suis impetraverint, **daß ihnen die hohen Jagten außdrücklich verliehen seyn.** Simplici enim venationis concessione tantùm minorum ferarum venatio indulta intelligitur. Vide ibidem citatos JCtos. Qvibus hoc notandum addo, Nobilibus immediatis imperii jus venationis perpetuò competere: qvod innuunt Libertas ipsorum: pariterq; regalia, qvæ eos habere scribit *consensu Wesenbecii & Vulteji Dn. D. Otto de Jure Publ. c. 19. p. 650.* Mediatis omnibus & singulis hac tempestate & ubiq; extra etiam imperium Romanum, hæc communis non est facultas: qvanqvam nec hoc negandum est, referente *Dn. Lansio in Consult. Princip. p. 105.* venationum oblectamenta Eqvestri ordini Galliarum, sine injuria agricolarum, esse concessa.

QVÆSTIO CLVI.

An Nobili liceat cudere monetam? Dist.

Omnem commutationem vel mercibus, vel pecudibus, vel tandem ære olim factam esse, sunt, qvi inter Antiqvos memorent non ultimi subsellii. Illius testem se præbet totius eloqventiæ author eminentissimus, *Lud. Cæl. Rhodig. lib. 23. Lect. Antiq. c. 7. p. 1278. Lit. G.* Miraculum ingeniorum, *Bertillo Canuto, Danorum Socrati, in Excusat. pro opere p. 3.* & primus & ac sapientissimus Poëtarum, *Lips. lib. 1. de Const. c. 17. p. 48. Homerus lib. ἰλιάδ. η. p. 264* canens: qvos versus *Dn. Arnis. lib. 2. de Jure Majest. c. 7. p. 27. falsò in ὀδυσσ. liberum α.* rejicit.

> ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες ἀχαιοὶ·
> ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ,
> ἄλλοι ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βόεσσιν,
> ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι.

Qvos versus ita interpretari sustinui.

> Illinc nam est crispus vinum mercatus Achivus;
> Ære qvidem qvidam, ferri fulgore sed alter:
> Pellibus ast alii: bubus non nemo sed ipsis:
> Mancipiis alii pariter.

Qvibus tamen in versibus Poëtæ æs mercibus jungitur. Istius author est *Fabricius in Com. in Virg p. 5. Lit. C.* Omne patrimonium, inqvit, apud Majores peculium dicebatur, à pecoribus, in qvibus eorum universa constabat substantia: unde etiam pecunia dicta est à peculio: Et ideo, cum numus percussus fuit, figura pecoris percussus fuit. Vide *Varronem lib. 1. de Re Rust. c. 17. p. 27. & lib. 2. c. 1. p. 60.* Pecunia tandem horum in locum

ob

ob multas commoditates, succesfit, *teste Plinio lib. 33. N. H. c. 3. p. 594.* Servius enim Rex primus signavit æs: Antea rudi usos Romæ, Remeus tradit. Signata est nota pecudum: unde & pecunia est appellata. *Horn. lib. 2. Polit. c. 6. p. 350.* Æra verò vocabant multam pecuniariam, qvam portitores aut Scripturarii imponebant. *Lips. lib. 5. Antiq. Lect. c 3. pag. 182.* Æsq; resignatum dicebatur militi, cùm ob delictum aliqvod jussi Tribuni militum, ne stipendium ei detur; nec in tabulas referatur. Resignare enim Antiqvi pro rescribere interdum dicebant. *Lips. lib. 5. de Milit. Rom. Dial. 18. p. 351.* Ipsa postea & signata vocabatur *Qvintil. lib. 5. Orat. Instit. c. 41. p. 294.* Numus, qvem Græcos ἀπὸ τῷ νόμῳ seu à lege νόμισμα dixisse ait *Donaldson. lib. 3. Synops. Eth. c 7. p. 210.* Ideò inde cunas suas, *Bodino monente lib. 1. de Rep. c. 10. p. 262.* adeptus fertur, qvòd nihil, post legem, magis in Rep. necessarium est, qvam numorum pressura, pondus, imago: signabat post alia vel unicalem argenteum (einen Reichsthaler) *Hostus lib. 1. Rei Numariæ c. 1. p. 16.* æs qvoq; Proscriptis solvendum (einen Bannpfennig) Lehm. in der Speyr. Chron. *lib. 4. c 22. p 363. col. 2. Lit. D.* Item in Collectis cogendum (einen Schoßpfennig) *Id. ibid p. 364. col 1. Lit. B.* De ejus inventione consule *Polyd. Verg. lib. 2. de Rer. Invent. c 20. p 177. Alex. ab Alex. lib. 4. Gen. Dier. c. 15. p 360. Horn. lib 2. Polit. c. 6. p. 347.* Ejus vices subiit vox moneta: qvam dictam credi à monendo, ait *Dn. D. Otto de Jure Publ. c. 11. p. 423. 424.* vel qvòd moneat subditos Principis effigies monetæ impressa, eidem se magistratui subjectos, cujus imaginem in moneta inspiciant: vel qvod moneat, neqvid fraudis in ære, signo, aut pondere fiat. In pretio Ro-

mæ tanto fuisse, *Livius lib. 6. Dec. 1. p. 129. Lit. D.* monetam scribit, ut, cum M. Manlius, patricius *Tacito lib. 4. Histor. c. 10. p. 562.* & ordinis Senatorii vir, tyrannidis manifestæ convictus, & de Saxo Tarpejo dejectus, addita ipsi nota, ne in ea familia qvispiam Marcus vocaretur, ædibus ejus destructis, inibi ædes Monetæ conderetur: pecuniamq; Romæ in templis depositam fuisse, memorat *Lips. in Com. in Tacit. p. 6.* Ejus cudendæ jus & potestatem cum multis assentientibus JCtis docet *Dn. D. Otto de Jure Publ. c. 11. p. 423.* Imperatori & Statibus Imperii regale, qvod vocat Dominorum Publicistarum chorus, esse. Nec diffitetur *Capitul.* LEOPOLDI I. *potentissimi Art. 33. p. 510.* Und nachdeme im Reiche viele Beschwerungen und Mängel der Müntze halben bisshero gewesen: und noch sind: wollen wir denselben zum förderlichsten mit Rath der Churfürsten/ und Ständen des Reiches/ zuvor kommen/ und in beständige Ordnung und Wesen zu stellen möglichsten Fleiß fürwenden: auch zu dem Ende die jenige Mittel/ so in Anno 1603 und auf vorigen Reichstägen/ durch Churfürsten/ Fürsten und Ständen des Reichs ingemein bedacht/ in gute Obacht nehmen/ und/ was ferner Zuträgliches zu Abwendung solcher langgewährten Unrichtigkeit auf dem prorogirten nechsten Reichstage vor gut befunden werden möchte/ zumahlen nichts unterlassen. Hoc cudendi monetam jus, qvod olim Romæ erat penes triumviros, in se transtulisse Cæsares scribet *Clapmarius lib. 1. de Arcan. Rerump. c. 16. p. 27. 28.* idq; confirmat authoritate: dein addit: Præter enim Principem nemini licuit monetas cudere, vel

vel sui imagine signare. Majestatis enim est, prospicere, neqvid Resp. detrimenti patiatur, neve pacata ejus gubernatio perturbetur: qvod vix ex alia re promptius accidere solet, qvàm ex moneta. *Novel. Leonis 52.* Mutata enim rerum mensura, vel turbata, omnia reliqva turbari vel mutari necesse est. *Dn. Arnis. lib. 2. de Jure Majest. cap. 6. pag. 428.* Qvin monetas non tantùm Imperator FRIDERICUS *in c. Regalia 56. Feud. 2.* inter regalia recensuit: qvod notavit *Id. Arnis. lib. 3. de Jure Majest. cap. 7 p. 430* Sed & Imperator CONSTANTINUS *l. 2. C. de falsa moneta.* Calculo hæc ipsa suo approbat. *Excellentissimus Dn. D. Cellarius lib. 2. Polit. c. 15. p. 269. §. 2. & 3.* Potestas cudendi monetam in regno pertinet ad Regem, in Aristocratia ad Optimates, in Politia ad populum. In nostra Republ. Romano-Germanica potestas illa est penes Imperatorem & imperii Status communiter, *ut tradit. Arnis. l. 2. Relect. Polit. c. 6. Sect. 5. n. 33.* In Regno Angliæ cudendæ jus monetæ ita proprium sibi Rex habuit, ut eam alibi, qvàm in turre Londinensi, insigniri non passus fuerit: ut testis est rursus *Arnis. lib. 2. de Jure Majest. c. 7.* Penes qvoscunq; autem jus & potestas circa Monetam summa est: illi non tantùm monetam cudere, sed valorem etiam illi indere valent. Tantum enim moneta valet: qvantum illi illam valere voluerint: qvi etiam efficere possunt, ut coriaceus seu papyraceus numus tanti valoris esset alicubi, qvanti alibi

bi aureus vel argenteus. Nec obstat, ut proprietas hac Majestati competat, qvò minùs Principes Germaniæ, & hujus Italiæq; civitates sibi longo usu tribuerint: ut & Prutheni, initâ cum Polonis unione, sibi retinuerint *Id. l. cit. c. 2. p. 237.* Nec ullum jurium majestatis est, qvod faciliùs inferioribus communicetur, vel concessione, vel Præscriptione, ut est communis opinio *Id. c. 7. p. 434.* Imò per hoc jus majestatis cudendæ monetæ jura solùm, ut dicit *Gunth. lib. 8.* & vulgò interpretantur Feudistæ: sed universum jus monetarum, qvod MAXIMILIANUS II. *in Const. anni 70. §.* Und dieweil man. *juncto §. præcedente vocat* die Müntzgerechtigkeit / intelligere debemus. *Id. ibid. p. 435.* Hoc jure etiamnum utuntur Princeps Auraniæ, & Comitatus Avenionensis, qvi tamen imperium regium non agnoscunt. In Germania qvis nescit verum esse? qvod dicit Zasius. Adeo ne minimæ qvidem civitates hoc privilegio destituuntur: Hoxarium, Halberstadium, Hannovera, Osnabrugum, Mynda, Monasterium, Hildesheimium, Gottinga, Northemium, Brunsviga, Rostochium, Sunda, Stetinum, & infinitæ aliæ: qvarum fit mentio in *Constit. Monetal.* FERDINANDI *de Anno 1559. Id ibid. p. 434. Vide Dn. D. Cellar. lib 2. Polit. c. 15 p. 270. 271. §. 8. 9.* De Nobilibus Immediatis, cum sint, qvod antè est demonstratum, Status imperii: adhæc libertas & regalia ipsis competant: qvin & supra memoratæ sint civitates, qvæ non accensentur civitatibus Imperii liberis: qvibus tamen est ista potestas: Vide *Limn. lib. 1. de Jure Publ. c. 7. p. 79. 80. &* Reinking *lib. 1 de Regim. Ecclesiast. & Civili Classe IV. c. 1. p. 331. &c.* ex rationibus istis, jus istud ipsis non denegari posse conjicio. Aliud

sta-

statuendum mihi censeo de Nobilibus mediatis. Lego qvidem apud *Amplissimum Dn. Spreng. lib. 3. Instit. Juris Publ. c. 33. p. 503.* Lindaviæ Monasterio B. Virginis præfuisse Abbatissam, cui licuerit & cudere monetas, & imperium merum exercere: ast cum ex solo aliqvo Individuo ad Speciem & Genus inferre vetet Dn. Logicorum chorus: experientia contraria destitutus: adhæc ejusmodi communem cudendi monetam potestatem, in Nobilibus mediatis, non unam in Politia absurditatem, gignere videns, nihil his certi iis in præsens adsignavero.

QVÆSTIO CLVII.

An homagium Nobili competat? Aff.

HOmagium, ut, qvid sit, appareat, definio ex Methodi lege, qvam præscribit *Magnificus & JCtissimus Dn. D. Brunnemannus lib. 1. Enchir. Log. c. 5. p. 89.* actionem legitimam & voluntariam, qva civis subditus se ad fidem, obedientiam, & cultum, perpetuò legitime Imperanti præstandum obligat, jurejurando addito. Hinc *Excellentissimus Dn.* Reinking *lib. 1. de Regim. Eccles. & Polit. classe 2 c. 2. p. 68. n. 88.* Homagium præstare nihil dicit esse aliud, qvàm subjectionis & obedientiæ juramentum subire. Hoc præstare tenentur omnes, qvicunq; in subditorum catalogum sunt relati, sive Laici, seu Clerici & Ecclesiastici fuerint. Cum enim Ecclesiastici, ratione personæ, Imperantibus sint subjecti: illisq; etiam dictum sit: Subditi estote omni humanæ ordinationi: *1. Pet. 2.*

v. 13. Ita imperantibus homagii præstationem detrectare non possunt. Qvia tamen tales fide digni habentur; multis in locis ab illis homagium non exigitur: aut sine juramento pollicentur illi, qvod alii mediante illo polliceri coguntur. *Dn. D. Cell. lib. 2. Polit. c. 308. 309. §. 7. Dn.* Reinking *lib. 1. de Regim. Eccles. & Polit. Classe. V. c. 4. p. 582. §. 42.* Clericos ab hoc juramento exemptos esse dicit *per c. Nimis 30. cap seq. X. de Jurejurando:* indeq; Pastores aulicos à juramento officii immunes esse, qvamvis æqvè, ac alii, ad observantiam eorum, qvæ in tali juramento offici sive domesticitatis continentur, obstricti sint: id qvod notat *Joh.* Koppen *observat. Feud. 6. num. 2.* Nobilitatem universam, nisi Principis peculiari Clementia veniam remissionis Eidem gratificetur, ad Homagium, Principi suo præstandum, omnino obligari nullus asserere vereor. Humanitatis ingenium huc vocat. Homagium nimirum à voce Lombardorum Hominio disputat. *Dn. Cell. l. c. p. 306. §. 2.* qvod, juramento præstito is, qvi præstat, homo, i. e. subditus esse ostendatur. Huc me jure æqvissimo accommodari posse credo *v. 1. c. 13. Epist. ad Rom.* πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω. Omnis anima (scil. λογικὴ seu rationalis) Potestatibus supereminentibus subjecta esto. En! simul imperium Regum Regis, omnes sine clausula, qvibus anima est rationalis (nam bruta non obstringuntur) ad obedientiã probandam obligantis. Cives adhæc se norunt, nataliũ splendore illustres, omnes Reip. obligari: qvæ civitatis jura nemo, nisi audaculus, renuat. Ut enim corpora nostra sine mente: ita nec civitas sine lege,

qva

qva non eſt fortior ac validior, excepto juramento, ſuis partibus, ut nervis ac ſangvine, & membris uti non poteſt: *Qvintil. lib. 5. Orat. Inſtit. c. 11. p. 293.* Princeps Nobilitatem clypeo potentiæ ſuæ protegit: qvæ enim, niſi

Servare cives, major eſt PATRIÆ PATRI virtus? *Sen. in octav. act. 2. ſc. 2. p. 341.* Qvid autem deferre Principi, & Patri Communi acceptius, te cupidè tuenti, poteris? qvid charius eà ipſi obſignare valebis? Laudatur ſcilicet, & inter maxima humani generis bona, fides colitur. *Sen. 2. Benef. c. 19. p. 12.* & ſine ejus adminiculo nullam certum eſt conſtare inter homines ſocietatem. *Barth. in Com. in Claud. p. 153. col. 2.* Ad qvam liberandum non opus eſt facultatibus, ſed animo. *Sen. 4. de Benef. c. 1. p. 1.* qvi hic obſtringitur, & DEUM fidelitatis teſtem invocat. Qvid enim eſt jurare? niſi eum, qvem teſtare fidei tuæ præſulem, divinam potentiam profiteri. *Ambroſ. in Reſponſor. ad Epiſt. 61. lib. 10. Symmachi p. 443.* Juramentum autem cum in immediata, tum in mediata Nobilitate, differentiam tantùm qvoad Objectum Perſonale concedens idem ſtatuo: nempe feudi vel vaſalli: die Landes oder Erbhuldigung: cujus ſumma eſt, qvòd jurans pollicetur, ſibi perpetuò curæ eſſe futuram vitam, corpus, honorem, & commodum Domini, getreu / hold / und gehorſam zu ſeyn: *Maul. de Homag. Tit. 1.* Et: Was ein getreuer Landſaſſe und Unterthaner ſeinem rechten Erbherrn und Landesfürſten zu thun ſchuldig iſt. Reinking *lib. 1. Reg. Eccl. & Civ. Claſſe V. c. 4. p. 579. n. 27.*

 Qvod

Qvod si etiam Nobilis qvispiam Sacramento dixerit: *Lips. lib. 2. de Milit. Rom. dial. 1. p. 47. Sen. de vita beata. c. 15. p. 657. Lips. in Com. p. 665. n. 104. 105. 106.* juramento subjectionis se obstringat Principi suo: qvid peccaverit libera Nobilis modestia? divinas omnes anteiens, pretia universa à tergo relinqvens. *Bernh. serm. 4. in Vigil. Nativ. Dom. p. 42. Lit. K.* Is ipse è tumba sua Nobilem qvemq; verbis *Homil. 1. semper missus est p. 8. Lit. B.* acclamat: Disce, homo, obedire! Disce, terra subdi! Disce, pulvis, obtemperare! Non servitutem; sed fidem exigit Pater Patriæ: qvæ maxima est libertas. Vide *Besold. lib. 1. Polit. c. 15. p. 164. §. 3. & Scalig. lib. 1. Lect. Auson. c. 28. p. 79.*

QVÆSTIO CLVIII.

An Nobilibus liceat testamentum condere? Aff.

Testamentum à testatione mentis dici, censet *§. 1. Instit. de Testam. ordinand.* Hanc Etymologiam veram esse negat, sed allusionem tantum credit. *Dn. D. Noricus in Com. in Instit. Imperial. p. 242.* Videtur firmamentum suum capere ex Loco Parium: unde tamen parum Patrocinii ipsi enasci autumo: qvòd hic Locus non tam probet, qvàm illustret. Addo & hoc, peti qvoq; principium: Facere cogor cum *Magnifico & Excellentissimo Dn. D. Brunnemanno lib. 3. Enchir. Log. memb. 2. c. 2. p. 330.* Ubi ita præcipit consultè: Origo vocis vel vera est, vel qvasi. Illa Grammatica est: hæc est allusio: rei tamen conveniens: & ab Authoribus approbata: qvæ usitata erat Stoicis, horumq; discipulis JCtis. Ab origine autem seu Etymologia & ab allusione argumentamur.

ramur affirmativè & negativè. Qvi canon limitatur, & restringitur, & ad Appellativa sola, & ad derivationis rationem, voci competentem, nec excedentem ab ea. *p 331.* Etymologiam hanc confirmat ipsa Definitio Testamenti, qvam exposuit luci *Modestinus l. Testamentum 1. ff. de iis, qvi testamenta facere possunt &c.* Testamentum est, *inqvit JCus*, voluntatis nostræ justa sententia de eo, qvod qvis post mortem suam fieri vult. Hujus definitionis verba singula si commodè intelligantur: nullum dubium potuit ulli oboriri. Infero inde, licere omnibus testari mentem suam, i. e. manifestare voluntatem suam de distributione bonorum suorum post mortem: verùm justam signo manifestationem i. e. ll. conformem. Talis est ista significatio mentis, cujus author ille est, cui non interdicitur de factione Testamenti. Actus Formalis Testamenti consistit in libera voluntate: confirmante *l. cit. ff. h. t.* Velle, menti ire est, inqvit ex Gregorio *Bernh: serm. 35. in parvis p. 460. Lit. A.* Cui rei jungenda libertas: qvæ nec coactis prorsus demi prosternive potest. Solutiorem autem voluntatem fieri est consentaneum, qvæ liberum seu Nobilem qvasi incolit. Magnitudinis nimirum est, velle, qvantum possis. *Plin. in Paneg. ad Trajan. p. 100.* Dubitanti mihi jura succurrunt ipsa, scrupulum prorsus omnem animo eximentia. Novem classes selegit Imperator noster Augustissimus eorum, qvibus testamenta faciendi non est licentia. Hæ gregalibus illis eorumq; contubernio Nobiles accensere renuerunt. *Totus titulus. Instit. qvibus non est permissum facere testamentum*, plaudit Generosæ Nobilitatis huic exoptato Privilegio. Qvem plausum approbat *Totus titulus*

ff. ut & Codicis hac ipsa de materia. Militi pariter licere testari, IV. Magnorum Imperatorum *§. 1. Instit. h. t.* consensus publicat. Strenuos esse milites Nobiles omnes, bellicosissimosq; Heroës, qvis pius composq; mentis ausit negare? Militant perpetuò pro Principe suo, pro Patria, pro laribus: dissidio pugnant, vel extra indictionem. Ea vocante dimicant, non ut Nobiles, sed milites: merentur eqvo: sine stipendio. Nam milites faciunt stipendia, non Nobiles. Duplici ergo jure liberi. Alterum advocat Nobilitas, militia alterum; &, qvam duplex libertas acqvirit, testamenti condendi potestatem nulla hactenus tot Imperatorum immortalium, tot fortissimorum JCtorum debilitavit & infregit justitia. Hanc ipsam facultatem roborat Imperator Invictissimus JUSTINIANUS æternus *l. omnes 12. C. Qvi testamentum facere &c.* Addo colophonis loco Regum Francicorum amplissimam gratiam, qva factum, ut Nobili cuiq; in omnibus bonis sententiam ultimæ voluntatis suæ justam aperiendi copia fieret. Lehm. in der Speyer. Chron. *lib. 2. c. 19. p. 92. col. 1. Lit. D E. & col. 2. Lit. A & B.*

QVÆSTIO CLIX.

An Nobiles in matrimonium uxorem ducere oporteat? Aff.

MAtrimonium à matre dictum vult *Nobilissimus ac Excellentissimus JCtus, Dn. D.* Ludwel/*Professor Jurium in celeberrima Academia Norica, Italis qvoqve, ad inqvirendum in ingenium, & cognitionem Viri explorandam, missis, admirabilis, & omnibus Jurium cultoribus exosculandus:*

in

in Com. in Instit. Imp. (JCtorum & ll. varias authoritates omitto) qvòd certior semper mater, qvàm pater: tum qvòd mater onera, dolores, & labores partus sustineat: tum deniq; qvòd mulieribus in hoc, ut partus ederent, maxima sit constituta cupiditas. Conjugium tutissimum juventutis vinculum, *Plutarcho lib. de Institut. Puer. T. 2. p. 8.* dictum reperio. Vide & *Auson. in Edyl. 6. p. 135.* Vinculum hoc nectit lex divina: non uno commate in divina Scriptura illustris: Bonorum Summa, *August. lib. 1. de Morib. Ecclesiæ Cathol. T. 1. c. 8. p. 751. Lit. C.* Prudens ille conditor & dispositor: *Lips. lib. 2. Elect. c. 2. p. 454.* Totiusq; universi architectus *D. Gerh. T. 2. Loc. Theol. Loco 11. p. 394. §. 1.* DEUS *Genes. 8. v. 26. 27.* Creavit DEUS hominem ad imaginem & similitudinem suam: ad imaginem DEI creavit illum: masculum & fœminam creavit eos. Benedixitq; DEUS illis, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram; & dominamini piscibus maris; & volatilibus cœli: & universis animantibus: qvæ moventur super terram. En mandatum divinum! Genti humanæ universæ in Protoplastis datum. Imperio eodem matrimonii necessitas Noacho & filiis ejus est imposita à DEO O. M. *Genes. 8. v. 1.* Crescite, & multiplicamini: & replete terram. Veteris hæc primaria fœderis habentur imperia. Novum illud & svavitate perennis gratiæ amabile fœdus hîc non svadet, qvod solemne ipsi est: sed legis divinæ prioris servantissimum injungit, qvod inculcatum erat antè, denuò *1. Cor. 7. v. 2.* ἕκαστος, inqvit oraculorum Christi interpres optimus, qvo elogio Paulum prædicat Apostolum *Isid. Pelus. lib. 2. Epist. 280. p. 221.* Διὰ τὰς πορνείας τὴν ἑαυτῦ γυναῖκα ἐχέτω· καὶ ἑκάστη τ̃ ἴδιον ἄνδρα ἐχέτω. i. e. Qvisq; propter fornicati-

ones

ones suam ipsius uxorem: & qvæqve proprium maritum habeto. Copulatiùs ligat Ille arcanarum rerum Doctor Paulus, ita laudatus *Eidem. Isid. Pelus. lib. 1. Epist. 139. p. 35.* vinculo arctissimo, prompto ex *1. Thessal. c. 4. v. 3. 4. 5.* τοῦτο, δὲ, ita fatur Apostolus, θέλημα τοῦ θεοῦ, ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν· ἀπέχεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς πορνείας· εἰδέναι ἕκαστον ὑμῶν τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ· μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας· καθάπερ καὶ τὰ ἔθνη μὴ τὰ εἰδότα τὸν θεόν. i. e. Hæc est voluntas DEI, sanctificatio vestrum, abstinere vos à fornicatione: scire qvemq; vestrum suum ipsius vas possidere in sanctimonia & honore: non in passione concupiscentiæ: ut Gentiles, qvi DEI sunt ignari. Ad qvæ verba, rectiùs intelligenda, qvædam excerpta ex *Magni Theologi, Amplissimi atq; Excellentissimi Dn. D. Balduini p. m. Com. in Epist. ad Thessal. p. 131. 132. sisto.* Voluntatem DEI pro mandato divino ponit. Intelligit enim voluntatem DEI legalem, qvæ gubernat mores & vitam nostram. Et qvia tanqvam blandissimus Pater cum filiolis suis agit: mollissima hac voce utitur. Dulcius enim est, voluntatem, qvàm mandatum, DEI dicere. Illa ducit filios: hoc etiam contumaces cogit. *Idem p. 134.* Rectiùs intelligimus hîc per vas Conjugem: qvam Petrus vas infirmum appellavit. *1. Pet. 3. v. 7.* Hoc ergo vas possideri jubet in sanctificatione & honore: i. e. Conjugalem consvetudinem vult esse pudicam & moderatam: non vult perditè uxores amari, ut meretrices: sed castè, ut Conjuges: non ut affectibus libidinum indulgeatur: sed ut compescant potiùs, & freno sanctæ castimoniæ coer-

cean-

ceantur. Ratiò hujus præcepti eſt gemina 1. qvia ſanctificanda & honoranda eſt uxor: per turpem verò ejus abuſum polluitur & dehoneſtatur: nam pro meretrice, qvæ corpus ſuum proſtituit, habetur. 2. Qvia hujusmodi moderatio diſcernit Chriſtianos à Gentilibus: qvi ignorant DEUM, nec aliqvod in his exceſſibus conjugii delictum eſſe putant. Monemur ergo hìc, licitum eſſe unicuiq; ducere uxorem, absq; exceptione ſtatûs & conditionis: modò ætas, & corporis conſtitutio ſit ad hanc rem idonea. Honorabile enim eſt conjugium in omnibus: & torus immaculatus. *Hebr. 13. v. 4.* Et Paulus meliùs eſſe putat nubere, qvàm uri. *1. Cor. 7. v. 9.* Qvin & non tantùm licitum, ſed propè neceſſarium eſt conjugium: partim, ut genus humanum augeatur: partim etiam, ne fœdis libidinibus detur. Ideo vult Paulus, ut unusqvisq; propter fornicationem, uxorem ſuam habeat: & unaqvæq; ſuum virum. *1. Cor. 7. v. 2.* Et de Epiſcopo ſcribit in Specie, qvòd ipſum oporteat unius uxoris eſſe virum. *1. Timoth. c. 3. v. 2.* Non enim omnibus datum eſt, vitam agere cœlibem ſine pollutione: ut Chriſtus docuit *Matth. 19. v. 11.* Abſtineat ergo, qvisqvis hactenus eò ſtoliditatis, imò & improbitatis, prolapſus eſt, ut non ſit veritus reos agere neſandi facinoris eos, qvi ſociam vitæ perennem ſibi jungunt: ne audire cogatur, qvod *Ignatius Epiſt. 6. ad Philadelph. p. 135.* proclamat: Siqvis legitimam commixtionem, & liberorum procreationem, corruptelam & pollutionem appellet: aut cibos aliqvos deteſtandos putet: talis apoſtatam illum Draconem, in ſe habitantem fovet. Huic §. non abſoni ſunt *v. 1. 2. & 3. c. Epiſt. Pauli 1. ad Timoth.* ubi ita intonat tuba Apoſtolica: τὸ δὲ πνεῦμα ῥητῶς λέγει, ὅτι ἐν ὑστέροις καιροῖς ἀπο-

στήσονταί τινες τῆς πίστεως, προσέχοντες πνεύμασι πλάνοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων, ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν, καλύοντες γαμεῖν. i. e. Spiritus autem verbotim dicit, qvòd in ultimis temporibus desciverint nonnulli à fide, applicantes se Spiritibus erronibus, & dogmatibus dæmoniorum in assentatione mentientium, qvorum conscientiis stigmata sunt inusta, prohibentium matrimonia inire. O si hæc verba omnes, sibi licentiam nimium præter rem recipientes, & variis arietibus, anilibusq; sæpè fabulis oppugnantes eos, qvos adspirare nôrunt ad societatem, cum Theologis, tum JCtis, tum Philosophis, tum deniq; piis singulis primam habitam, cordibus suis inscriberent! Fieret enim, ut nec Conjugium, τίμιον ἐν πᾶσι: i. e. honorabile inter omnes, verbis Spiritui Sancti ex *v. 4. c. 13. Epist. ad Hebræos*, Sarcasmis tantùm non publicis exciperetur: nec scortationibus fenestra aperiretur. Hæc si doctrina dæmonibus authoribus rectè à Spiritu Sancto, qvi est Spiritus veritatis, *Joh. 14. v. 17.* adjudicatur: profectò illi servi sunt diaboli, qvi debellare moliuntur impio ore societatem tam sanctam: qvi fescenninis sæpenumero verbis publicè & in circulis, consurcant puras & castas aures: digni, in qvos Magistratus Christianus, custos cœlitus utriusq; tabulæ constitutus, defensorq; honestatis, & vindex innocentiæ atq; justitiæ, DEI, justi judicis, neglectæ debitæ vindictæ in decretorio illo die, pœnas subiturus severissimas, animadvertat, iisqve os im-

impudens obthuret: ut desistant malè loqvi: nec turbent Hierarchiarum, inde non semel concussarum, tranqvillitatem: nec desiperent cum istis μακρολόγοις ii, qui his nugis non auditis, castitatis & veritatis sunt servantissimi. Sed in viam redeundum est, & à Natura Naturante ad Naturam naturatam gressus dirigendi sunt. Ligamen & hæc parat magis nodo Gordio impeditum, nulli solvendum, omni amplectendum, singulis venerandum. Maris namq; & fœminæ conjunctio, ac liberorum procreatio, instinctus sunt & inclinationes naturales: *arbitro Elegantissimo & Philologo, & Philosopho, & JCto Dn. Samuele Neandro in Tract. de Just. & Jure p.53.54.* Nec oppugnat *Consultissimi hujus Viri* sententiam *Consulis Romani* sensus, qvi *lib.1. off. T.4. pag.437. Lit. D.* ita se explicat: Cum hoc commune sit natura omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi: prima societas est in ipso conjugio: proxima in liberis. Deinde una domus: communia omnia. Id autem est principium urbis, & qvasi Seminarium Reip. Seqvuntur fratrum conjunctiones: post consobrinorum, sobrinorumq;: qvi, cum una domo jam capi non possint, in alias domos, tanqvam in colonias, exeunt. Seqvuntur connubia & affinitates: ex qvibus etiam plures propinqvi. Qvæ Propagatio & Soboles est origo Rerumpublicarum. Sangvinis autem conjunctio & benivolentia devincit caritate homines. Gentium etiam sancita proferam operæ esse duco, nihil ab anterioribus alienum sentientium. Helvetiorum Gentem bellicosissimam generali axiomate ll. istas promul-

gaviſſe non dubito apud *Sleid. lib. 4. de Statu Relig. T. 1. pag. 126. col. 1.* hac formula: Matrimonii DEUS author eſt: qvi omnibus illud permiſit. Chemmenitas peculiari appellatione advoco, *Beroſoq́* docenti credo, qvi *lib. 3. Rer. Antiq. pag. 334. col. 2.* refert, iis retentum fuiſſe primum morem, ut inter fratres & ſorores conjugium iniri poſſet. Judæos matrimonia non erubuiſſe, author eſt *Bernh. Homil. 2. Super miſſus eſt. pag. 83. Lit. B.* Mos, inqvit, Judæorum erat, ut à die deſponſationis ſuæ usq; ad tempus nuptiarum Sponſis Sponſæ traderentur: qvatenus earum ipſi eo ſibi pudicitiam curioſius ſervarent, qvò ſibi ipſi fideliores exiſterent. Hinc etiam videtur liqvere, tunc temporis qvoq; receptam fuiſſe benedictionem *νεογάμων*: qvanqvam JCto *Matthiæ Stephani in Tract. de Jurisdictione lib. 3. Parte 1. c. 4. p. 67.* Soter papa Anno Chriſti 169 credatur conſtituiſſe celebritatem nuptiarum & benedictionum. Babyloniorum inſtitutis, memorante *Herodoto lib. 1. c. 46. pag. 92.* ita contrahuntur matrimonia. Ubi virgines effectæ ſunt nubiles: eas congregant: & univerſas unum in locum conducunt: qvas, circumſiſtente virorum freqventia, ſurgens præco ſigillatim vendit: ſed primùm pulcherrimam omnium. Secundùm hanc (ut qvàm plurimo vendatur auro) aliam evocant: qvæ poſt illam eſt ſpecioſiſſima. Venduntur autem in contubernium: qvarum pulcherrimas qvasq; Babylonii, qvi locupletes, & iidem cœlibes ſunt, mercantur, ut qvisq; licitando alterum ſuperat. At ex plebe qvi ſunt cœlibes his non eſt opus pulchra forma. Ideo pecunias ac tur-

piores

piores accipiunt virgines. Nam præco, ubi virginum speciosissimarum peregit venditionem, excitat deformissimam: si qvis illorum mercari volens existat: edicitq; , qvisqvis velit, qvàm minimo auri sumpto, eam in matrimonium hâbere: donec illi, qvi minimo contentus est, fœmina addicitur. Ita aurum ex speciosis virginibus conficitur: & per eosdem, cuicunqve volenti, deformes ac debiles collocantur. Qvarum nullam cuiqvam emptori fas erat sine fidejussoribus abducere: sed, datis fidejussoribus, de contubernio uxoris, ita demum licebat abducere: sed de hoc non conveniebat: lex lata erat, ut aurum illi redhiberet. Qvin etiam ex alio pago venientibus licebat uxorem mercari, si vellent. Hæc apud eos honestissima lex erat: qvæ tamen non perseveravit. Persæ qvoq; hunc non discindunt nexum, qvibus, teste *Herodoto lib. 1. c. 35. pag. 65.* solemne, plures ducere puellas uxorum loco: atq; præter has plerasq; pellices alere. Græcia pariter & fari & sapere solita, non defugit legis illius auctoritatem. Qvippe Athenæ ante Deucalionis tempora Regem habuêre Cecropem: qvem, ut omnes antiqvitas fabulosa est, biformem tradidêre: qvia primus marem fœminæ matrimonio junxit. *Justin. lib. 2. c. 6. p. 27. §. 6. 7.* Qvod si hæc incerta videantur: *Corn. Nepos in Præfat. p. 356.* certiora profert. Qvem, inqviens, Romanorum pudet uxorem ducere in convivium? Aut cujus non materfamilias primum locum tenet ædium, atqs in celebritare versatur? Qvod multò fit aliter in Græcia. Nam neq; in convivium adhibetur: nisi propinqvorum: neq; sedet, nisi in interiore parte ædium, qvæ

gynæconitis appellatur: qvò non accedit, nisi propinqva cognatione conjunctus. Addo *eundem in Cimone p.359. col. 2. Lit. B.* qvi Cimonem, principem Atheniensium, habuisse in matrimonio sororem germanam suam, nomine Elpinicen, non magis amore, qvam patrio more, ductum. Argivi etiam, ut virorum infreqventiæ mederentur, non servis, sed præstantissimis, ex finitimis opidis, in civitatem allectis, mulieres elocarunt. Verùm cum & hos in concubitu viderentur contemnere & aspernari, ut indignos: lege sanxerunt, ut barbam nuptæ haberent, qvæ cum viris essent concubituræ. *Plutarch. de Virtut. Mulier. T. 2. p. 217.* Poëtæ Græci versus, qvibus Ulysses Nausicaæ, Alcinui filio, conjugium concors precatur, *ὀδυσσ. ζ. T. 2. p. 185.* idem ostendunt:

σοὶ δὲ θεοὶ τόσα δοῖεν ὅσα φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς,
ἄνδρα τε καὶ οἶκον καὶ ὁμοφροσύνην ὀπάσειαν,
ἐσθλήν· οὐ μὲν γὰρ τοῦ γε κρεῖσσον καὶ ἄρειον,
ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον,
ἀνὴρ ἠδὲ γυνή· πόλλ' ἄλγεα δυσμενέεσσι,
χάρματα δ' εὐμενέτῃσι· μάλιστα δέ τ' ἔκλυον αὐτοί.

Sic mihi versi:

Dî Tibimet donent, animo qværcunq; petebas,
Dentq; virum, pariterq; domum, comitemq; qvietis
Mentem. Nam melius nil, nil præstantius ipso,
Qvàm cum res larium concordes mente gubernant,
Virq; marita simul: sed plurima dura malignis,
Læta benignis sed: primùm qvi vota verentur.

Menti qvoq; suæ hanc legem infixerunt Macedones. Namq; manifestârunt id instituto suo. Panem allatum, qvi erat apud Macedones sanctissimum coëuntium pignus, & divisum gladio, uterq; futurorum Conjugum liba-

libabat. Credo, subjicit, qvi hunc morem recenset; *Curtius lib. 8. c. 4. p. 328.* ex qvo refert: *D. Christ. Matthiæ in Theat. Hist. p. 314. col. 2.* eos, qvi Gentis mores condiderunt, parco & parabili victu ostendere voluisse jungentibus opes, qvantulo contenti esse deberent. Qvid verò usitatum Spartanis fuit? Apud illos puniebantur ii, qvi in affinitate coëunda bonis usq; agnatis divites prætulissent. *Plutarch. in Lysand. T. 1. p. 438. col. 1. Lit. E.* Siculos etiam tangam: qvòd in Sicilia lapicidinæ extabant, longitudine unius stadii, latitudine duorum plethrorum. In eo loco tamdiu qvidam homines tenebantur: ut matrimonia inibi contraherent, & sobolem educarent. *Ælian. lib. 12. Var. Hist. c. 44. p. 331.* In Galliis Viri, qvantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis, æstimatione facta, cum dotibus communicant. Hujus omnis pecuniæ conjunctim ratio habetur, fructusq; servantur. Uter eorum vita superârit: ad eum pars utriusq;, cum fructibus superiorum temporum, pervenit. Viri in uxores, sicuti in liberos, vitæ necisq; habent potestatem: &, cum paterfamilias, illustriore loco natus, decessit, hujus propinqvi conveniunt: & de morte, si res in suspicionem venit, de uxoribus in servilem modum qvæstionem habent: &, si compertum est, igni, atq; omnibus tormentis excruciatas interficiunt. *C. Jul. Cæsar lib. 6. de Bello Gallico. c. 4. pag. 161. 162.* Romanæ qvoq; genti placuisse hæc jura, *Plutarch. in Qvæst. Cent. Rom. T. 2. pag. 616.* indicat: ubi qværit: Cur nubentem fœminam Romanam ignem & aqvam attingere jubeant? Ipseq; sibi respondet qværendo: utrum, qvòd horum inter elementa & principia, hæc fœmina, ille mas sit: atq; ille motus exordium infundat: hæc sub-

ſubjecti & materiæ vim. An qvia ignis purgat? Et aqva expiat? Debet autem munda & ſancta, qvæ nupta eſt, permanere. An qvoniam ſicut ignis ſine humore exſuccus & aridus eſt: ſterilis autem & exilis ſine igne aqva: perinde mas imbecillis, & fœmina, ſeorſum: ſed amborum progreſſus præſtat viro & uxori vitæ contubernium: qvod non deſerendum: verùm in conſortium veniendum omnis fortunæ: etiamſi nihil boni inter ſe, niſi ignem & aqvam, collaturi ſint. De gente Germanorum ſic abrumpit ſtylum *Cornel. Tacit. de Morib. Germ. c. 2. p. 608.* Ipſe eorum opinionibus accedo, qvi Germaniæ populos nullis aliarum nationum connubiis infectos, propriam, & ſinceram, & tantùm ſui ſimilem gentem exſtitiſſe arbitrantur. Verto me ad Jus Civile: qvod meæ non offendo repugnans. *Inſtit. de Nuptiis in pr.* ita jubentem legi Legiſlatorem Celſiſſimum: Juſtas nuptias inter ſe cives Romani contrahunt: qvi ſecundùm præcepta legum coëunt: maſculi qvidem puberes; fœminæ autem viripotentes: ſive patresfamiliarum ſint: ſive filiifamiliarum: dum tamen, ſi filiifamiliarum ſint; conſenſum habeant parentum, qvorum in poteſtate ſunt. Nam hoc fieri debere, & civilis, & naturalis ratio ſvadet: in tantum, ut juſſus parentum præcedat. *Dn. D. Noricus, ad hunc §. ſignat iſta:* De jure Canonico ſecus eſt. *c. 1. X. de Conjug. Serv.* Hodie famuli noſtri licitè matrimonium, etiam durante conductionis tempore contrahunt. Hinc illud: **Freyen gehet vor miethen.** *Add. LandR. lib. 2. art. 38.* & omnes, Imperio Romano Subjecti, nuptias ſine ullo diſcrimine regionum inire poſſunt. Reſpondet huic *l. Ne filium. 12. C. de Nuptiis.* qva ſtatuitur, filiumfamilias non eſſe contra leges cogendum ad ducendum uxo-

uxorem; sed rogandam esse, qvam voluerit, Patris socio consensu. Ex dote definita matrimonium indefinitè nominatum Jure civili autumo per *l. Dotis. 3. ff. de jure dotium:* qvæ his concepta est verbis: Dotis appellatio non refertur ad ea matrimonia, qvæ consistere non possunt. Neq; enim dos sine matrimonio esse potest. Ubicunq; igitur matrimonii nomen non est: nec dos est. Qvæ appellatio est universalis, continens licita, & vetans prohibita. Propero ad jus publicum, idem confirmans. *Nobilissimus ac Excellentissimus Dn. Reinl. lib. 1. Class. 1. c. 1. p. 39. n. 70.* Matrimonium contractum contrario dissensu dissolvi non posse, etiamsi infeliciter omnia cedant, statuit. Indefinitè loqvitur Consultissimus Vir. Contractum ergo omne includitur: contrahendum nullum excluditur. Qvid firmius ad Universalem conficiendam? His addo seqventia ex *lib. 1. Polit. c. 2. p. 22. §. 3. Dn. D. Cellarii:* Dicitur, inqvientis, societas nuptialis σύζευξις seu Conjunctio: *1. Polit. cap. 3.* non tam ad corporis, qvàm animorum & voluntatis, conjunctionem denotandam. Cum enim de hujus societatis, seu, qvod idem est, de matrimonii, essentia non sit corporum conjunctio seu concubitus, qvi, secundùm *Ulp. l. 30. ff. de R. J.* nuptias non facit: Omne autem Genus essentialiter in qvid prædicari debeat. *1. Top. 5.* Conjunctio corporum seu concubitus (in qvo totam ferè essentiam conjugis obiter locat *Casus lib. 7. Sphæræ civit. c. 16. p. 375. 376.* (ast sic & boves admissarii, vaccas suas pulchrè plenas reddentes, inirent matrimonium: qvod tamen, ut eo

nihil ſit dictu fœdius, nihil homini ſanæ mentis ineptius, citra pudorem, tanqvam *ἀξίωμα* lurcones & bonæ mentis decoctores nonnulli, *σαρκοφαγίαν* Ægyptiacam, improbatam à DEO *Ezech. 16. v. 26.* contra Sacram Scripturam & honeſtos mores, inducere in Chriſtianæ pietatis ſepta ore illepido ſuſtinentes, approbant: digni, qvicum genus & ſangvinem jungat elegantisſima vaccarum gens, ut ſimilis ſimili gaudeat) Generis locum ſubire non poteſt. Nihil proinde impedit, qvò minùs morti vicinus ſocietatem hanc ineat, ac matrimonium contrahat: qvamtumvis concubitus non ſeqvatur. His accommoda ſunt, qvæ *Dn. D. Noricus in Com. in Inſtit. Imperial. pag. 55.* notari curavit: Cæterùm diſparitas annorum non obſtat, qvin juvenis cum vetula, & ſexagenarius cum juvencula rectè matrimonium ineat: *Magnificus ac Nobilisſimus Dn. Carpzovius lib. 2. Defenſ. 12. J. C. n. 13. Saxonum ſuorum ſtrenuisſimorum & felicisſimorum verè Dorotheus.* Experientia tandem ipſa plurima nobilium producit conjugia. Jam æqvalia in *Annal. Sileſ. Excellentisſimi Dn. D. Curæi Parte 1. p. 103. §. 5.* Nobilium tam maritorum, qvàm uxorum, deſcribit matrimonia lectu jucundisſima. Obſederat Carolus Marchio Moraviæ, Boleslaum Ducem Bregenſem in opido Franckenſtein. Carolus eruptionem faciens cepit nonnullos Nobilium, in opidum pòſt ſecum deductos. Idem captorum Nobilium nobiles, formoſas, & honeſtas conjuges in caſtra ſua unà cum memorato Duce, vocari jusſit: exploratum habens

Boles-

Boleslai ingenium. Voti Carolus à Boleslao compos factus, ftitit Matronas illas infignes Duci, petentes verbis, humanitate adſperſis, ut pro connata tanto Principi benignitate & clementia, ἀμνησικακία prorſus remota, maritos redderet captos. Admisſis his precibus, Boleslaus imperavit, reſtitui ſingulis uxoribus maritos ſingulos: qvos mulierculæ, gaudio elatæ, in conſpectu utriusq; Principis, oſculis dulcisſimis fixis, amplexabantur medios. Vide *Curtium lib. 8. c. 4. p. 227. 228.* exemplum Cohortani Satrapæ nobilis in unius triginta ad ſe introductarum virginum nobilium amorem admodum effuſi, eamq; ſibi matrimonio jungentis narrantẽ. Ad inæqvalia me accingo, iisdem Qvæſtionem finiturus. *Jornandem* nôrunt Hiſtoriæ cultores *lib. 4. de Geſtis Longobardorum c. 48. p. 280.* referre, Grimoaldum, Samnitium Ducem, captivam puellam, nobili loco natam, in matrimonium duxiſſe, cui nomen fuerit Ittæ: ipſamq́; ei peperiſſe Romoaldum filium, ambasq́; filias. Fridericus item I. Elector Palatinus, Anno à Chriſto nato M. IV. LXXVI. Nobilẽ fœminam à Tettingen connubio ſibi junxit: memorante *Dn. Sprengero lib. 3. Inſtit. juris publ. c. 30. p. 481. Caſus libro V. Sphæræ Civit. c. 7. p. 253. & ſeqq.* impugnat conjugia: verùm argumenta ejus tanti non videntur, ut operoſo ſit opus eorundem examine.

QVÆSTIO CLX.

An Nobili liceat negotiari? Neg.

NEgativam propugnandam ſuſcipit *Bodinus lib. 5. de Republ. c. 8. p. 473.* & qvidem, favore l. Claudiæ Tribunitiæ fretus, ait, Senatoribus Romanis

vetitum fuisse, neqvis maritimam navem, in qva plus, qvàm 300 amphorarum. haberet ad fructus vectandos: qvæstus enim omnis, inqvit Livius, Patribus indecorus visus est. *Dn. D. Liebenthal in Col. Polit. Exercit. 10 th. 35. p 335.* vestigia legit Bodini: sed apertiore pugnat Marte. Nam sententiam suam fundat in *l. Nobiliores 3. C. de Comm. & Mercat.* (Nobiliores natalibus, inqviunt tres illi prægloriosissimi Imperatores: (ut exprimant veros Nobiles) & honorum luce conspicuos, & patrimonio ditiores perniciosum urbibus mercimonium exercere prohibemus: ut inter plebejos & Mercatores facilius sit emendi vendendiq; commercium. Cui jungenda *l. Neqvis 6. C. de dignitatibus:* qva Imperatores Constantinus & Constans interdixerunt dignitate (& in latiore significatu & Nobilitate) negotiatoribus. *Vide & Gloss. Marg. ad hanc l.* Idem sancit. *l. Eos qvi un. C. Negotiatores ne militent.* Exceptio in ipsa concludit ex particulari: nec huc pertinet. His hæc addit *Münsterus lib. 3. Cosmograph. p. 746.* Articulus Undecimus, admittendis ad torneamenta præscriptus, sic habet: Qvi immiscet se commerciis negotiatorum, aut Campsorum: aut emit, qvæ rursum cariùs vendat: aut utitur aliis malis artibus: qvibus nocet proximis: aut subditis suis: contemptibilemq; reddit nobilitatem suam: is sine verberibus ingredi neqvit chorum torneamenti. Nec prætereunda sunt, qvæ consignavit *Vernul. lib 2. Instit. Polit. Tit. 9. c. 8. p. 214. Zonar. T. 3. Annal.* ita habet: Cum nonnulli Nobiles jus negotiationum à SIGISMUNDO Rege peterent: Oportet, inqvit, habere me triplex genus hominum in regno meo: Rusticos, qvi agros colant: Mercatores, qvi necessaria importent & expor-

portent: deinde Nobiles, qvi me & patriam defendant. Hæc defensio cum ardua sit: cumq; sine aucupio lucri & qvæstus consistere vix possit: veto generosa Nobilium pectora, patriæ defendendæ nata, mercatorum negotiis implicari: aut, si id velint, permittant mercatores suum in locum succedere. Et paulò pôst inqvit: Legibus qvoq; Germanorum & statutis Gallorum prohibetur: ne nobiles mercatura & negotiationibus implicentur. Tot ll & institutis intra S Rom. Imper. nulli jus esse duco Nobilium, tractare commercia. Qvamvis enim *Nobilissimus ac Excellentissimus Dn Spreng. lib. I. Instit. juris publ. c 8. p. 45. 46.* excipiat magnifico negotiationis generi addictos: iisq; Nobilitatem sustineri posse arbitretur: seclusis sordidis mercatoribus, & iis, qvorum opera utuntur: tamen nescio, qvos magnifico negotiationis generi mercatores associet. Qvænam major magnificentia? excepta ea, qvam leges amant, à Majestate coronatæ? Legesne cedere oportet negotiationis splendori? Definitio adhæc Nobilitatis ipsa, & huic adjuncta privilegia aliud citra dubium demonstrant. Qvæ ex aliis exterisq; regnis, eorumq; institutis, laudari possunt: Germanos non afficiunt.

QVÆSTIO CLXI.

An Nobilis, gravatus ære alieno, cedere cogatur bonis? Aff.

N*obilissimus & Excellentissimus Dn. Sprengerus lib. I. Instit. Juris publ. c 8. p 43 per l miles 6. & l. item miles 18. ff. de Re judicata.* negat qvæstionem.

 Verùm

Verùm ll. ambæ ſatisfacient ſeqventi Qvæſtioni. Vide *Vernul. lib. 2. Polit. Tit. 9. c. 5. p. 211.* Duo dantur omnino privilegia iis, qvi cedere coguntur bonis. Primum per *l. Siqvis bonis. 3. ff. de Cesſione bonorum. l. Siqvis bonis. 4. §. Salinus 1. ff. h. t. l. Qvem pænitet. 5. ff. h. t.* ubi certa conditione cadentibus iſtis defenſio permittitur. Alterum, qvod qvidem flebile omnino eſt beneficium, per *l. Qvi bonis. 6 §. unde ergo 1. & §. idem. 2 qvibus alimenta bonis cedenti adjudicantur.* Ubi notandum, totum hunc titulum nullum excipere obæratum. Sed omnes totius hujꝰ titul. leges videntur abrogatæ *per l. Qvi bonis cedere poſſunt.* Qvæ l. etiam generalis. In hoc tamen titulo tria ſunt notanda. 1. Privilegium, qvo libertatur cedens ex carcere. *l. cit,* 2. Subjectum: cui reſervatur exiſtimatio. *l. Cum ſolito 8. C. h. t.* 3. Prærogativa induciarum, conceſſa ab iis Creditoribus, qvi ad humaniorem declinant ſententiam. Hæc citra præjudicium generoſæ Nobilitatis ex ll. addere mihi lubuit. Cæterum cum aliis qvibusdam titulus hi opponantur: feudaliaq; ad Principem pertineant: magna cautela in hac miſera bonorum cesſione cum Nobilibus, præſertim belli injuria, annonæq; gravitate, ac aliis malis ad incitas redactis, procedendum: præſertim cum æqvitatis cultores exiſtimatio Nobilium non inani oculiferio commovere debeat, ipſo etiam Imperatore Juſtiniano *l. cum ſolito 8. C. h. t.* monitore: & Nobilium Majorumq; eorundem gloria.

QVÆSTIO CLXII.

An Nobilis, ære gravatus, ultra facultates ſolvere teneatur? Aff.

Nega-

NEgativam amplectitur *Dn. D.* Liebenthal *in Col. Polit. Exercit. 10. th. 15. p. 330.* eam fundat *in l. miles 6. in l. item miles. 18 ff. de Re judicata & de effectu* &c. Verùm cum *l. Qvi bonis 1. C. Qvi bonis cedere possunt. & l. cum filii familias. 7. C. h. t.* posteriores sint ambabus illis ex ff. nec illi ære exeant antè alieno; qvàm pensio ei tota sufficerit, qvi bonis cesserunt universi: alia lege, qvantum novi, non data, qvæ subveniat & liberet: qvæstionem, existimatione & æqvitate salvis, defendam jura me cogunt: qvæ mihi mutare non licet. Vide *Vernul. lib. 2. Polit. Tit. 9. c. 5. p. 211.*

QVÆSTIO CLXIII.

An Nobilibus competat vaticinandi scientia? N.

VAticinandi peritiam exosa est Majestas divina in populo suo cùm qvoad exercitium: *Levit. 19. v. 76.* Non augurabimini: neq; observabitis somnia: neq; magiam exercebitis: tum qvoad profitentes. *c. cit. v. 31.* Non declinetis ad Magos:, nec ab Ariolis aliqvid sciscitemini, ut polluamini per eos: Ego DOMINUS DEUS vester, interdicens. Qvin & sæveram pœnam ejusmodi farinæ vatibus infligendam DEUS sanxit. Nam *Levit. 20 v. 6.* Inqvit DOMINUS: Anima, qvæ declinaverit ad Magos, & Ariolos: & fornicata fuerit cum eis: ponam faciam meam contra eam: & interficiam illam de medio populi sui: *& ibid. v. ult:* Vir, sive mulier, in qvibus Pythonicus, vel divinationis fuerit Spiritus, morte moriantur: lapidibus obruent eos: sangvis eorum sit super illos. Pollutione & ἀποστασίᾳ ista omnes prohibiti sunt homines: ha-

harumq; si legum morale, qvod in multis fœderis veteris legibus largiuntur, exigente veritate & æqvitate, orthodoxi Theologi, homines obstringit ad obedientiam: qvam eis deberi, sanctissimæ cathedræ non semel inculcant: leges nec abrogatas esse istas, nec ulli violationem earum licere, satis constat: nobilesq; eis subjectas esse, cum homines sint, manifestū est. Rem ipsam porrò ita, qvam mens generosa & Nobilis, Christiq; sangvine è faucibus diaboli empta, abhorret, artemq; tam fœdam & atrocem, describtam dat *Hornius in Hist. Ecclesiast. p. 13. & 14.* Præter oracula etiam vaticinia suos edocuit diabolus per Magos, Chaldæos, Astrologos, Augures, Haruspices: qvæ disciplina in universum Magia dicebatur: reperta primitùs, ut Justinus & Marcellinus volunt, à Zoroastre. Vide & *Polyd. Vergil. lib. 1. de Invent. Rer. c. 22. p. 88. Ludovic. Cœl. Rhodig. lib. 9. Lect. Antiq. c. 23. p. 487. Lit. B. Barth in Com. in Claud. p. 137. col. 2. & p. 138. col. 1. & 2.* inde à Chaldæis ad Ægyptios: ab his ad Græcos delata: qvam Democritus aliqvot voluminibus complexus est. Nec barbaræ nationes ejus expertes erant. Nam apud Gallos, Britannos, & Germanos Druydæ, Bardi, Eubages: apud Hispanos Turditani; apud Indos Brachmanes eâ fungebantur. Consistebat autem in divinatione: qva somnia interpretabantur, & futura prædicebant & in Astrologia judiciaria, auguriis, haruspicina. Hoc tam abominandum artificis malarum artium omnium figmentum cavendum est æqve Nobili ac ignobili. Qvippe nemo, Nobili loco natus, mancipium se subdere amat tam flagitioso domino: præprimis cum nihil inde lucretur, nisi vanitatis demonstrationem. Eam ipsi vates Astyagi,

agi, Persarum Regi, confessi sunt, cum luderentur somnio, dicentes: Qvædam vaticinationes nostræ in exigua reciderunt: & velut insomnia in imbecillum qviddam tandem redactæ sunt, *teste Herodoto lib. 1. Histor. c. 33. p. 58. 59.* Luserunt & Alexandrum, vel saltim exercitum ejus, admirandi, imò potiùs mendaces, hi vates. Eclipsis Lunæ, cujus Definitionem, qvantum mihi videtur, perfectam vide apud *Nihus. in Disp. Log. Disp. 9. th. 73.* terrorem injecerat permagnum Alexandri M. copiis. Inde consuluit Rex vates Ægyptios: à qvibus, ratione rei, qvamvis satis ab ipsis perceptæ, Regi redditum est: Solem esse Græcorum, Lunam verò Persarum: &, qvoties hæc deficiat, ruinam stragemq; huic genti portendi: asseverante *Curtio lib. 4. c. 10. p. 123. 124.* Affirmat Qvæstionem *Svet. in D. Vespas. c. 5. p. 389.* Ubi ita: Apud Judæam, infit, Carmeli DEI oraculum consulentem ita confirmavêre sortes: ut, qvicqvid cogitaret, volveretq; animo, qvantumlibet magnum, id esse proventurum pollicerentur. Et unus ex Nobilibus captivis, cum conjiceretur in vincula, constantissimè asseveravit, fore, ut ab eodem brevi solveretur, verùm jam Imperatore. Verùm regero huic objectioni: hic intelligi divinam: qvam interpretationem non dubia authoritas, qvæ nullius momenti est, confirmat: Sed §. Apud Judæam: qvi nemini scrupulum injiciet, nisi qvi nodum in scirpo qværere studuerit. Qvod ut magis appareat: distingvo universam Magiam in licitam & illicitam. Licita est vel certa, vel dubia. Certa vel est divina, vel humana: utraq; à Principio ita dicta. Divina est ejusmodi rerum abscondi-

tarum cognitio & indagatio, qvam DEUS, certis de caufis, hominum mentibus, peculiari gratiâ, infundit, ut erudiat & ipfos, & alios de eventibus rerum earum, qvarum notitiam nulla fcientia communicare poteft. Præter alia in Sacro Codice extantia exempla referam unicum illud, qvod extat *Matthæi 2. v. 1. &c.* Ubi Magi leguntur Chrifti nativitatem ex ftella cognoviffe. Qvæ verba ita commodè explicat *Bernhard. Serm. 1. in Epiph. Dom. p. 17. Lit. I.* Qvid facitis? O Magi; qvid facitis? Lactentem puerum adoratis in tugurio vili, in vilibus pannis. Ergò ne DEUS ipfe eft? DEUS certè in templo fancto fuo: DEUS, in cœlo fedes ejus: & vos eum qværitis in vili ftabulo? In Matris gremio? Qvid facitis? Qvòd & aurum offertis. Ergo Rex eft ipfe. Et ubi aula regia? Ubi thronus? Ubi curiæ regalis freqventia? Nunqvid aula eft ftabulum? Thronus præfepium? Curiæ freqventia Jofeph & Maria? Qvomodo ita infipientes facti funt viri fapientes? Et prædocuit eos Spiritus; qvod poftea prædicavit Apoftolus: Qvi vult fapiens effe: ftultus fiat, ut fit fapiens. Nonne, fratres, timendum erat? Ne fcandalifarentur viri ifti: & illufos fe crederent, cùm tanta indigna viderent. A regia civitate, ubi Regem qværendum conjectabantur, ad Bethlehem villam parvulam, diriguntur: ingrediuntur ftabulum: inveniunt involutum pannulis infantulum. Non illis fordet ftabulum: non pannis offenduntur: non fcandalifantur lactentis infantia. Procidunt, venerantur ut Regem: adorant ut DEUM. Sed pro-
4. fectò qvi illos adduxit: ipfe & inftruxit: & qvi per

ſtellam foris admonuit: ipſe in occulto cordis edocuit. Planius verò inſtinctum divinum peculiarem manifeſtat traditio vel vaticinium Prophetæ *Michæ ex c. 5 v. 2.* qvam repetit *Matth. c. 2. v. 6. & Joh. 7. v. 42.* Humanam partior vel in Phyſicam, vel in Medicam, vel in Politicam. Phyſicam appello, qvæ ex cauſſis naturalibus, non impeditis, colligitur. Medica eſt, qvam Cauſſæ, ſigna, & experientia in morborum natura & *συμπτώμασι* perqviſita qvaſi delineant. Politicam voco, qvam Politicus inſignis ex inſtitutis & legibus fundamentalibus Provinciæ alicujus & actibus de Objecto aliqvo anterioribus, concomitantibus, & Cognatis elicit. Qvæ divinatio Politica interdum fallit: aut ſaltim contingenter vera eſt. *Nobiliſſimus & Ampliſſimus Dn. D. Scharff. lib. 5. Inſtitut. Log. c. 1. p. 628.* ait. Non omnia poſſunt demonſtrari, hoc eſt, infallibiliter probari, ut ſcientia rei habeatur ſolida & immutabilis. Etenim Principia cognitionis & probationis non ſunt ubiq; neceſſaria &c. Et *Nobiliſſimus ac Ampliſſimus Dn. D. Horneus lib. 5. Inſtit. Log. qvæſt. 3 p. 491. 492.* dicit: Certitudo major eſt in Speculativis Habitibus, qvàm in Prudentia & Arte &c. Vide *Scalig lib. 1. Poët. c. 7. p. 7. Nobiliſſimum atq; Ampliſſimum Dn. D. Dannenh. in Id. B. Diſp. p. 93. Ampliſſimum atq; Clariſſimum Dn. M. Hartmannum Sylloge 2. Part. Prop. Log. in προαυλίῳ, & alios.* Dubiam voco Aſtronomicam illam, qvam ita vulgo dicunt: eſtq; judicium vel ex Principiis

Physicis, per Syderum motum collectum: atq; tale vel pertinet ad Physicam, vel Astronomiam atq; Theoricam Planetarum: qvod judicium erroneum esse toto die cognoscimus: vel ex Astrologia: de qvo ita *Megalander noster Dn. Lutherus T. 4. Jehn. Germ. p. 9. col. 2. §. 3. & p. 10. col. 1. §. 2. & 3.* Astrologia judiciaria non est argumentativa: seu, Prognostica Astrologorum nullius sunt momenti: Qva de *Lud. Cal. Rhod. lib. 1. Lect. Antiq. c. 12. p. 73. Lit. B.* inqvit: Non me fugit, Lactantium scribere, & Apulejus confirmare videtur, Astrologiam, auspicia, auguria, & oracula, esse dæmonum inventa: qvorum sit, tenebras obfundere, & veritatem caligine obducere. Is ipse *lib. 9. Lect. Antiq. c. 20. p. 480. Lit. C.* ita de ea judicat: Ex Astrologiæ sinu profluxisse superstitionum omnium vanitates: locupletissimus author Varro testatur. Geomantiam itidem adoptant Astrologiæ, qvi ejusmodi doctrinam profitentur. Jam & Magiæ clavis commemoratur Astrologia. Nam qvid de Chiromanticis dicemus? A qvibus excogitata scimus in manuum volis septem montium supercilia, qvæ cœlestes præferant Planetas. Cæterùm hæc omnia esse acuta potiùs deliramenta & vanissimas vanitates, qvàm documenta, vitæ usibus concinnata, nemini non arbitror liqvere. Illicita vel Cabalistica est, vel præstigiatoria s. diabolica. De illa ita præcipit *Nobilissimus ac Excellentissimus Dn. D. Godelmannus in Tract. de Magis, Veneficiis, & Lamiis lib. 1. c. 1. p. 51.*

p. 15. n. 9. & 10. Incantationis Species Cabala Judæorum recentiorum Philoſophia, & Magiæ ſoror: qvæ verbis conceptis & prophanatis, pollutisq; ſanctis DEI Nominibus, characteribus, certis ſignis, certis ſacrificiis miracula facere, & futura prædicere docet. Et ſic Cabala vetus, qvæ ſecretior divinæ legis interpretatio erat, à Magia infami vitiata fuit ita, ut Cabaliſtica ejusmodi Magia CHRISTUM incomparabilia effeciſſe miracula, adſtruere non perhorreſcant perfidi Judæi. Atq; hinc data Gentibus occaſio calumniandi Verbum JEHOVÆ, Hebræorumq; Cabalam: de qva *Plinius lib. 30. N. H. cap. 1. (mihi pag. 538.)* Eſt & alia Magica factio, à Moſe, & Jochabella (Plinius legit: Et Jamne, & Jotape) Judæis pendens. (Addit Plinius: ſed multis millibus annorum poſt Zoroaſtrem.) Vide plura de Cabala Hebræorum in *Id. B. Interp. Dn. D. Dannenh. pag. 43. p. 52. 53. 54. & p. 63 64. 65.* Præſtigiatoriam & diabolicam delineavit ſupra *Dn. Hornius: & Dn. D. Peucerus de Divinat. pag. 302. 303.* diabolo authori eam adſignat, confirmatq; non antè ſolùm diluvium viguiſſe; ſed & poſt illud, Noacho adhuc vivente, exercitam fuiſſe. Vide *Nobiliſſimum & Ampliſſimum Dn. D. Meiſner. in Philoſ. Sobr. Parte 2. p. 800. & ſeqq. & pari honore digniſſimum Dn. D. Finck. in Qvæſt. Illuſtr. qvæſt. 21. pag. 170. Eundem item in Meditat. additis Cent. IV. Canon. Theolog. p. 366.*

QVÆSTIO CLXIV.

An Nobilis blaſphemiam vitare teneatur? Aff.

NObiliſſimus ac Excellentiſſimus Dn. Schönbern., *lib. 7. Polit. c. 7. p. 680.* à nefando hoc facinore, univer-

ſum hominum orbem, præprimis Nobilitate conſpicuos, abterrere molitus, criminis fœditatem in fronte qvæſtionis collocandam præbet hoc verborum nexu; Blasphemiæ vocem deducunt à βλάξ, genere piſcis viliſſimi & inſipidiſſimi: à qvo ſtupidi & fatui βλακὲς nominantur. Inde βλασφημία indigna eſt & contumelioſa de DEO locutio: qvalis eſt Atheorum, Epicureorum, Hypocritarum, & deſperantium: Brevius: Blasphemia eſt **actio vetita pravi hominis, maledicta in DEUM, ſummum illud Bonum, ingerentis.** Qvæ Definitio ſatis arguit, qvo pondere affirmativam tuear. Invitat ad eandem amplexandam Inſtitutorum Reip. cœleſtis virtus: qvæ hoc terrore obſervantiam ſui imperat *Levit. 24. v. 15, 16, 17.* Qvisqvis convitiatus fuerit DEO ſuo: peccatum ſuum portabit; i. e. pœnam peccati ſubibit: nec ulla admittitur vel fori, vel conditionis, vel nationis exceptio. Gravitatem hujus criminis omnibus deteſtandam pectoribus ſubjicit *Salv. lib. 6. de Gubernat. DEI p. 215.* Ne ullum penitus culpæ genus, qvod ad contumeliam DEI pertinet, cuiqvam leve eſſe videatur. Si enim illuſtrem ac præpotentem virum neqvaqvam exhonorari à qvoqvam licet: & ſi qvisqvam exhonoraverit, decretis legalibus reus ſiſtitur: & injuriarum author damnatur jure; qvantò utiq; majoris periculi crimen eſt, injurioſum qvempiam DEO eſſe. **Semper per dignitatem perferentis injuriam creſcit culpa facientis: qvia neceſſe eſt, qvantò major eſt perſona ejus, qvi contumeliam patitur; tantò major ſit noxa ejus, qvi facit.** Eandem & pœna tremenda

lapi-

lapidationis tam formidandam descripsit, *caput idem Levitici v. 16.* ut, qvi hoc non abominatur flagitium, & abominans vitet: nec Numen cœleste revereri, nec prohibitionis rationem habere, nec impietatis turpitudinem percipere videatur. De pœna plura qvi scire desiderat: legat *Joseph. lib. 4. Antiq. Jud. c. 6. p. 39. col. 1. Dn. D. Finkkium Sect. 1. Qvæst. Illustr. p. 431. & seqq. & Sect. 2. p. 508. & Sect. 3. p. 1097. & Sanctionem Carolinam Art. CV. p. 20.* De adsvetis huic crimini Gallis ita docet *Lans. in Consult. Princip. Orat. 5. p. 195. 196.* In Gallia audire est Sanctissimi Numinis execrationes ac contumelias, omninò alibi inauditas (qvanqvam ex Italia: insolitarum blasphemiarum in Galliam invectas esse ajunt) exemplo ab aulâ, corruptelarum sede, in urbes, & ab urbibus ad paganos & rusticos, à pueris virilis ætatis etiam in pueros infantes vix septennes, tantâ licentiâ, grassante: ut tertio qvoq; verbo DEI caput, mortem, sangvinem, ventrem, & alia membra, cœlum & terram nefariè insectentur: sicq; ex omni parte injurias in DEUM pestiferè eructent. En sceleris deformitatem! En facinoris, provinciam totam inqvinantis, exsecrandam temeritatem! En hominis, DEUM etiam allatrare conantis, contumaciam! In maximam proinde me rapit admirationem *Toletus lib. 4. Instit. Sacerdot. c. 13. p. 402.* statuens, hominem, si ira aliqva, vel aliâ motus passione, non advertens verba, qvæ proferebat, protulerit blasphemiam, non patrare mortale peccatum. Ira enim, & alius affectus malus, non possunt imminuere peccatum. Qvippe non solùm omnis vitiosus affectus, sed & omne peccatum in se mortale est. De affectu: non credo, me desciturum fore à recti tra-

mite,

mite, si seqventibus usus fuero verbis *Isid. Pelus. lib. 4. Epist.78. p.91.* qvi affectus θνητοὺς καὶ βιωτικοὺς appellat, i. e. mortales & ad vitam hanc pertinentes. Peccatum autem omne mortem esse animæ, *Nazianzeno* tributum lege ἀξίωμα *Orat. 31.* Venialia autem fiunt omnia peccata, qvæ inseqvitur pœnitentia. Nam qvi peccare desinit: iram DEI Mortalem facit. *Lact. lib. de ira c. 21.* priorq; justitiæ portio est, non peccare: secunda, per pœnitentiam damnare peccatum. *Bernh. serm.1. in. Fest. Annunciat. Mar. p.125. Lit.F.* Idq; non tribuendum est pœnitentiæ: sed merito Christi: *juxta Eundem Ibid. p.124. Lit.H.* dicentem: De remissione peccatorum validissimum teneo argumentum, Dominicam passionem. Vox siqvidem sangvinis ejus invaluit multò plùs, qvàm vox sangvinis Abel, clamans in cordibus electorum remissionem omnium peccatorum. Traditus enim est Christus propter peccata nostra: nec dubium est, qvin potentior & efficacior sit mors illius in bonum: qvàm peccata nostra in malum. Obligat autem adhæc non infirmiore necessitate justitia civilis, ex *Imperii Recessibus:* & qvidem per *Constit. civil. Caroli V. Imperatoris Augustæ Vindelicorum Anno à CHRISTI Victoria M. DC. XLVIII. promulgatas*, ubi ab Eodem Imperatore celeberrimo omnibus Nobilibus tam immediatis, qvàm mediatis imponitur, ut abstineant à blasphemia omni, insimulq; famulos servosq; suos compellant, neqvid in DEUM exsecrando ore effundant, & sic vitam suam agant, ut ad justitiæ amussim, exacta totius vitæ curriculo morum integritate, debitus DEO honor provehatur,

nec

nec impediatur; perinde ac ad hoc præstandum præter ignobiliores potentia & dignitate obstringantur. Videantur *Receß. Imperii de Anno 1530. p. 214. in f. & 215. in pr.*

QVÆSTIO CLXV.

An Nobilibus Ganerbinatus liceat? Neg.

GAnerbinatus olim inter nomina & facta honesta nomen sortiebatur. Nam qvod refert *Nobilissimus Dn. Wendelin. lib. 2. Instit. Polit. c. 3. th. 7. p. 102.* is pactis gentilitiis qvodammodo affinis erat. Qvippe diversis familiis inter se convenerat, de propulsanda omni vi & incursione hostili, à confœderatorum qvasi fratrum cervicibus atq; facultatibus: ut securitati publicæ & privatæ consulerent. Ideo & certas qvasdam arces strui curaverunt: easq; ex reditibus communibus & sumptibus, à confœderatis illis fundendis, jussis hac de re certis legibus, ita qvidem, ut, una familia exspirante, ad reliqvos confœderatos jus & sors illa transiret pendenda. Qvæ pacta Imperatores postea confirmaverunt. Ut autem sæpenumero vel optimarum & honestissimarum rerum, præter spem, accidit mutatio: ita & hic velum facillimè versum est. Namq; adauctis confœderatorum rebus illi cœperunt insolescere: qvi morbus in potentia & divitiis præcipuis studiis est cavendus: *August. serm. 110. de Tempore T. 10. p. 840. Lit. D.* Qva evenit re, alios alii invaderent, nonnullos sibi socios adjungerent, proscriptionemq; publicam commererentur. *D. Otto de Jure Publ. c. 19. pag. 652. 653.* gravissimis omninò verbis. *in declaratione pacis publicæ à* MAXIMILIANO, Imperatore Augustissimo, *p. 46. §. 3. publicata Augustæ Vindelicorum*

Anno 1599. prohibitus ille eſt Ganerbinatus. Eadem pax publica intra eosdem limites à CAROLO V. Imperatore Invictiſſimo, in *Comitiis Wormatienſibus Anno 1521.* habitis, eſt confirmata :: id qvod teſtantur *Receſſ. Imper. p. 129. §. 4. Videatur l. Proximum 1. §. Majeſtatis. 1. ff. ad l. Jul. Majeſt. l. Lex duodecim. 3. ff. h. t. l. Cujusq. 4. ff. h. t. l. Majeſtatis 10. ff. Eod. & l. Is qvi. 11. ff. Eod. l. Qvisqvis. 5. C. ad l. Jul. Majeſt. Addatur & l. Majeſtatis. 6. l. Meminiſſe. 7. & l. poſt Divi. 8. C. Eod. inſimulq. D. Liebenthal in Col. Polit. Exercit. 10. th. 17. p. 257. 258. atq. Lipſ. lib. 1. Polit. c. 5. p. 235.*

QVÆSTIO CLXVI.

An Nobili opprimere plebejos liceat? Neg.

PRoximum noſtrum non eſſe deterendum, lex eſt, non homini, ſed hominum genti :: non à Principe, ſed Regum Principe, CHRISTO lata *Matth. 22. v. 35. ad 41.* Proximus autem eſt non ille tantùm, qvem nobis gradus ſangvinis jungit :: ſed & ille credendus eſt, qvi naturæ noſtræ eſt particeps: Inqvit *Proſper Aqvitanicus lib. 3. de Vita contemplativa: c. 13. p. 216.* Vide gemina apud *Iſid. Peluſ. lib. 4. Epiſt. 123. p. 61. & Auguſt. Epiſt. 52. T. 2. p. 237. Lit. H.* Et qvid magis conveniat Nobilitati? Niſi ſervare? Qvippe, *Seneca Doctore Ductoreq. 1. de Clem. c. 5. p. 622.* proprium eſt excellentis fortunæ ſervare: qvæ nunqvam magis ſuſpici debet, qvàm cùm illi contigit, idem poſſe, qvod diis :: qvorum beneficio in lucem edimur, tam boni, qvàm mali. Imò divina qvædam in homine potentia eſt, gregatim ac publicè ſervare, *eodem cenſore lib. cit. c. 26. p. 629.* Nec ullus ſtatus Reip. optabilior eſt & firmior, in qvo & privatim ſanctè innoxi-

noxieq; vivitur: & publicè justitia & clementia vigent: ex Polybio cognovit *Saaved. in Symb. Polit. p. 408.* Oppressio verò, qva conculcantur à Nobilibus Plebeji, qvid est aliud? Nisi lanienæ publicæ artifex, & cladium perditionisq; mater. Experta est, proh dolor! Clarissima urbs Italiæ Florentia, magna sua mercede, qvantam ruinam sui & totius provinciæ ejusmodi plebejorum oppugnatio, Nobilitati Florentiæ Anno à nata Salute humana M. CC. XV. attulerit: qva factum est, ut jam plebs Nobilitati, jam Nobilitas plebi insultaret: adeò qvidem, ut tandem plebs vincens popularem constitueret Remp. *Bodinus de Methodo Hist. p. 249. &c.* Cognoscens hæc pericula Græcia, feudorum legibus promulgatis, ne Nobiles plebem pessundarent: sed plebejos veluti clientes ab injuria tuerentur, effecerunt omnium ejus Rerump. coryphæi, eadem profligavit: & iisdem legibus diuturnius imperium induxerunt, *teste Eod. p. 622.* Adeò verum est, qvod facundia tua, *Marce Tulli Cicero*, protulit *in lib. de Amicit. T. 4. p. 564. Lit. C.* Qvæ domus tam stabilis? Qvæ tam firma civitas est? Qvæ non odiis atq; dissidiis funditùs possit everti.

QVÆSTIO CLXVII.

An Nobili ebrietas sit licita? Neg.

LEgem Monarcha totius universi CHRISTUS condidit *Lucæ 21. v. 34. & 35.* qva interdixit decrepitæ mundi ætati, in qvam hæc nostra incidit tempestas, de maximis duobus vitiis, qvibus eam maximè adsvetam fore denunciat, ebrietate nimirum & curis hujus vitæ,

hoc verborum ordine; προσέχετε δὲ ἑαυτοῖς, μήποτε βαρυνθῶσιν ὑμῶν αἱ καρδίαι ἐν κραιπάλῃ, καὶ μέθῃ, καὶ μερίμναις, καὶ αἰφνίδιος ἐφ᾽ ὑμᾶς ἐπιστῇ ἡ ἡμέρα ἐκείνη· ὡς παγὶς γὰρ ἐπελεύσεται ἐπὶ πάντας τοὺς καθημένους ἐπὶ πρόσωπον πάσης τῆς γῆς. i. e. Incumbite in id ipsi vobis, neqvando violenter deprimantur corda vestra crapula, & ebrietate, & solicitudine: ut subita in vos qvasi ex insidiis deveniat dies illa: ut laqveus enim obruet omnes, desidentes in superficie terræ. Magistrum æternum seqvitur discipulus in his terris non infimus Paulus Apostolus ita coarctans verba ipsius *Eph. 5. v. 18.* μὴ μεθύσκεσθε οἴνῳ, ἐν ᾧ ἐστιν ἀσωτία· ἀλλὰ πληροῦσθε ἐν πνεύματι. i. e. Ne inebriemini vino: in qvo non est incolumitas: sed impleamini Spiritu. Iterata hæc lex momentum habet ex variis fontibus haustum: nec dignitatum prærogativam, nec sangvinis aviti splendorem, nec divitiarum gloriam, nec scientiæ sublimitatem, nec ætatum discrimen, nec inopiæ obscuritatem excludit. Qvin Vicarius DEI, homoq; à DEO secundus, Imperator MAXIMILIANUS in Comitiis Augustæ Trevirorum & Coloniæ Agrippinæ *Anno 1512.* habitis in *Receß. Imper. p. 87.* ita qvæstionem hanc stabilit: Deßgleichen wiewol das Zutrinkken in vorgehaltenen Reichstägen mehr/denn einmal/höchlich verboten: so ist es doch bisher wenig gehalten/vollenzogen/oder gehandelt worden. Darumb und sonderlich/dieweil aus dem Zutrinkken/Trunkkenheit: aus Trunkkenheit viele Gotteslästerungen/Todtschläge und sonst viele Laster entstehen: also/daß sich die Zutrinkker in Fehrlichkeit ihrer Ehren/Seele/Vernunft/Leibes/und Gutes begeben: so sol in allen

Lan-

Landen eine jede Oberkeit / hoch oder nieder/ geistlich oder weltlich/ bey ihr selbst/und ihren Unterthanen solches abstellen / und daß bey merklichen hohen Peenen verbieten. Und so die vom Adel das nicht meiden wollen: daß dann wir / auch Churfürsten/ Fürsten/ Geistlich und weltlich / und alle andere Oberkeit / dieselben scheuhen / und an ihren Höfen und Diensten nicht halten. Und so einer deßhalb geurlaubet würde: so sol ihn kein ander Fürst oder Oberkeit in ihren Dienst annehmen/oder halten. Die aber/ so geringeres Standes weren/sollen sie an ihren Leibern härtlich darumb strafen. Und ob einige Oberkeit in Handhabung und Vollnziehung solches Gebotes gegen ihren Unterthanen seumig oder lässig würde: so sol unser Käyserl. Fiscal solche Unterhanen / so überfahren hätten / an unserm Käyserl. Cammergerichte zu gebührlichen Straffen annehmen. Aber an Orten/ da das Zutrinkken von Alters hero geübt / und überhand genommen hat / sollen die Oberkeit allen möglichen Fleiß ankehren / solches abzustellen. Videantur *Receß. Imper. de Anno 1530. Augustæ Vindel. p. 215.* §. Und nachdem. & §. Deßgleichen. Accedit & hoc, qvòd *Chrysostom. Homil. 1. in Illud Apostoli: Vino modica utere: citante Nobilissimo & Excellentissimo Dn. Magiro in Sab. Christ. p. 148.* Ebrietatem nominet commune generis humani opprobrium: cujus fœditas Nobiles, utpote homines, nemine refragante, etiam contaminat. Hanc fœditatem non est veritus Tiberius Cæsar. Nam hanc si vitare studuisset:

set: vel in castris etiam tum tyro, propter nimiam vini aviditatem pro Tiberio, Biberius: pro Claudio, Caldius: pro Nerone Mero vocabatur. Postea Princeps in ipsa publicorum morum correptione cum Pomponio Flacco, & L. Pisone noctem, continuumq; biduum epulando potandoq; consumpsit: qvorum alteri Syriam provinciam, alteri Præfecturam Urbi, confectam detulit: codicillis qvoq; jucundissimos, & omnium horarum amicos professus *Svet. in Ipso. c. 42. p. 177.* Diotimum Atheniensem penè calamus horret: qvi, narrante *Æliano lib. 2. Var. Hist. c. 12. p. 78.* dictus est infundibulum: qvòd citra intermissionem, infundibulo in os imposito, vinum infusum absorberet. Nec absimilem huic Phagonem memorat *Flavius Vopiscus T. 3. Hist. Rom. in Divo Aureliano p. 127.* Is enim ante mensam uno die aprum integrum, centum panes, vervecem, & porcellum comederat: biberat autem infundibulo apposito plus orca. At qvid servitio cum Nobilitate? Cum turpitudine virtuti? Cum deformitate Splendori? Veneficam qvoq; ebrietatem nomino non immeritò, nulli Nobilium jungendam. Qvippe ea Cleomenem, Regem Spartanorum, ad insaniam redactum, perpulit, ut sua ipsius se manu interimeret. *Castell. lib. 3. de off. Regis. c. 7. p. 341.* qvanqvam *Herodotus*, unde Castellanus se excerpsisse profitetur Historiam, *lib. 6. seu in Erato c. 21. p. 416.* longè alia his refert. Hæc qvoq; Alexandro M. autor fuit, ut facibus subditis Persepolim incendio deleret, regiam totius Orientis, templum, unde multæ gentes jura petierunt, patriam tot regum, unicum Græciæ terrorem: ut recenset simulq; prædicat *Curt. lib. 5. c. 7. p. 184. 185.*

QVÆ-

QVÆSTIO CLXVIII.

An Nobili scortari liceat? Neg.

DEcretum extat omnium Apostolorum, Presbyterorum, & fratrum in Epistola eorundem, missa ad Fratres Antiochenos, Syros, & Cilices, *Act. 15. v. 28. 29.* his verbis comprehensum: *ἔδοξε τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν, μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος, πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων, ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων, καὶ αἵματος, καὶ πνικτοῦ, καὶ πορνείας· ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς, εὖ πράξετε· ἔῤῥωσθε.* i. e. Consultum statuit Spiritus Sanctus & nos, ne posthac onus aliqvod vobis imponatur, præter necessaria hæc, ut abstineatis Idololatricis, & sangvine, & suffocato, & scortatione: qvæ caventes bene agetis. Valete. Qvod decretum ne qvis putet vi obligandi universos carere: Apostolorum non ultimus *Paulus 1. Thessal. 4. v. 3. 4. 5.* ita id ipsum promulgans repetit; *οἴδατε τίνας παραγγελίας ἐδώκαμεν ὑμῖν διὰ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ. Τοῦτο γάρ ἐστι θέλημα τοῦ θεοῦ, ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν, ἀπέχεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς πορνείας· εἰδέναι ἕκαστον ὑμῶν τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ: μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας, καθάπερ καὶ τὰ ἔθνη, τὰ μὴ εἰδότα τὸν θεόν.* i. e. Scitis, qvalia imperata vobis à nobis fuerint per DOMINUM JESUM. Hæc enim est voluntas DEI, Sanctificatio vestri, ad abstinendum vos à scortatione, & scire qvemq; vestrûm semetipsum possidere vas in sanctificatione & honore: non cum passione concupiscentiæ, ut gentiles, qvi nesciunt DEUM. Apostolus nuncupat illud denunciationem sententiæ Definitivæ: vocat voluntatem i. e. mandatum DEI. TRINITATIS SACRO-SANCTÆ mentionem facit: Secundæ nimirum v. 2. Primæ v. 3. & textus

totus

totus loqventem SPIRITUM S. Tertiam Personam inducit: qvæ necessitatem & virtutem obligandi satis demonstrant. Imò & *1. Timoth.1.v.9.* legem vocat, dicens: δικαίῳ νόμ☉ ἐ κεῖται, ἀνόμοις ᵹ. i.e. Justo non est lex posita, sed flagitiosis s. legum contemptoribus. Et qvò credatur, dari legem & scortatoribus: vocem πόρνοις seu Scortatoribus *v.10.* addit, nec ullum excipit. Qvod decretum & qvam legem SACRO-SANCTÆ TRINITATIS, & totius collegii Apostolici, Presbyterorum, & tot fratrum in CHRISTO, confirmationemq; paulinam ejusdem, stabilit *Paulus 1. Cor. 6. v.9.10. cap.7. v.2. c.10. v.8. 2. Cor.12. v.21. Gal.5.v.19. Eph 5. v.3. Coloss.3.v.5. Author Epist ad Hebr. c.12 v.16. & cap.13. v.4. atq; Judas v.7.* qvin & alii alibi, legis amantes, qvæ extat *Deut.23.v.17.* Et hac lege teneri universos homines, ex caussa Efficiente, Omnibus & singulis imperante, omnibus & singulis eam promulgante, obscurum esse neqvit. Edocet hoc ipsum & legum indoles: qvippe iniqva lex est ea, qvæ in omnes non est eadem. *Barth. in Pronobosc. p.292.* Omnesq; leges factæ sunt, ut earum metu humana coërceatur audacia: tutaq; sit inter improbos innocentia: & in ipsis improbis reformidato supplicio refrænetur audacia & nocendi facultas. Imperatores adhæc Dioclet. & Maxim. *l fœdissimam 20. C. ad l. Jul de adult. & stup.* legibus ulciscendam tradunt earum (& ex natura Relatorum eorum) fœdissimam neqvitiam, qvæ pudorem suum alienis libidinibus prosternunt: nullo hominum excepto. Augustissimis his Imperatoribus citra personarum respectum CAROLUS V. Imperator *in Constit. Imper. Aug. Vindel. Anno 1530. p.221. Art.* von leichtfertiger Beywohnung. *&*

Idem

Idem de Anno 1548. p. 374. Eod. & RUDOLPHUS II. *de Anno 1577. p. 638. Eod.* consentiunt. Turpitudo flagitii flammavit celsissima hæc pectora, ne intra jurisdictionis suæ pomœria projecti pudoris licentiam & voluptatem agere permitterent. Nimirum fornicatio est adulterii præludium: *Janus Gruterus Parte 3. Florileg. Ethico Politici p. 3. & 530.* Ejus adeo fastidiosa fuit Lucretia, ut stuprum passa violentum, se mallet interficere, qvàm tantæ turpitudinis notari: *Cic. lib. 5. de fin. bon. & mal. T. 4. p. 156. Lit. G.* Qvam ita abhorruit L. Virginius, ut sua manu filiam Virginiam majore voluptate occideret, qvàm Appii Claudii, qvi tum erat summo in imperio, libidini dederet: *Id ibid. p. 91. Lit. D.* Alexander M. cum ad se adduceretur, profunda jam vespera, puella, concubitura cum ipso: rogabat: qvid id temporis venisset. Hac allegante, præstolatam se, dum vir suus cubitum ivisset: pueros castigavit acerbè, qvòd penè eorum opera adulter factus esset. *Plutarch. in Apophth. T. 2. p. 179.* Passerem ajunt naturæ mystæ abscedere inde, ubi aërem infectum esse advertit *D. Peucerus de Divinat. p. 618.* Qvid homini designandum fuerit? Qvid Nobilitatis insignibus illustri patrandum? Sentienti, locum, in qvo agit, præsentissimo libidinis toxico esse inqvinatum: qvo qvid ipse non lædat? Castra Macedonum, Græcorum, Romanorum, è qvibus Scipio duo millia scortorum abire compulit: *id qvod è Liv. lib. 7. Dec. 6. p. 219. Lit. F.* notavit *Castellanus lib. 2. de off. Reg. c. 49. p. 271.* & Germanorum, nationum facilè principes, hanc luem expurgarunt & dimoverunt: notante *Lipsio lib. 5. de Milit. Rom. dial. 18. p. 344. 345.* Tu, qvisqvis es, qvi Nobilitatem in pretio esse, & æstimare inde

 di-

didicisti: fuge ceu pestem fornicationem. Fandi illa facultatem profundit. Mirandum refero, qvod ex *Procopii lib. 1.* de bello Vandalico notavit *Excellentissimus Dn. Magirus in Sab. Christ. p. 545.* Multis, ait Vir Amplissimus, martyribus Hunericus, Vandalorum Rex, lingvas radicitùs amputari jussit: qvibus integer vocis usus costitit: at duo ex illis, cum se scortis miscuissent, loqvi amplius neqviverunt. En scortiationis, qvàm ferri, majorem longè violentiam! Majorem verò, qvæ & famam impetit. Unde enim Cleofis, Indorum regina, scortum regium appellabatur? nisi propter prostratam pudicitiam. *Justin. lib. 12. c. 7. p. 129. §. 11.* Unde in torneamentis punita fuit etiã Nobilitas? Nisi ob violatum pudorem. *Münsterus lib. 3 Cosmograph. p. 710. & p. 745.* Prolem ipsam, per hoc scelus productam, conspurcat & lœdit. Concidit citiùs arescens, testaturq; de libidine & malitia parentum, siqvis eam interroget: *Sap. 4. v. 3. ad 7.* Vitæ & ipsi insidiatur clanculum, qvoad eam amputet. Amputavit profectò Juveni cuidam Parisiis: qvi, dum è fornicatione jam voluptatem caperet, periit: in cujus cranio aperto ne minima cerebri paricula fuit reperta. *Frisius Parte 2. lib. 1. Speculi Medicinalis. c. 9. p. 207.* Qvin & aperto Marte oppugnavit dierum humanarum orbem, eundemq; expugnavit. Leontius certè, eripere ausus virginis non obscuræ pudorem, Patruini Consularis sententia, supplicio ob id capitali addictus est: memorante *Amm. Marcell. lib. 15. c. 27. p. 50.* Qvibus *Fridericus Lindenbrogius in Com. in Amm. Marcell. p. 35.* hæc subjicit: Hoc qvidem ex jure antiqvo, & ad præscriptum *legis Juliæ l. 6. ff. ad l. Jul. de Adult.* Recentiorum Imperatorum Constituti-

oni-

onibus id variè interpolatum. Siqvis enim per vim puellam depudicasset, jam alii pactam; ut adulter puniebatur, qvi facinus perpetrârat. Si verò ἀμνήστευτον f. nondum desponsam: tum ducere eam, licèt pauperrimam, cogebatur. Qvodsi verò nuptias stupratoris illa non optaret: naribus abscisis, triente bonorum reus mulctabatur. At verò si solis blandimentis in fraudem pellecta esset: inq; venerem consensisset; aut ducebat eam: aut suarum facultatum partem dabat. Sin secus: verberatus & tonsus relegabatur. O DEUM immortalem! Si his temporibus, istius criminis delatis, opus foret tonsoribus: infinitas eorum phalangas conscribendas esse duco. Qvantam verò religionem incesisse dicam C. Julium Cæsarem? Qvi libertum gratissimum, ob adulteratam eqvitis Romani uxorem (qvamvis nullo qverente) pœna capitali effecit. *Svet. in Eod. c. 48. p. 33.* Qvid? qvòd è vita etiam immortali exituros, imò ut rectiùs dicam, eam non ingressuros esse minatur scortatores omnes, canum colluvioni aggregans eos *in Apocalypsi c. 22. v. 15. Joannes Theologus, divinitatis intimus, & sine pari contemplator, adeoq́; ei, (ut sic dicam) à secretis, ita laudatus à Ludov. Cel. Rhod. lib. 7. Lect. Antiq. c. 24. p. 369. Lit. A.* Contra ea qvæ major virtus jam Nobilem efferre posset castitate? Qva enituit Scipio ille Africanus, *teste Plutarcho in Eod. T. 1. p. 330. col. 1. Lit. A.* Adducebatur in ejus conspectum qvædam ex captivis virgo formâ summa. Hanc Scipio & diligentissimè custodiri, & integerrimè servari jussit. Cumq́; paulò pòst cognovisset, eam Lucejo, Principi Celtiberorum, desponsatam esse: Sponso ad se accito Adolescenti, integram inviolatamq́; restituit. Res protectò est (ita

pergit Hiſtoricus) celebranda literis : & ipſe Scipio dignus , ut tantæ manſvetudinis & continentiæ ab omnibus ſcriptoribus ferat fructum. Sic Sagum caſtitatis fuiſſe amans oſtendi : monſtrabo & ejusdem reverentiam in ignobilioribus : ut Nobilitas, qvod admiretur, qvod item non deſpiciat, nanciſcatur. Cias virgines morem habuiſſe *Plutarchus de Virtut. Mulier. T.2 p. 219.* prædicat, ut uno cætu ad publica ſacra profectæ, ibi inter ſe diem traducerent. Spectabant proci ludentes, & choreas ducentes. Sub veſperum demum ad unamqvamq; invicem ibant : parentibusq; & fratribus mutuò miniſtrabant, ut lavarent etiam eorum pedes. Sæpè unam plures amabant ; eratq; tam caſtus, & legitimus amor : ut, cum deſponſa uni puella eſſet, amorem ſtatim ex animo omnem reliqvi dimoverent. Caput caſtitatis muliebris ſit, qvòd neq; adulterium apud eos, neq; ſtuprum, non intercedentibus nuptiis, ullum ſeptingentos annos memoria relatum ſit, fuiſſe auditum. Qvibus ferè gemina ut addam, moveor moneorq; à *Tacito de Mor. Germ. cap. 6. p. 613.* ſcribente : Ne apud Germanos ſe mulier extra virtutum cogitationes, extraq; bellorum caſus putet : ipſis incipientis matrimonii auſpiciis admonetur, venire ſe laborum periculorumq; ſociam : idem in pace, idem in prælio paſſuram auſuramq;. Hoc juncti boves, hoc paratus eqvus, hoc data arma denunciant. Sic vivendum, ſic pereundum : accipere ſe, qvæ liberis inviolata ac digna reddant: qvæ nurus accipiant : rurſusq; ad Nepotes referant. Ergo ſepta pudicitia agunt, nullis ſpectaculorum illecebris ; nullis conviviorum irritationibus corruptæ. Paucisſima in tam numeroſa

gente

gente adulteria: qvorum pœna præsens, & maritis permissa. Accisis crinibus nudatam coram propinqvis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. Publicatæ enim pudicitiæ nulla venia: non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit. Qvocirca verbis *Isid. Pelus. lib. 4. Epist. 115. p. 52.* inclamo: *κακὸν ἡ κλοπή· κάκιον δὲ ἡ πορνεία· κάκιστον δὲ ἡ μοιχεία.* i. e. Malum est furtum: pejor verò fornicatio: sed pessimum adulterium. Finirem hic qvæstionem, nisi mos aliùs atq; aliùs populi mihi denunciaret, licere suis voluptatem capere ex congressu venereo. Offert se initiò Babylon testem, cujus urbis de moribus ait *Curtius lib. 5. p. 92* nihil illis esse corruptius, nec ad irritandas illiciendasq; immodicas voluptates instructius. Liberos, afferit, conjugesq; cum hospitibus stupro coire, modò pretium flagitii detur, parentes maritosq; pati. Convivales, pergit, ludi tota Perside Regibus Purpuratisq; cordi sunt. Babylonii maximè in vinum, & qvæ ebrietatem seqvuntur, effusi sunt. Fœminarum, convivia ineuntium, in principio modestus est habitus: dein summa qvæq; amicula exuunt, paulatimq; pudorem prophanant. Ad ultimum (honos auribus sit!) ima corporum velamenta projiciunt: nec meretricum hoc dedecus est: sed matronarum, virorumq;, apud qvos comitas habetur vulgati corporis vilitas. Romanos mores etiam silere neqveo, qvos refert *Svet. in C. Caligula. c. 4. in p. 237* & qvidem sub ipso. Hic enim Imperator, ne qvid non manubiarum genus experiretur, lupanar in palatio constituit: distinctisq; & instructis, pro loci dignitate, compluribus cellis in qvibus matronæ ingenuiq; starent: misit circum fora &

baſilicos nomenclatores, ad invitandos in libidinem juvenes, ſenesq;: præbita advenientibus pecunia fœnebri: appoſitisq;, qvi nomina palàm ſubnotarent, qvaſi adjuvantium Cæſaris reditus. *Vid. Lipſ. lib. 1. Elect. c. 11. p. 387.* Hactenus de moribus Gentilium. Chriſtianorum Romanorum non abhorrent illos: qvos ita depingit mirè *Sleidan. lib. 12. de Statu Relig. T. 1. p. 394. col. 1.* Qvid dicemus de mulieribns impudicis atq; ſcortis? Qvæ veſtitu & omni apparatu nihil in hac urbe differunt à reliqvis matronis: & vectæ mulis per mediam urbem, ſectatores habent etiam media luce, primi nominis Cardinalium familiares, & id genus alios. Ejusmodi certè luxum & intemperantiam nulla videmus alia in urbe, qvàm in ea, qvæ totius orbis terrarum veluti ſpeculum & exemplar eſſe debebat. Sqvalidum profectò ſpeculum, qvod nævos non oſtentat: qvod inqvinat. Non Babylone, non Romæ qvid fieri ſoleat, amplectendum eſt. Qvis rationem habeat conſvetudinis? Qvæ habenas rationis, (addo & honeſtatis) excutit. *Voſſ. lib. de Conſtruct. c. 17 p. 66.* Scilicet commune ſ, vitium in gentilitate erat fornicatio, ita, ut & putarent aliqvi, non eſſe ſcelus, adoleſcentem ſcortari. Ideo Palus fœditatem hujus peccati in ſuis ad gentes Epiſtolis crebro inculcat. *Nobiliſſimus & Excellentiſſimus Dn. D. Bald. in Com. in 1. Epiſt. ad Theſſal. p. 131.*

QVÆSTIO CLXIX.

An concubinatus Nobili conceſſus ſit? Neg.

Divi-

DIvina Majeſtas, videns, deſtitui Adamum adjutrice, & ſociâ: profundum eidem immittebat ſomnum. DEUS verò una coſtarum Adami ſumptâ: carne locum iſtum clauſit. Adhæc dixit Adamus: Hoc eſt os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Hæc vira vocabitur: qvoniam de viro ſumpta eſt. Qvare homo relinqvet Patrem ſuum & matrem ſuam: & adhærebit uxori ſuæ. Et erunt duo in carne una. En Conditoris verba! Signat duo individua, uno nexu juncta. Socia ergo uxori legitima nulla adjungenda eſt: nullus marito corrivalis adaptandus. Univerſalis lex eſt, juri divino, pariterq; naturæ ita congrua: ut nullus ſibi exceptionem, nullus peculiare privilegium, qvalis qvalis ſua ſit dignitas, comminiſci posſit. *Vid. Magnificus, Nobilisſimus, atqve Excellentisſimus Dn. D. Chriſtophorus Pelargus in Com. in Geneſ. p. 63.* Verba hæc benignisſimi ac potentisſimi Creatoris noſtri DEI repetit Filius DEI unicus, DEO Patri unicè in deliciis, *Matth. 19. v. 5. 6.* Et ad omnes homines applicat, omnes concubinas ſilentio præteriens, imò prorſùs excludens. CHRISTI ſententiam Magiſtri ſui maximi diſcipulorum non infimus Paulus coarctavit in *Epiſt. 1. Cor. 6. v. 16. ad Epheſ. c. 5. v. 31.* innuens, inſtitutionem divinam, tanto à Doctore repetitam, iterum iterumq; inculcari omnibus hominibus, ut nemo eam auſit evertere; nec ab ejus tramite, dolo diaboli, vel mundi inſanientis vafritie, averti ſe patiatur. Filium ſuum unicum, non prorſùs ignobilem, abſtrahi inde paſſus eſt Tobias Senior; utpote in Ethicæ ſuæ, filii cauſſa concinnatæ, Synopſi, inter alia ſalubria morum præcepta, eundem moriturus, reddito

amo-

amoris paterni nuncio, filii ſui nomine, hæc edocuit. *Tob. 4. v.13.* Attende Tibi, Fili mi, ab omni fornicatione: & præter uxorem tuam nunqvam patiaris crimen ſcire. Crimen appellat Author verſionis Bibliorum Latinæ: ut ſignet, concubinatum cum omni homine, tum præcipuo ſtudio Nobili cuiq; vitandum eſſe: ne iſto obtenebretur & obducatur atra qvaſi vitii nube aureus ille fulgor nobilitatis. *Nobiliſſimus ac Ampliſſimus Dn. D. Cell. lib. 1. Polit. cap. 2. pag. 21. §. 5.* ex *Ariſtot. (ut ipſe citat.) lib. 1. Polit. cap. 3. & 12.* conjugium definit *σύζευξιν τοῦ ἀνδρὸς, καὶ τῆς γυναικὸς φυσικὴν, καὶ ἀχώριστον, ὑπὸ τοῦ θεοῦ, τῆς τεκνοποιΐας, καὶ συνεργίας ἕνεκα*: i. e. conjunctionem maris & fœminæ naturalem & indiviſibilem, à DEO, ob ſobolis procreationem & mutuum adjutorium. Maſculi unius, unius item fœmellæ mentionem hîc fieri lego: ut intelligatur, prohibitum eſſe omnibus, DEO naturæq; repugnantem, concubinatum. Contra ea inſurgunt nonnulli concubinatu freti Salomonis Regis, qvi *1. Reg. 11. v.3.* trecentas habuiſſe concubinas dicitur. Et *2. Paralip. c. 11. v.21.* Rehabeamus Rex fertur foviſſe concubinas ſexaginta. In priorem locum præter cæteros commentatus eſt *Nobiliſſimus & Ampliſſimus Dn. D. Franc. de Interpret. Script. p. 463. ad p. 475.* ubi cum Megalandro Germaniæ B. Dn. D. Luthero gynæconitiden intelligendam eſſe docet. Idem de poſteriore me poſſe ſentire ſine religionis diſpendio non hæſito. Inſtant alii, totum titulum ff. de concubinis concedere libertatem cuiq; Nobili ſociandi ſibi ad tempus concubinas, cumq; eis voluptate fruendi. Ejusdemq; copiam dat *Modeſtinus. l. Stuprum. 34. §. Adulterium. 1. ff. ad l. Jul.*

de

de adult. Verùm salva res est. A bracchio humano promulgatæ sunt hæ leges: qvæ nec divinum, nec naturæ jus delent. *Vid. Nobilissimus ac Excellentissimus Dn. Hornius lib. 2. Polit. cap. 2. pag. 214. 215. & Bodinus lib. 1. de Rep. c. 8. pag. 160. 161.* Imò contradicit huic qvæstioni Imperator CONSTANTINUS. *l. Nemini. 1. C. de Concubinis.* & Imperator ZENO *l. Divi Constantini 5. C. h. t. junge & l. 6. 7. 10. 11. 12. C. h. t. Plutarch. in lib. de Virtut. Mulier. T. 2. p. 224.* citat exemplum Stratonices, Dejotari Regis Conjugis, qvæ, cum percupida esset successoris, è marito suo in regno: seq; sterilem fore non ignoraret: maritum impulit, ut talem ex alia muliere generet, & sibi permitteret subjici partum. Dejotarus, consilium mulieris miratus, ejus arbitrio rem permisit. Illa puellam inter captivas, forma honesta & liberali, Electram nomine, paravit: conconciliavitq; Dejotaro: ac prognatos ex ea filios pro suis piè & splendidè eduxit. Qvam instantiam ea responsione, qva superiori satisfeci, solvendam puto. Aliud verò objicit *Dn. Hornius lib. 2. Polit. c. p. 59. 60.* narrans, authore Ænea Sylvio, institutis Litvanorum concedi, ut matronæ nobiliores maritis adsciscant concubinos, qvi dicantur matrimonii adjutores. Egregios verò adjutores: qvos leges vel fustuario comunt, vel capitis damnant. Qvid? Et sancti qvidam Ecclesiæ primitivæ Patres usi sunt concubinis: id qvod testatur *Desiderius Erasm. in Dedicator. Epist. Volum. 1. Aurel. August. præmissa p. 1.* nec de se diffitetur ipse *Augustinus lib. 4. Confess. c. 2. p. 90. Lit. A. & lib. 6. Confess. c. 13. p. 121. T. 1. Lit. D.* Verùm hæc ipsa prosterni potest objectio ex supra memoratis: atq; ex ipsius *Augustini* pronunciato

lib. 4. Confeß. c. 2. p. 90. T. 1. Lit. A. ubi ejusmodi inſidiatrices alendas eſſe negat.

QVÆSTIO CLXX.

An πολυγαμία probibita ſit? Aff.

QVæſtioni huic firmandæ, præter ea, qvæ ſuperior qvæſtio recenſuit, huc pertinentia, non puto abſona fore, qvæ tradit *Excellentiſſimus Dn. D. Cellarius lib. 1. Polit. c. 2. p. 27.* Excluditur, inqvit, à ſocietate conjugali ſimultanea, ut vocant, Polygamia: cujus uſus in Vet. Teſt. qvidem fuit: inter Chriſtianos verò hodie planè nullus eſt amplius. Recta qvippe docet ratio, honeſtius eſſe, à matrimonio plurimarum fæminarum abſtinere. Siqvidem ſic animus, ab uxore in ſolidum marito datus, æqvali retributione penſatur: rectiusq; ſub una præſide domeſticum procedit regimen: cum diverſæ matres diſcordiam inter liberos pariunt. Idem jubent Imperatores Valerianus & Gallienus *l. Eum qvi. 18. C. ad l. Jul. de adult. & ſtupro.* In contrarium nititur exemplum Elkanæ, cui duæ erant: alteri nomen erat Hannæ: alteri Peninnæ:

Hæc pulchra lætum faciebat prole parentem:
Iſthæc conjugii pignora nulla tulit.

Qvin & Patriarchis ſolemnis fuit multarum maritarum familiaritas & conſvetudo. Verùm cum inde jus nec divinum, nec naturale, nec gentium deduci qveat: ſolutione ejus ſuperſedeo: & me refero ad authoritatem Nobilisſimorum & Excellentisſimorum JCtorum, *Dn. Sprengeri lib. 2. Inſtit. Juris Publ. c. 15. p. 231. & Dn. Samuelis Neandri in Tract. de Sponſal. & Nupt. p. 57. ad 62.* Germania

verò

verò libertatis amans, à regula declinavit. Qvippe de Germanis enunciat *Tacit. de Morib. Germ. cap. 18. pag. 442.* apud eos ſevera fuiſſe matrimonia: nec ullam partem magis laudaveris. Nam propè ſoli Barbarorum ſingulis uxoribus contenti ſunt, exceptis admodum paucis, qvi non libidine, ſed ob nobilitatem, plurimis nuptiis ambiuntur. Qvem morem vitii notarem, niſi mihi conſtaret, eum à Nobilisſimo atq; Conſultisſimo *Dn. Kirchmajero in Com. in Tacit. Germ. p. 263. 264.* eſſe refutatum & proſtratum: qvî cum & ego libidinem hanc vagabundam, nec legibus ſacris coërcitam, extra ſacra commorari: & Turcis etiam Nobili Chriſtiano indignam videri credo.

QVÆSTIO CLXXI.

Num Nobili nimia exactio liceat? Neg.

SÆpius fieri, proh dolor! cognoſcimus, ut non ſolùm lachrymæ ſubditorum prodant Nobilium, jugum ſubditis ſuis non tolerandum imponentium, duritiem: ſed &, poſt rumorum, auditorum minùs tenacem, publica accuſatio iniqvitatis eos inſimulet, Principemq; ad opem ferendam imploret. Qvæ res admodum eſſe ſolet abominabilis. Cancellarius DEI, Moſes, ita laudatus à *Lanſio in Conſult. Princip. Orat. 1. p. 4.* legem olim tulit, nulli, qvod cenſeo, homini rumpendam, qvæ extat *Levit. 25. v. 39. 40. & 43.* Si paupertate, inqvit Legislator, oppreſſus fuerit frater tuus: & ſe vendiderit tibi: non eum opprimes ſervitute famulorum: ſed qvaſi mercenarius & colonus erit. Ne affligas eum per potentiam: ſed metuito DEUM Tuum. Et hanc legem

æqvitatis invitatu promulgatam, & ſingulis obſervandam fore, nullus dubito. Repetitam ferè iisdem verbis Doctor gentium Paulus calculo ſuo approbat *in Epiſt. ad cap. 6. v. 9.* dicens: καὶ οἱ κύριοι τὰ αὐτὰ ποιεῖτε πρὸς αὐτοὺς, ἀνιέντες τὴν ἀπειλήν, εἰδότες ὅτι καὶ ἡμῶν αὐτῶν ὁ κύριός ἐστιν ἐν οὐρανοῖς, καὶ προσωποληψία οὐκ ἔστι παρ' αὐτῷ. i. e. Et vos Domini, benefacite ſervis, ac definite comminari: ſcientes, veſtrum ipſorum DOMINUM eſſe in cœlis, nec eſſe reſpectum perſonarum apud ipſum. Et qvis eſt: qvi neſciat, tot prodigia, tot miracula, tot vulnera qvoq;, qvibus ob exactionem tremendam divina Majeſtas Pharaonem cruciavit: ut eriperet populum ſuum ex difficultatibus: qvibus impeditus fuit: abſterrere ab oppresſione ejusdem Ægyptios: tantum demum cladem iis intuliſſe, qvæ tantū exercitum, ipſum etiam Regem interneciōni dedit: cum in DEUM Deiq; jura Majeſtatis ſeſe cœcus armare conaretur: id qvod confirmat *Exodus à cap. 7. usqve ad 15.* Ad propinqviora acceſſum facio, magnum de ea tumultum excitatum fuiſſe ſuperiore ſeculo. Anno namq; à nato CHRISTO M. D. XCV. Siculi, Alpes qvi Poloniam & Moldoviam verſus incolunt, ruſtici ſunt, pariterq; Tartaris potiùs, qvàm Chriſtianis ſimiles, unde rectiùs Scytali nominandi eſſent, ut pleriq; ſunt pedites, bombardis utentes, pauci verò eqvites, Transſylvanum ſecuti ſunt, in Walachiam, contra Sinam Baſſam, proficiſcentem. Promiſſa fuerat ipſi immunitas à Nobilium exactionibus: cum obtuliſſent, ſe aliam regionem, parem magnitudine illi, qvam tunc incolebant, occupaturos: ſed, cum, qvæ præmiſſa fuerant, minimè fuiſſent præſtita, dum Princeps ipſe Pragæ morabatur, tumultum excitâ-

citârunt: qvi tamen facilè sedatus fuit, præcipuis qvibusdam authoribus capite multatis. *Lazar. Soranz. Parte 3. de Imperio Turcico cap. 90. p. 131.* Civile ait esse, & Parenti Publico convenientissimum, *Plin. in Paneg. ad Traj. p. 132.* nihil cogere semperq; meminisse, nullam unqvam tantam potestatem cuiqvam dari posse, ut non sit gravior potestate libertas: ita placeat & Nobili, ingenia subditorum suorum beneficiis, qvàm remediis, experiri: *Id. ibid. p. 72.* Namq; præcipuum est virtutis ac virium argumentum, ut superiorem agas, non per injurias asseqvi: arbitrio *Taciti de Morib. Germ. p. 299.* Apud DEUM non tam exactio, qvàm exactio iniqva damnatur. *August. serm. 19. de V. D. T. 1. p. 809. Lit. C.*

QVÆSTIO CLXXII.

An Nobili liceat esse aleatori? Neg.

PRohiberi aleæ lusum & usum, *l. Constitutio. 1. C. de Aleat. & alear. usu. l. 2. Nam licere 2. l. alearum 3 & l. Prætor. 1. in pr. ff. de aleat.* docent: nullam ullius hominis exceptionem admittentes. Nomen etiam & res ipsa contumeliosa sunt. *Nam Amm. Marcell. lib. 28. c. 22. p 399* refert, qvosdam, eosq; raros, aleatorum vocabulum declinasse, cupiisseq; se appellari tesserarios: inter qvos idem credit tantum differre, qvantum inter fures & latrones. Qvæ tam fœda appellatio, tam turpis significatio qvomodo cum Nobilitate, virtutum propugnatrice, possit qvadrare, & citra injuriam & despectum tantæ tot privilegiorum prærogativæ

aptari, eqvidem non afferuero. *Card. de Arcan. Prud. Civil. c. 119. p. 550.* Atrocitatis summæ aleam defert, qvòd manè divitem, serò possit efficere egenum: *Lansio authore in Consult. Princip. orat. 5. p. 223.* credo, confirmanti, cujusdam Medici filium in tali publica aleæ academia (hoc enim nomine corruptionis officinæ indigitantur) sexaginta coronatorũ millia dilapidasse. Qvo à lusu tamen non abstinuit OCTAVIUS AUGUSTUS Imperator, qvi aleam assiduè lusit, nec ullum rumorem ea de re expavit: &, cum effusè in lusu liberalis fuisset, qvod solebat, perdidit viginti millia nummûm. *Svet. in Eod. c. 71. p. 118. 119.* Divus etiam Claudius Imperator, studiosissimè lusit aleam, de cujus arte librum emisit. *Id. in Eod. c. 33. p. 282.* Is ipse in *Flavio Domitiano c. 21. p. 432.* asserit, istum Imperatorem se toties, qvoties otium esset, alea oblectasse: etiam profestis diebus, matutinisq; horis. Hunc qvoq; lusum in Gallia mirum qvantum invaluisse: *Lans. in Consult. Princip. Orat. 5. p. 223 224.* narrat: Qvid? Germanis ipsis ejus usum adscribit *Tacit. de Morib. Germ. p. 296.* Germani, inqviens, aleam (qvod mirere) sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendivè temeritate, ut, cum omnia defecerint, extremo ac novissimo jactu de libertate & de corpore contendant. Mirum, profectò, asylum! Ad qvod qvi confugit, minùs tutus esse potest. Exempla imperatorum, leges transscendentium, seqvelam in vetitis non concedunt. Nationis geminæ usum ejusdem nemo imitetur. Aleæ lusus in bene compositis Rebusp. graviter inhiberi; me ignorare non sinit *Lans. in Consult. Princip. Orat. 5. p. 223.* Qvi simul addit, constitui in transgressores pœnalem actionem famo-

famosam, receptumq; esse confirmat, ut susceptori aleatorum, qvi aleatoribus longè neqvior sit, impunè fiat furtum: & injuria damnumq; detur impunè: ut qvoq;, qvi cogit ad ludum, gravi multa coërceatur: vel ducatur in latomias, aut vincula publica: atq; insuper domus, qvibus aleâ luditur, publicentur.

QVÆSTIO CLXXIII.

An calumniari deceat Nobilem? Neg.

CAlumniâ, qvam objectionem falsi criminis definit *Menoch. lib. 2. consil. 145. n. 16. ex l. Accusatorum. §. Calumniari 1. ff. ad SCtum Turpiliarum*, abominabilem esse DEO, veritatis fonti, Vetus pariter & Novum fœdus indicat. Octavum præceptum decalogi *Exodi 20. v. 15.* falsum testimonium publico interdicto tollit prorsus. Qvin ipse DEUS *Levitici 19. v. 16.* prohibet, repetens & explanans decalogum, qvò minùs de familia sua ullus sit criminator. Simile edictum publicavit *Jacobus in Epist. suæ c. 4. v. 11. 12.* *μὴ καταλαλεῖτε ἀλλήλων, ἀδελφοί· ὁ καταλαλῶν ἀδελφοῦ, καὶ κρίνων τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, καταλαλεῖ νόμου, καὶ κρίνει νόμον· εἰ δὲ νόμον κρίνεις· οὐκ εἶ ποιητὴς νόμου, ἀλλὰ κριτής. εἷς ἐστιν ὁ νομοθέτης, ὁ δυνάμενος σῶσαι καὶ ἀπολέσαι· σὺ τίς εἶ, ὃς κρίνεις τὸν ἕτερον.* i. e. Ne calumniis vos pungite invicem fratres. Qvi calumniam intendit fratri, & qvi judicat fratrem: detrahit legi, & judicat legem. Si verò legem judices: non es observator seu cultor legis, sed judex. Unus est legis lator, qvi potest servare & perdere. Tu qvis es? Qvi judicas alium. Tanta certè harum, ut brevissimarum, legum est amplitudo, ut ambitu suo comprehendat, qvicqvid hominum

num

num vel Sol vidit antè, vel etiamnum videt, vel videbit posthac, si qva futura est hominum posteritas. Divinarum harum legum authoritati non repugnat ipsum nomen, qvod *Romanæ eloqventiæ Parens lib. 1. off. T. 4. p. 469. Lit. A.* pro dolo vel malitia accipit, ita fatus: Exsistunt etiam sæpè injuriæ calumnia qvadam, & nimis callida & malitiosa juris interpretatione. Ex qvo illud: Summum jus, summa injuria: factum est jam tritum Sermone proverbium. Qvi dolus, ut ne aliàs qvidem præsumitur longè abest à Nobili, qvoq; abesse sanè debet. Accedit Ciceroni *D. Contzen lib. 8. Polit. c. 4. p. 553. col. 1. §. 3.* Qvi famam impetere perinde esse, ac hominem occidere, statuit. *Tertul. de Idololat. c. 2. p. 150. Salvian lib. 3. de Gubern. DEI p. 74. & lib. 8. p. 807. Dn. D. Cramer. inprim. in Psalt. p. 160. & 174.* Hinc rogatus aliqvando Thearidas gladium acuens, an acutus esset? regessit: Calumnia acutior: *Plutarch in Apophtheg. T. 2. p. 209.* Venenis non absimilem statuit *Amm. Marcell. lib. 15. c. 9. p. 22.* Paulum qvendam describens, cui cognomentum Catena inditum fuerit: eò qvòd in complicandis calumniarum nexibus esset indissolubilis, tetra venena ferens, varièq; dispendens. Ideo legum latores neminem hoc scelus patrare impune passi sunt. Calumniatoribus pœnam lege Remmia vel Rhemnia irrogari, *Marcianus l. Accusat. 1. §. Calumniatioribus 2. ff. ad SCtum Turpil. Glossa Marginalis Dionys. Godofredi ad h. t. ita habet:* Fronti Tò K. inurebatur. Eâ enim notâ calumnia significabatur. Latiùs exspatiatur *l. Qvisqvis ult. C. h. t.* ubi nulli,

nulli, qvi crimen intenderit, impunitam fore duo Imperatores, HONORIUS & THEODOSIUS, denunciant, licentiam mentiendi: cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii. *Vide Rec. Imper. de Anno 1530. p. 199.* §. Und nachdem. *de Anno 1541. pag. 255.* §. Ferner haben: *de Anno 1548. pag. 376.* §. Wiewol wir. §. Ferner setzen. *& pag. 377.* §. Wo aber. §. Doch die; *de Anno 1566.* §. *Caussas injuriarum: De Anno 1567. p. 603* §. Setzen/ordnen: *de Anno 1577. p. 689. Artic. 31.* Malè ob eam periit Ludovicus Berengarius Gastius, referente *Thuano lib. 61. p. 108. Lit. D E F. & p. 109. ad f.* qvi convitiis & Reginam & Gynezæum proscindens confossus in cubiculi sui pavimento est. *Plautina Musa in Pseud. act. 1. sc. 5. v. 12.* aliam minatur, & qvidem commeritam, pœnam, & calumniatoribus, & auscultantibus, ita modulata:

Homines, qvi gestant, qviq; auscultant crimina,
Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant:
Gestores lingvis, auditores auribus.

Qvocirca cuiq; homini, & cumprimis Nobilibus, virtute Majorum, à qva secedere nefas est, Nobilitatem nactis, *Epistola 329. Isid. Pelus. lib. 1. p. 73.* ad Anatolium scripta, ansam declinandi vitium hoc nefandum præbeat, ita structa. Nonnulli te intemperantem lingvam habere cavillantur, fontiumq; maledicentiæ flumen esse, ipsius fluenta copiosè profuseq; tum excipiens, tum eructans: qvæ qvidem in supplicii & cruciatûs mare hominem conjiciunt. Qvod si effugere cupis: vivarum potiùs aqvarum puteum investiga: qvi hoc

affert,ut ne qvis postea sitiat: & lingvæ custodiam præbet, ne in malitiæ verba declinet.

QVÆSTIO CLXXIV.

An Nobilitas Generis verè sit Nobilitas? Neg.

AFfirmativam sententiam tuetur *Dn. M. Velsteinius Dec. 11. Qvæst. Eth. qvæst. 5. p. 264.* ita scribens: Si ad fructus plures, svaviores elegantioresq; edendos, multum interest, ex qva succus evellatur arbore: si etiam ad indagandam fallendamq; feram, vel ad eandem perseqvendam, non parum fecit, qvali ex genere canis suspiciatur: qvanto magis ad vitam rectè atq; ex virtute gerendam refert, ex qvibus parentibus natus sis: an ex iis, qvi nunqvam aliqvam laude dignam ex se ediderunt: an his, qvos ardens evexit ad æthera virtus. At hoc argumentum desumptum est ex Loco Similium: qvod cum per vulgatum Canonem Logicum, tum auctoritate *Qvintil. lib. 5. Orat. Instit. c. 11. p. 289.* qvi similitudinem ad orationis ornatum ait assumi, roboratur. Vide *Nihus. in Disput. Log. Disp. 10. th 19. D. Christ. Matth. lib. 2. Syst Log. c. 18. p. 442. D. Jacob. Mart. lib. 2. Log. Perip Sect. 2. c. 19. p. 153.* Nonnulli *ex l. Siqvis. 11. C. de Impuberum & alior. Substit.* idem colligunt: qvòd ibi natura & Pater & filius eadem esse persona penè intelligantur. At hinc qvæstioni nullum paratur patrocinium. Penè dicitur, qvod limitat. Individualiter capi neqvit Enunciatio. Generaliter non est eadem persona sub uno Genere & Specie. Identitas, ut sic dicam, consistit in Jure, qvod filius habet in rem, s. hereditatem: Pater in re: Pater habet dominium verum: fili-

filius in spe. Nolo adhæc præterire *Generosum & Nobilissimum Dn. Cromerum. lib. 1. de Situ & gente Poloniæ p. 407. col. 1.* his mihi commodantem: Præstabilius habetur nobilem natum esse, qvàm factum. Qvis verò, qværo non abs re, produxit nobilem? Pater, siqvis respondeat: negò. Pater generat qvidem filium: sed non Pater Nobilis filium Nobilem. Nam Nobilitas non propagatur cum traduce: sed confertur à Principe, à qvo descendit, majestatis ex juribus profluens. Consentire videtur *Sen Ep. 44. p 504.* Nobilem ratus non facere atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit: nec, qvod ante fuit, nostrum est. Animus facit nobilem: (nobilitate Ethica) cui ex qvacunq; conditione supra fortunam licet surgere. Eidem concinit Saxoniæ Horatius, *Dn. Taubmannus lib. 1. Epic. p. 157.* hoc lepore:

-- -- -- Penè evanescit in isto
Nobilitas, cujus laus est in origine solâ.

Solvit arctatam hanc verborum structuram liberiora laxans fila, *Plutarch. in Arato T. 1. p 304. col. 2. Lit. E.* hoc colore: Antiqvum qvoddam proverbium videtur mihi Chrysippus Philosophus, ne ejus invisa plerisq; sententia aures offenderentur, non ita, ut erat, sed ut commodius ipsi videbatur, protulisse:

Anne suum laudet Patrem, nisi prospera proles?

Qvem redarguens Dionysodorus Troezenius, verum adagium ipse exponit, cujus hic est sensus:

Anne suum laudet Patrem, nisi non bona proles?

Aitq;, eorum ora hoc dicterio obthurari, qvi, cum ipsi per se nullius sunt pretii, Majorum suorum in laudes subrepant, inq; iis prædicandis sint nimii. Enimverò

cui generosa indoles à Majoribus innata est: ei, si ad pulcherrimum exemplum domesticorum vitam suam componere instituerit: in felicitatis parte ponendum est. Si Majorum suorum; qvi virtute aliis antecelluerunt, memoriam colat, & perpetuò aliqvid de iis vel audiat, vel loqvatur. Non enim propriorum bonorum penuria suam existimationem ab aliorum gloria ille suspendit: sed Majorum suorum virtutibus suas actiones annectens, ut generis, ita etiam vitæ factorumq; suorum autores & duces eos prædicat. Eandem insistit viam *Tibullus lib. 4. in Carm. ad Messalam p. 139.*

-- Qvanqvam antiqvæ gentis superant tibi laudes.
Non tua Majorum contenta est gloria fama:
Nec qværis, qvid qva judex sub imagine dicat:
Sed generis priscas condendis vincere honores:
Qvàm tibi Majores, majus decus, ipse futurus.

Principibus, (at planè impropriè, cum excedant Majestate sua Nobilitatem) qvasi injurium fore qvenqvam ferè dixero nobilem, qvi genus suum prædicet, & inde Nobilem se ostentet: auscultans *Svetonio in C. Caligula c. 22. p. 219.* narranti, Imperatorem concertantes apud se super cœnam de nobilitate generis auditos, exclamavisse Homericum illud:

-- -- -- εἷς κοίρανος ἔστω,
εἷς βασιλεύς. i. e.
-- -- -- Unus Dominus sit,
Unus Rex.

Agmen tandem claudat *l. 1. C. de Jure aur. annul. & de Natal. & restitut.* ubi Impp. Diocle. & Maxim. inqviunt: Natales antiqvos, & jus ingenuitatis non ordo

præ-

præstare decurionum, sed à nobis peti potuit. Qvare nemo glorietur de stemmate, & prosapia, atq; natalium splendore. *Sen. 3. benef. cap. 28. pag. 247.* nemo se ob stemma humile contemnat. *Sen. Epist. 44. pag. 504.* Qvàm magnus est DOMINUS! & humilia respicit: excelsa autem à longè cognoscit. *August. lib. 5. Confess. c. 3. T. 1 p. 101. Lit. A.*

QVÆSTIO CLXXV.

An legitimatio sit affinis Nobilitationi? Aff.

DOminus *Perez de Jure Publ. pag. 324. 325.* Natalium restitutio non est propriè Nobilitatio: cum conferatur freqventer hominibus, etiam legitimè natis: qvi restitutione Natalium non egent: sed est beneficium, per qvod liberi naturales legitimorum jura conseqvuntur, patre supplicante, cui alii liberi legitimi non sunt: vel etiam supplicante filio, ut tanqvam legitimus possit patri succedere: modò ostendatur Patris testamentum, qvo eum heredem instituit, & desideravit, ut Princeps hoc beneficium filio impertiretur. Qvod facit movente misericordia, qva indignus non est, qvi alieno laborat vitio. Qvanqvam de plenitudine potestatis dubium non sit, qvin possit Princeps filium hunc naturalem legitimum pronunciare, qvamvis Pater id supplicaverit, & reliqverit liberos legitimos: imò qvamvis posset cum concubina contrahere. Princeps enim, qvi in manu habet legum authoritatem: & cui leges interpretari & abrogare licet: potest etiam gratiam præceptarum legum facere: qvod tamen non intelligitur velle facere, & illegitimos legitimis exæqvare,

maximè ex improbo complexu natos: nisi hoc nominatim expresserit, & suo scripto clausulam adjecerit, ex certa scientia, & rationabili caussa: qva interveniente, ad preces Patris obtentas legitimatus cum liberis justis, postea eidem Patri natis, succedat: qvoniam concurrit factum Principis, qvi in locum legis succedit: & voluntati Patris, qvi potest de bonis suis liberè succedere. Nam cum filium legitimari petit: vult remotioribus exclusis eum succedere, & coheredem dare filiis legitimis: qvibus, salva sua legitima, posset dare etiam coheredes extraneos. *Dn. Arnisæus lib. 2. de Jure Majest. c. 3. p. 293.* notavit, Budæum *ex l. Nuptæ prius. 12. in pr.* (hæc l. non agit de legitimatione: sed de mulieris iterum nubentis dignitate, qvis Senator sit) statuere, legitimationem pari passu ambulare cum nobilitatis concessione, & natalium restitutionem eandem esse cum nobilitatione: qvoniam etiam plebejis sordida conditio abstergeatur, qvando ad Nobilitatem adscendunt. At hic ipse illum refutans, siqvis accuratius rem paululum consideraverit, ait repertum iri minus propriè dictum: qvia Nobilitas natura non competit, sed ex l. humana, ut docet Aristoteles. Differre igitur inter se: *Palæot. de Noth. & Spur. cap. 6. n. 3.* & pro rebus diversis ponitur *per l. etiam fœminæ ff. de Jur. aur. Anul.* Qvibus addo *t. tit. ff. de Natalibus restituendis:* item *l. Natales. 1. ff. de jure aureor. anul. atqve l. Etiam fœminæ. 4. ff. h. t.* qvæ confirmare videntur, natalium restitutionem, legitimationem, & Nobilitatem interdum convenire, interdum differre: sed hoc rariùs: & cumprimis apud Politicos. Vid. *Dn. Spreng. lib. 1. Instit. Juris Publ. c. 17. p. 84. & 85. Dn. Horn. lib. 2. Polit. c. 2. p. 215. & Dn. D. Otto de Jure Publ. c. 11. p. 341.*

QVÆ-

QVÆSTIO CLXXVI.

An Manumisſio & Nobilitatio qvippiam commune habeant? Aff.

MAnumisſis procul dubio libertas dabatur. *Inſt. de Libertinis. in pr.* Qvam & Nobilitatio conferebat, at majorem. Illis à Principe *Svet. in Sergio Galba. c. 10. p. 348.* & Magiſtratu advenit. *l. Officium. 1. §. Conſules. 1. ff. de off. Conſulis.* & à Dominis. *l. Is qvi. 4. de Manumisſionibus:* qvin & à Religioſis dabatur. *l. 1. & 2. C. de his, qvi in Eccleſiis manumittuntur.* Hæc à Principe & Magiſtratu. Vide ſupra Qvæſt. 14. pag. 20. Manumiſſos lego bene meritos Libertate hac donatos. *§. 5. Inſtitut. qvi & ex qvibus cauſſis manumittere non poſſunt.* Privilegia & peculiaria jura donat manumiſſio. *l. cum inſpeximus 6. C. de Emancipat. liberor.* Non disſimilia communicantur Nobilitatione. Vide Qvæſt. 77. p. 134. &c. Percuſſus in maxillam manumittebatur, ictuq; tranſibat in libertatem. Cornutus ad Perſii Satyram V. Qvos manumittebant: eos alapa percuſſos circumagebant. Juſtinianus Imperator Nov. 81. μεθ' ὕβρεων καὶ ῥαπισμάτων ἀπηλλάττες αὐτοὺς τῶν τοιούτων δέσμων. i. e. Mediantibus contumeliis & ictu, virga inflicto, liberabat ipſos à portatis vinculis. Ab hac autem libertatis traditione venit mos gladii jus cum alapa tradendi hodiernus nobilitatis. *Barth. in Com. in Claud. p. 707. col. 2. n. 617.* Verſus Principis Poëtarum, qvos Polyhiſtor iſte excellentisſimus interpretatur, *in 4. Conſ. Honor. p. 46. col. 2.* ita concinunt:

Adſpice, mox lætum ſonuit clamore tribunal.
Te faſtos intrante qvater, ſolemnia ludit

Omnia

Omnia libertas. Deductum vindice morem
Lex celebrat, famulusq; jugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat securior ictu.
Tristis conditio, pulsatâ fronte, recedit
In civem: rubuêre genæ, tergoq; removit
Verbera promissi felix injuria voti.

Vide qvæst. 77. cit. Pileus signum erat libertatis. *Lips. lib. de Amphith. c. 19. p. 49.* idem & Nobilitatis vide Qvæst. CX. pag. 219. 220.

QVÆSTIO CLXXVII.

An ordo Eqvestris & Nobilitas proportionem inter se habeant? Dist.

QVanqvam Qvæstione V. p. 10. sub Synonymis egi de convenientia & differentia cum ordinis eqvestris, tum Nobilitatis; ut & Qvæstione CXXVI. p. 264. de ordinibus variis qvædam signavi: tamen in hac planè tacere neqveo: tam qvòd accuratiùs de re ipsa præcipiandi hîc detur locus: qvàm qvòd qvædam ibi desiderentur huic ventilandæ & erigendæ relicta. Qvid est, qværit *Seneca*, & simul respondet *Epist. 31. p. 589.* eqves Romanus, aut Libertinus, aut servus? Nomina ex ambitione aut ex injuria nata. Verè dictum, mi Seneca. Ambitio enim non patitur qvenqvam in ea mensura honorum conqviescere, qvæ qvondam fuit ejus impudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias: sed qveritur, qvòd non est ad præturam usq; perductus. Nec hæc grata est, si deest consulatus. Nec hic qvidem satiat, si unus est. Ultra se cupiditas porrigit: & felicitatem suam non intelligit: qvia non, unde venerit, respicit:

ſpicit: ſed qvò tendat. *Sen. 2. benef. cap. 27. p. 55.* Ecqvæ injuria, ad qvam irrogandam homines faciles ſunt: *August. ſerm. 16. de Verb. Dom. Tom. 10. pag. 69. Lit. D.* major? qvàm arcere aliqvem à jure civium: qvod ingenuorum & liberorum hominum eſt. *Horn. lib. 1. Polit. c. 4. p. 101.* Nihilominus, cum ordinem in Politia à privatis mutari nefas ſit: ejus obſervans pergo ad ipſam Qvæſtionem, & cum *Beſoldo lib. 1. Polit. cap. 11. pag. 406. & Alex. ab Alex. lib. 2. Gen. Dier. c. 29. p. 64. Svet. in Octav. Aug. c. 2. p. 62. §. Ad Cajus. & §. Ipſe Auguſtus.* Vide *Eundem in Galba c. 14. p. 351. §. Libertus Icellus.* Eqvites Romanos non Nobiles, ſed plebejos, fuiſſe: pòſt verò à Cicerone Conſule, eqveſtris ordinis honore ſeparatos, ſedes in 14. ordinibus Theatrorum ſeorſim à plebe accepiſſe, ſtatuo. Nec admiſſi fuerunt ad Tribunatum. *Lipſ. lib. 2. Elect. c. 13. pag. 480.* Nobiles verò nuncupo eos, qvorum Majores Magiſtratum ceperant, qviq; jus habebant imaginis ponendæ. *Lipſ. lib. 1. Elect. c. 29. p. 441. Carol. Sigon. lib. 1. Emendat. c. 48. T. 2. Theſauri Critici p. 245. Roſin. lib. 1. Antiq. Rom. c. 25. col. 1. Lit. A B C D E. Dempſt. lib. 7. Antiq. Rom. c. 5. p. 531. col. 1. & 2.* Germanorum verò Nobilium alia eſt ratio. Nam apud eos olim fuerunt Nobiles, qvi ſervitutem nunqvam ſervierant. *Beſold. lib. 1. Polit. c. 11. pag. 406.* Eqvo merebantur qvondam: unde dicuntur etiamnum die Ritterſchafft. *Beſold. l. cit. p. 409.* Nobilesq; noſtrates magis Patriciis, qvàm Nobilibus, Romanis æqviparari poſſunt. *Id. l. cit. p. 406.* Noſtri eqvites & digniores ſunt multùm, & Nobilibus Romanis præferuntur. Illud conſtat ex ſuperioribus: hoc manifeſtum eſt ex *Nobiliſſimi & Ampliſſimi Dn. Wendelini lib. 2. Polit. c. 18. th. 7. p. 131.* his lineis eum adumbrans: Eqvi-

tes Nobilibus superiores sunt. Fiunt, non nascuntur. Est enim dignitas tantùm personalis. Ex ignobili fit Nobilis: sed ex veteri more, non eqves: qvi olim non, nisi ex Nobili, fiebat. Habent Eqvites omnia Nobilium privilegia: sed non vicissim Nobiles Eqvitum. Olim Nobilibus non concedebatur catena aurea, nisi 200 florenorum: Eqvitibus concessa erant calcaria inaurata: Nobilibus non item. Et hanc in rem sanctiones fuerunt Imperiales. Seculum nostrum, ordinis impatiens, omnia mutavit. Eqvites facit Imperator Romano-Germanicus, qvi, notante *Botero lib. 1. Cosmograph. Parte 1. p. 59. col. 1.* finita Coronatione sedili altiori insidens, in ordinem eqvestrem Nobiles provehit: qvem imitatur Magister Ordinis nostris temporibus, qvoties adsunt Nobiles, bene meritis in Principem & patriam celeberrimi. Hi eqvites, insimul & consimiles Nobiles, ab Imperatore nimirum creati, ut Imperium ipsum regna reliqva, & alios ejusdem ordinis, à Regibus creatos, anteeunt. *Magnificus & Excellentissimus Dn.* **Kling** *lib. 1. de Regim. Eccles. & Civ. Class. 2. cap. 7. pag. 156. 157. n. 54. 55.* Eqvestrem ordinem & Africam fovere, Seriffus, Princeps qvidam istius terræ, probatum dat: cui se sistunt sexies millia Eqvitum talium, à militibus, stipendia eqvo facientibus, & Nobilibus, segregatorum, ornatorumq; amictu, auro, argento, margaretis, & gemmis distincto. *Boterus lib. 2. Cosmograph. Parte 3. pag. 276. col. 1. & 2.* Hos tribuit & Parthis *Justin. lib. 41. c. 2. p. 313. n. 6.* Antonio namq; bellum Parthis inferenti, cum qvinqvaginta millia eqvitum occurrerent; soli 400 liberi fuerunt: qvi, memorante eodem *l. cit. cap. 3. pag. 314. n. 4.* non nisi eqvis incedunt.

QVÆ-

QVÆSTIO CLXXVIII.

An Nobilitas amittatur? Aff.

SOlum inter humana certum est, nihil esse certi, natura & experientia docet calamo *Plinii lib. 2. N. H. c. 7. p. 3.* Nihil in iis firmum, nihil stabile, nihil diuturnum reperiri potest. *Muret. Orat. 24. pag. 281. 282.* Umbratilia sunt, & existimatione potiùs, qvàm essentia, constant. *Card. de Arcan. Prud. Civ. c. 91. p. 388.* Sub Sole est, qvicqvid oculis cernitur: qvicqvid huic corporeæ luci subjacere videtur. Qvid verò illud? nisi vapor, ad modicum parens. Qvid illud? nisi fœnum, & flos fœni. *Bernh. serm. de Nativit. Joh. Bapt. p. 217. Lit. C.* Omniaq; sunt destructibilia, qvæ manu facta sunt. *Lactant. lib. de Ira. c. ult. p. 509.* Ipsa nobilitas, humanis aggregata bonis, ab homine data, homini possessa, hominibus magna & excellens, inter homines, cum hominibus fluxis & interitui obnoxiis, mundo etiam intereunte, qvi perpetuò florere possit? Mors etiam, qvæ rerum omnium est extremum: *Cic. lib. 6. Epist. ad Fam. Epist. 21. T. 3. p. 101. Lit. F.* eandem tollit. Nec enim minùs moritur ille, qvi multa corradit: qvàm is, qvi vitam summâ inopia decurrit: tam eruditissimus qvisq;: qvàm rudis de villa pastor: herus, uti servus: nobilis, ut plebejus: pariter tu cum officio tuo, qvàm ego sine ullo. Non est, qvòd speremus perpetuò hìc vivere. *Barth. in Pornoboscodidasc. p. 134. 135.* Nobilitas perit, cum hæc perit: & hic homo desinit esse Nobilis: nec illius, nec sui, qvicqvam conservat post se, nisi utriusq; nomen: qvod sonus est, citissimè evanescens. Generatio ipsa, inqvit *Ecclesiastes cap. 1. v. 4.*

præterit: generatio advenit. Genus dum crescit, semetipsum consumit. Qvod fuit, deletum est: qvod est, semeipsum atterit: & qvod futurum est, anterioris exitio imminet: ipsum sui finis metuens, & tandem consors occidit. Politia nonnunqvam se his sociat: paucis verborum destruens Nobilitatem: qvoties hoc sui obliviscitur, & virtutem deterit. Princeps decreto aufert impio, qvam contulerat bono. Res enim judicata pro rei veritate habetur. *Ulp. l. ingenuum. 25. ff. de Statu hominum. l. Qvicunqve 1. C. ubi Senatores &c. l. Senatoris. 47. ff. de Ritu nuptiarum. l. Divo Marco. 11. C. de Qvæstion. Magnificus & Excellentissimus Dn. D. Brunnem. in Polit. sua manu scripta. Generosus Dn. Cromerus lib. 1. de Situ & gente Polon. p. 497. col. 1. Dn. D. Liebenthal in Coll. Polit. Exercit. 10. th. 32. pag. 259.* Germani profectò veteres maleficos nobiles, mulcta decreta, nobilitate privârunt, **Lehm. in der Speyer. Chron.** *lib. 2. cap. 28. pag. 111. col. 1. Lit. E F G H. & col. 2. Lit. A B C.* Serenissimus Dux Bavariæ declaratos infames Nobiles arcet à torneamentis. *Münster. lib. 3. Cosmogr. pag. 745.* Oppugnat hanc qvæstionem *Bodinus lib. 3. de Rep. c. 8. p. 470.* ita rhetoricans: Veræ virtutis ac nobilitatis possessio nec furtis eripi, nec incendio absumi, nec aqvarum voragine absorberi, nec ulla vi perire potest. Concedo tria priora membra: ultimum Qvæstio CLXXX. debellavit: debellavit & qvæstio hæc ipsa qvoad mortem violentam.

QVÆSTIO CLXXIX.

An Nobilitas, re judicatâ amissa, restituatur pœnitentia? Neg.

Magni-

M*agnificus & Excellentissimus Dn. D. Brunnem. in Politica MSCta* negantis mihi sententiæ ansam præbet. Recuperari, nisi Principis rescripto, nobilitatem, ita amissam, qvî posse speres? A Principe, utpote vero suo fonte, profluit: ab eo adimitur, justo decreto: nempe justitiæ arce. Restituitur ab eo, qvi adimendi eam habuit facultatem solus. Pœnitentia, inseqvens ademptam decreto Principis Nobilitatem, non est caussa restitutionis, sed Conseqvens perditæ Nobilitatis. In cœlo pœnitentia aditum ad privilegia Electorum parat, seria si peccantem comitetur, vel seqvatur. Politia institutis suis inhæret: ubi post sententiam latam pœnitentia non habet locum. Celeberrimo illi JCto accedit *Bodinus lib. 3. de Rep. c. 8. p. 871.* & qvidem per *l. cum Salutatus 1. C. de Sententiam passis & restitutis: item per l. Imperialis 23 C. de Nuptiis.* qvæ qvidem particularis esse videtur: qvia præcipua intentione mulieres spectat: sunt tamen intermixta qvædam generalia, qvæ ad omnes pertinent. Opponi hic possunt *l. Neq; suam 1. & l. Impetrata. 3. C. Sententiam rescindi non posse:* qvibus confirmatur, Principis sententias non esse mutandas. Cui occupationi me satisfacturum esse confido, si de Principe hic dicam qvoq;, qvod ille olim dixit apud *Liv lib 9. Dec. 1. p 378. Lit. B.* Extra legem Tu unus es. Legis verbo imperium significari ejus, in qvo Reip majestas inest, *Bodinus docet lib. 1. de Rep. c. 10 p. 133* Habeant omnes, qvi Barbaris contumaciores esse nolunt, qvibus pro legibus semper Dominorum imperia fuerunt. *Liv. lib. 7. Dec. 4 p. 279. Lit. C.* Princeps legibus solutus est. *Magnificus Dn. Reinck. lib. 1. de Regim. Eccles. & Civ. Classe 3. c. 12. p. 314. n. 1*

2.3. Nobilißimus & Amplißimus Dn. D. Cellar. lib. 2. Polit. c. 7. p. 178. §. 15. Nulla nimirum regi gloria est ex sæva animadversione. Qvis enim dubitat posse? At contrà maxima, si vim suam continet: si multos iræ alienæ eripuit, si neminem suæ impendit: docente *Seneca lib. 1. de Clem. c. 17. p. 626.* Romæ reperum est marmor in foro Trajani, his insignitum characteribus: Potentissima dos in Principe clementia atq; liberalitas. *Dinoth. in f. Hist. Galliarum p. 536.* ait: Rex apum solus aculeum non habet: vel certè eo non utitur. Exemplar hoc magnis Regibus ingens. *Nobilißimus & Amplißimus Dn. D. Meisnerus Parte 3. Philos. Sobr. in Dedicat.* Addam & hoc ex *Plin. lib. 11. N. H. c. 17. p. 195.* Rex nullúmne solus habeat aculeum, majestate tantùm armatus? An dederit eum qvidem natura, usum ejus illis tantùm negaverit? Illud constat, Imperatorem aculeo non uti. Apes olivæ florem non attingere, *Plinio* liqvidissimum est *lib. 21. N. H. c. 12. p. 392.* Qvin *is ipse lib. 15. N. H. c. 2. p. 255.* tradidit literis, olivantibus legem antiqvissimam fuisse: Oleum ne stringito, neve verberato. Ideo Priscis Minervæ sacra fuit, teste *Varrone lib. 1. de Re Rustica c. 2. p. 9.* qvi eandem & Athenis primùm natam esse scribit. Artes autem sunt placidæ & tranqvillitatis amantes: olivæ folia pacis nuncia. Id qvod *Dn. Theologi ad v. 11. c. 8. Genes.* probant: præcipuos inter qvos testem provoco *Magnificum, Amplißimum & Excellentißimum Dn. D. Christoph. Pelarg. in Com. in Genes. p. 183.* Qvem pœnitet admissorum: innocens est: & in Politia (præsertim in hac qvæstione, ubi sermo est de pœnitentia, qva ducitur reus post factum & pœnam

pœnam irrogatam) eleganter id & graphicè inculcante *Qvintil. lib. 11. Orat. Instit. c. 1. p. 627.* Si nulla contingit excusatio: sola colorem habet pœnitentia. Potest enim videri satis emendatus, qvi in odium eorum, in qvibus erraverat, ipse conversus est. Concinit Ægisthus apud *Senec. Trag. in Agamemn. act. 2. sc. 2. p. 297.*

Sera nunqvam est ad bonos mores via.
Qvem pœnitet peccâsse: pœnæ est innocens:

Et in Ecclesia. Nimirum prior justitiæ portio, non peccare: secunda, per pœnitentiam damnare peccatum: ait *Bernh. Serm. 1. in Annunc. Marc. p. 128. Lit. F.* eodemq; arbitro *Serm. de Villico iniqvitat. p. 241. Lit. F.* Planè, secundùm Moralem intelligentiam multa laude est dignus, qvi relicto errore pristinæ conversationis, diviti DEO satisfaciens, redit ad gratiam. CHRISTUS ipse, Salvator mundi, ac Dux salutis, *Lactant. lib. 4. Div. Instit. c. 29. p. 493.* & Princeps Regum terræ, ait Episcopo Laodicensi *Apocalyps. 3. v. 19. 20.* μετανόησον· ἰδοὺ ἕστηκα ἐπὶ τὴν θύραν, καὶ κρούω· ἐάν τις ἀκούσῃ τῆς φωνῆς μου, καὶ ἀνοίξῃ τὴν θύραν· εἰσελεύσομαι πρὸς αὐτὸν, καὶ δειπνήσω μετ' αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς μετ' ἐμοῦ. i. e. Age pœnitentiam. Ecce, steti ad ostium, & pulso. Siqvis audiverit vocem meam; & aperuerit ostium: veniam ad ipsum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Tristem is, inqvit *Euctemon. apud Curt. lib. 5. c. 5. p. 180.* de mortalitate fert sententiam: & desperat misericordiam, qvam ipse alteri denegaturus est.

QVÆSTIO CLXXX.

An Nobilitas injuriâ damnato pereat? Neg.

Bodinus

B*Odinus lib. 3. de Rep. c. 8. p. 471.* Negativam tuetur per *l. Ingenuum. 23. ff. de statu hominum*, qva firmatur, etiam illum ingenuum accipiendum esse, de qvo sententia lata sit: qvamvis fuerit libertinus: qvòd res judicata pro veritate accipiatur.

Culpam pœna premit comes.

Horat. lib. 4. Carm. Od. 5. T. 1. pag. 305. justissimè decantat qvî cum sentit iisdem ferè verbis *Lips. lib. 2. de. Const. c. 16. p. 89.* Legum Præses, inqvit *Sen. lib. 1. de Ira. c. 6. p. 532.* & civitatis rector damnatos cum dedecore & traductione vita exigit, non qvia delectatur ullius pœna (Procul est enim à sapiente tam inhumana feritas) sed ut documentum omnium sint: & qvi vivi noluerunt prodesse, morte certè eorum Resp. utatur. Ut fulmina, ait *idem lib. 1. de Clem. c. 8. p. 622. 623.* paucorum periculo cadunt, omnium metu: sic animadversiones magnarum potestatum terrent latiùs, qvàm nocent: non sine caussâ. Adjice nunc, qvòd privatos homines ad accipiendas injurias oportuniores acceptarum patientia facit: regibus certior est ex mansvetudine securitas. Qvia freqvens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat: voluntas oportet sæviendi, qvàm caussa, deficiat. Eò respicit & *olor ille Latinorum præcipuus in Consul. Mall. Theod. p. 6. col. 2.* canens:

Qvi fruitur pœna, ferus est: legumq; videtur
Vindictam præstare sibi: cum viscera felle
Canduerint. Ardet stimulis, ferturq; nocendi
Prodigus, ignarus caussæ. Diis proximus ille est,
Qvem ratio, non ira, movet: qvi facta rependens
Consilio punire potest.

C. Clau-

C. Claudio Neroni Imperatori fert *Svet. in Ipso. cap. 46. p. 332.* cum ex oratione ejus, qva in Vindicem perorabat, recitaretur in Senatu, daturos pœnas ſceleratos, ac brevi dignum exitum facturos, conclamatum eſſe ab univerſis: Tu facies, Auguſte! Concio ſceleratos damnari exigebat, ſolvebat ſupplicio inſontes. II. id exigit ſanctitas. *Ulpianus ſanè l. Rei capitalis. 2. ff. de pœnis.* cauſam damnationis perſpiciendam eſſe præſidi jubet: qvæ ipſa *§. Eum accipiemus. 2.* juſtitiam poſcit damnantem: cui ſe jungit. *l. Si qva. 244. ff. de V. S. & l. Procurator 2. C. h. t. & l. Sancimus. 22. C. h. t.* Cum Amyntas & fratres, licèt inſontes, tantùm non capitis damnarentur: ſupplicio illos ſolvit ipſa infeſta antè concio, unâ voce pari conſenſu emiſſa, inſontibus & fortibus viris parcendum eſſe. *Curt. lib. 7. cap. 2. pag. 263. 264. Excellentiſſimus Dn.* **Reinking** *lib. 1. Regim. Eccleſ. & Civ. Claſſe 5. cap. 6. pag. 652. n. 212. 213,* Hiſtorias teſtari ait, FRIDERICUM I. Imperatorem, cum Henricum Palatinum, tum X. alios Comites Germaniæ, qvi, eo abſente, pacem publicam turbâſſent, canem humeris portare, multis ſpectantibus, per mille paſſus pro pœna coëgiſſe. Majoris fidei cauſſa citat *Dn. Conrad. Rittershuſ. in Orat. de Vita Friderici I. & Günther. Ligur. lib. 5.* ita canentem:

Qvippe vetus mos eſt ibi, ſi qvis Rege remoto,
Sangvine, vel flamma, vel ſeditionis apertæ
Turbine, ſeu crebris regnum vexare rapinis
Impoſitum ſcapulis ad contigui Comitatûs
Cogatur per rura canem confinia ferre.
--- --- Cujus diſpendia pœnæ,
Ille Palatinæ cuſtos celeberrimus âulæ

Non potuit vitare Comes, cunctisq; videndus
Portavit scapulis passus plus mille latrantem.

Hos versus ἐλεγεία hac comprehendit *Clarissimus Dn. Sabinus, Professor olim Poëseos in Illustrissimis Serenissimorum ac Potentissimorum* MARCHIONUM BRANDENBURGICORUM *Academiis, & Francofordiana & Regiomontana perqvam celeberrimus:* & ex eo repetiit Lehm. in der Speyer. Chron. *lib. 5. c. 63. p. 528. col. 2. Lit. B.*

Mos antiqvus erat, qvi publica commoda pacis
Cæsare turbasset bella gerente foris:
Totius imperii reus inspectante Senatu,
Ut canis impositum corpore ferret onus.
Ergo, qvod, Italicis dum concita gessit in oris
Bella, Palatinus moverat arma domi,
Hunc, licèt invitum detrectantemq;, coëgit,
Inclyta per Nemetum mœnia ferre canem.

Commeriti fuerant illi alia omnia: Imperator Augustissimus vindictam lenitate, Jus miseratione, infamiam contemptu, pœnam clementia mutabat: nunqvam Nobilitate exuendam & spoliandam esse virum fortem, vel peccantem, statuens: excidere ipsa qvi posset innocens: Minor profectò error est, maleficos non condemnare, qvàm innocentes afficere pœna. *Barth. in Pornoboscod. pag. 224.* Ast ubi libido dominatur: innocentiæ leve præsidium est. *Qvintil. lib. 9. Orat. Instit. c. 4. p. 552.* Et, qværit Ægisthus apud *Sen. Trag. in Agamemn. act. 2. sc. 2. p. 298. 299.*

Qvid honesta prodest vita, flagitio carens?
Ubi Dominus odit.

Restitui autem talem posse à Principe, non abnuere vide-

videtur *l. Cassius 21. ff. de Senatoribus.* Nec capite etiam minui præcipit *Modestinus l. Senatorem. 3. ff. h. t. &c. l. Cum salutatus 1. C. de sentent. passis & restitutis.*

QVÆSTIO CLXXXI.

An flagitiis amittatur Nobilitas? Neg.

VOß. *lib. 2. Instit. Orat. lib. 2. cap. 14. pag. 513.* affirmativam elegit, Aristotelem defensorem nactus, cui εὐγενεῖς sunt, qvi bono sunt nati genere: licèt interim à Majorum virtutibus deflectant: cujusmodi hominum nobilitas in astragalis sita est, ut de Leviro suo dicebat Herodes Atticus apud Philostratum: at γενναῖοι sunt, qvi non degenerant: sed Majorum imitantur virtutes. Verùm Excellentissimus Dn. Vossius confundit Nobilitatem Ethicam cum Politica. Illam amittunt facinorosi, non hanc: cum à Principe hæc proveniens à Principe qvoq; amovenda sit. Vide & *Vernul. Affirmantem lib. 2. Instit. Polit. Tit. 9. cap. 8. pag. 213.* Ansam affirmationi qvoq; præbet *Isid. Pelus. lib. 2. Epist. 252. pag. 312.* ὁ κακοῦργος τότε κυρίως ἀποθνήσκει, ὅταν τοῖς νόμοις παραβαίνῃ, καὶ τὸ ἁμάρτημα ἐργάσοιτο, κἂν δοκοίη ζῆν. i. e. Maleficus tunc propriè moritur, cum leges transgreditur, & flagitia committit, qvamvis credatur vivere. Qvæ verba, si perspiciantur, mortem non decretis Principum adjudicatam: sed reatum illum, qvo qvilibet peccator se in mortem agit præcipitem, manifestant. Et sic intelligendus qvoq; locus est apud *Lips. lib. 2. de Const. c. 14. p. 86.* Instet & *Card. de Arcan. Prud. Civil. c. 85. p. 352.* Flagitiis vilem, & ob id contemptum reddi hominem pronuncians. Qvod ut non nego: ita vilitate & contemptu

peccantis nobilitatem tolli inficior. Cujus ſententiæ aſſeclam lego *Ælianum lib. 12. Hiſt. Var. cap. 12. pag. 307.* memorantem, adulterum Gottynæ, in civitate Cretæ, deprehenſum fuiſſe, eundemq; in judicium adductum, criminisq; convictum, lana coronatum eſſe. Hæc verò coronatio redarguebat, eum eſſe hominem mollem, effœminatum (*γύννιδα* i. e. ſemivirum) *καὶ εἰς γυναῖκας καλόν.* (Et mulieribus accommodum.) Et æſtimata eſt ei publicè qvinqvaginta ſtaterum ſumma: atq; ad turpiſſimam infamiam redacto, omnes ad gerendam in Republ. dignitatem viæ intercludebantur. ll. ipſæ videntur contradicere Qvæſtioni. Nam *Antoninus l. Procurator. 2. C. de Pœnis:* judicio Procuratoris fiſci eximebat A. Valerium: & Principi, vel Præſidi exilii pœnam reſervat. Jungatur & *l. Rei capitalis 2. §. Conſtat. 1. ff. Eod. & l. Si qva ex. 2. C. de Secundis nuptiis.* Unde infero, ſolius Principis, vel Præſidis, juſſu amitti Nobilitatem: licèt & hoc mihi liqvidiſſimum ſit, commereri ſcelera tantam infamiam, tantumq; dedecus.

QVÆSTIO CLXXXII.

An Uxor Nobilis, Viro ignobili nubens, Nobilitatem amittat? Diſt.

Affirmativæ favet *Excellentiſſimus Dn. D. Cellarius lib. 2. Polit. cap. 18. p. 297. 298. th. 15.* A Nobilibus, inqviens, parentibus ut aliqvis natus exiſtimetur: non reqviritur, ut mater nobili genere ſit nata: ſed ſufficit, patrem nobilem eſſe nobilem: cujus conditionem & familiam liberi ſeqvuntur. Qvòd ſi verò qvis matre qvidem nobili, patre ignobili exiſtente, natus

fuerit:

ſuerit: à Nobilibus parentibus non exiſtimatur eſſe genitus. Sicut enim ignobilis fæmina dignitate mariti Nobilis nobilitatem acqvirit: ita ignobili viro qvæ nupſerit Nobilis partam Nobilitatem amittit. Aſt,qvod cum præfatione honoris, & pace tanti Viri, dico, nego, uxorem Nobilis, novi ſcilicet, immediatè nobilitatem à marito ſuo Nobili adipiſci. Nam Princeps unâ cum marito, eodem nobilitandi actu, nobilitatem communicat & uxori: concordantibus *Dn. D. Ottone de Jure Publ. c. 11. p. 336.* & diplomatibus, ideo editis: idq; ad dies vitæ: cum ſine exceptione, ſineq; durationis finitæ mentione, uxori qvoq; communicetur. *Magnificus Dn.* Reinking *lib. 1. de Regim. Eccleſ. & Civ. Claſſe 5. c. 11. p. 709. n. 23.* etiam affirmativam tuetur: qvod fæminis Nobilisſimam dignitatem mariti tribuant: per *l. fœmina 8. ff. de Senatoribus.* Verùm hæc l. non adeo patrocinatur Magnifico illi Viro. Clarisſimatûs index nil ſignat, præter titulum & exiſtimationem majorem, authoritatemq; excellentiorem: cui nihil cum nobilitate eſt commune. Adhæc ſiqvis uxorem intelligat eam, qvæ non cum marito ſimul, & uno actu, à Principe nobilitatur: ſed (ſcribo ex opinione præconcepta) partam olim à marito jam uxor ejus accipit: regero, ipſam à marito hoc nihil accipere, ſed olim in diplomate uxori, qvæcunq; conjugium cum iſto marito inierit, decretam posſidere Principis gratia, ad dies etiam vitæ, eamq;, niſi conjugium fuerit prolis exſors, ſub cognomine iſtius mariti ad poſteros deferre: & hinc audiunt nati in hoc conjugio liberi nobiles tam ex materna, qvàm paterna familia. Ita Nobilitas uxoris hujus perſtat & in ipſa, & in familia, ſi qvam nacta fuerit: eaq; ex matre verè & dicitur, & eſt, nobilis: licèt ex Pa-

tre cognomen sortiatur. Vidua verò, vel filia Nobilis, ignobili Viro nupta, non amittit ob conjugium cum ignobili marito nobilitatem, à Principe collatam. Nam marito illi nulla est potestas privandi conjugem Nobilitate nec ex se; qvia Nobilitas est pars jurium Majestatis in Principe: nec per participationem: qvia Princeps ipsi non communicavit. Hinc fieri neqvit, ut adimat uxori Maritus, qvod suum non est. Cognomen vidua Nobilis & dignitatem prioris mariti, cum ignobili matrimonium jungens, amittit: non Nobilitatem. Filia etiam virgo Nobilis nihil amittit Nobilitatis avitæ ignobilem ob maritum. Maritus enim isti communicationem Nobilitatis à Principe facere neqvit infectam. Nobilitatem & Vidua, & filia, Nobilis tum demum amittit, cum vel moritur ipsa: Accidens enim, qvod inhæret suo Subjecto, pereunte Subjecto, simul interit: vel cum interiit tota familia & posteritas, in qva radiabat splendor ille Nobilitatis.

QVÆSTIO CLXXXIII.

An Nobilis, dans se in adoptionem ignobili, desinat esse Nobilis? Dist.

NEgativæ præsidium locat suum *Besold· lib. 1. Polit. c. 11. p. 413. & in Synopsi Polit. p 173. §. 6.* Eandem amplectitur & Ulpianus *l. Senatoris. 5 ff. de Senatoribus*, ita conceptâ: Senatoris filium accipere debemus non tantùm eum, qvi naturalis est: verùm adoptivum qvoq;. Neq; intererit, à qvo, vel qvaliter adoptatus fuerit. Consentit & *Paulus JCtus l. Senatoris filius 6. §. A Senatore. 1. & Ulpianus. l. Liberos. 10. ff. h. t.*

Huic

Huic assertioni sese opponere videtur *l. Senatoris filius 6. ff. h. t.* qvæ filium adoptivum Senatoris esse tamdiu largitur: qvamdiu in familia ejus manet: emancipatum verò nomen filii amittere ipsa emancipatione sancit. Qvæ dubium omnino movere possunt. *Nobilissimus & Excellentissimus Dn. D. Noricus in Com. in Instit. Imper. p. 88. ad §. 6. Instit. Qvib. Mod. jus patr. potest. solv.* abrogatam ait emancipationem qvoad solennitates: idq; per Jus Saxonicum. Emancipationem verò ipsam sublatam negat. Hinc, salvo meliore judicio, puto, fieri posse, ut & adoptatus ab ignobili Nobilis per emancipationem suo modo nobilitatem perdat: ut & rursum suo tempore conseqvi possit. *§. Sed si ex 1. l. Liberos 10. ff. h. t.* etiam scrupulum injicit per verba ultima: qva de re exactum judicium Magnificis Dn. JCtis committo.

QVÆSTIO CLXXXIV.

An liberi, ex Matre ignobili prognati, Nobilium privilegia amittant? Neg.

N*obilissimus & Excellentissimus Dn. D.* Liebenthal *in Col. Polit. Exercit. 10. Qvæst. 5. p. 266. 267.* Negativæ amans est, eamq; commodè confirmat *l. Feminæ 8. §. Clarissimarum 1. ff. de Senatoribus.* Addit porrò *huic l. Mulieres 13 C. de Dignit.* qvæ cum l. superiore uxorem qvidem, ignobili Viro nubentem, Nobilitate ipsa, & qvovis ejus adjuncto privat: nullam verò mentionem facit privilegiorum liberorum, eorumve amissionis. Qvia, nisi lex ipsa, cui hic attendendum esse videtur, tàm foret perspicua, constaret ex superioribus

& aliis

& aliis monstrare, uxorem, primo junctam Nobili, æqvè esse Nobilem, ac illam, qvæ cum Viro, eodem actu nobilitatur. Nam qvod semel datum vel communicatum est à Principe: id Princeps, salva sua ipsius authoritate & eminentia, citra contumeliam repetere neqvit: & qvicqvid infinitum à Principe donatur: illud intra temporum inaccessos aditus eripi neqvit, sine Principe. Nam *l. fœmina 8. ff. de Senatoribus* Clarissimos tantùm Viros nominat: nec aliud sentiendum esse autumo *de l. Mulieres 13. C. de Dignit.* Cumprimis *per l. Nupta prius 12. ff. de Senatoribus:* ubi dicitur, tales fœminas, qvanqvam perrarò, id impetrare beneficium solere: qvod nostris moribus, ut & aliàs, necessarium esse, per rationes antè laudatas, & rem ipsam, non arbitror. *Vid. Besold. lib. 1. Polit. c. 11. p. 412. 413.* Affirmativa qvidem defendi posse videtur *ex Just. lib. 23. c. 4. p. 216. 217. n. 1. 2. &c.* exemplo Hieronis, qvi ob tantam suam moderationem adeo in deliciis fuit populo suo, ut consentientibus omnibus civitatibus, dux primùm adversus Carthaginenses, mox Rex crearetur. Hujus futuræ majestatis ipsa infantis educatio qvasi prænuncia fuit. Qvippe genitus erat Patre Hieroclyto, Nobili Viro: cujus origo à Gelo, antiqvo Siciliæ tyranno, manabat: sed maternum illi genus sordidum, atq; adeo pudibundum, fuit. Nam ex ancilla natus, ac propterea à Patre velut dehonestamentum generis, expositus fuerat. Sed parvulum, & humanæ opis egentem, apes, congesto circa jacentem melle, multis diebus aluere. Ob qvam rem responso Aruspicum admonitus Pater, qvi regnum infanti portendi canebant, parvulum recollegit, omniq; studio ad spem majestatis, qvæ promittebatur,

batur, instituit. Verùm Pater, meliora monitus, priore errore correcto, qvæstionem negandam fore re ipsa tandem manifestavit.

QVÆSTIO CLXXXV.

An Liberi, ex Matre Nobili, Patre verò ignobili, prognati privilegia Nobilis amittant? Dist.

DUplici sensu intelligi posset hæc Qvæstio: altero: an filii ex vidua nobili mariti nobilis, cujus vidua, mortuo marito illo Nobili, pôst nupserit ignobili Viro, perdant privilegia: Altero: An liberi Viduæ Nobilis, qvæ connubium iniit cum Viro ignobili, ex hoc ipso conjugio prognati, jacturam faciant privilegiorum Nobilium? Prior Qvæstio jure negatur: qvia filii prioris Nobilis eodem cum patre, dum adhuc inter homines ageret, splendore Nobilitatis coruscabant, & hanc comitantibus privilegiis fruebantur, gaudentes iisdem, dum vitæ usura ipsis licet frui. Posterior qvæstio non indiget operoso examine. Privilegia Nobilium ignobilis Parens, qvia ipse non habet, conferre non potest. Hinc ea filii amittere non possunt: qvod privatio præsupponat habitum. *Clarissimus Dn. Scheiblerus Parte 3. Tract. Log. c. 2. p. 538. col. 2. n. 5. & c. 9. p. 641. col. 2. n. 14.* Mater etiam ea privilegia ejusmodi filiis non communicat: qvia copia ipsi non datur à Principe communicandi talia privilegia. Qvanqvam n. *l. Nupta prius 13. ff. de Senatoribus* patrocinari videtur istiusmodi fœminæ: tamen ea ad privilegia verbotim non extenditur: sed modò dignitatem exprimit: qvæ

nullum hic habet momentum. *Vide Besold. lib. 1. Polit. c. 11. p. 413.*

QVÆSTIO CLXXXVI.

An juramento Nobilitas pereat temerario? Aff.

JUramentum temerarium (nam de vero nihil est, qvod in præsens scribam) tam horrificis vetitum est ab *Ecclesiastico* verbis *c. 23. v. 9. ad 15. & denuo v. 17.* ut, cum familiæ, temerè jurantis, unico hoc in loco, geminis vicibus, atrox animadversio indicetur, saxum sit ille, qvi non contremiscat. Nihilominus, ut singuli hominum cognoscant, qvantopere tali jurejurando offendatur Majestas illa divina, FILIUS DEI ipse, *Matth. 5. v. 34.* abstinendum esse à præcipite jure jurando præcipit inqviens: ἐγὼ λέγω ὑμῖν, μὴ ὀμόσαι ὅλως· i. e. Ego dico vobis, omninò non esse jurandum: qvo edicto *Nobilissimus & Excellentissimus Dn. D. Hulsem. p. m. in Brev. Theol. c. 12. p. 43. §. 14.* Salvatorem humanæ gentis solam pravam consvetudinem jurandi de re levis momenti taxavisse asserit. Jurandum esse per Jovem i. e. summum deorum, à verbo ipsum Ennium collegisse: qvia formata vox, qvasi Jovis jurandum sit: *Lips. lib. 1. Elect. c. 18. p. 407.* indicat: significaturus, qvanta religione cæci illi gentiles, & à populo DEI, hujusq; exqvisita cognitione prorsus alieni, jusjurandum coluerint, colendum esse statuerint: pudore incusso nobis Christianis, qvi pietatis singularis, Generosæ item Nobilitatis, virtutis tantùm non divinæ, gratiæ item, & qvidem verè, peculiaris laudem affectamus, & DEUM stolida oris neqvitia testem falsi-

falsimoniæ & abominandæ juramenti temerarii consvetudinis provocamus: digni sanè, qvibus ex ore pendeat lingva tanto veneno infecta. Recordor monstri illius, qvod vidi puer annos natus tredecim Dresenæ, qvo parentes meos p. m. tum, post cladem illam insignem, qvæ magnam partem exercitus Imperatoris deleverat, pestilentiæ, FRANCOFORDIÆ immane qvantũ sævientis, fuga conjecerat, in Neomarchia, in finibus Poloniæ, fermè sitæ. Adolescens erat grandis, &, qvantum statura indicabat, admodum annos 20. natus. Mater ejus Vidua, olim uxor fabri ferrarii, habitans in platea illa, qvæ ducit ad pontem majorem, Poloniam versus, immemor legis divinæ, gravida in foro pejeraverat. Tantæ neqvitiæ osor infensissimꝰ, DEUS justissimꝰ, ut avocaret populum suum à tanta turpitudine, permisit, ut mater pareret filium, cætera integrum, & forma liberali, cujus ex ore penderet lingva, nullo artificio, pharmaco nullo, amputanda. Lingva perpetuò pus & sangvinem stillabat: & in thoracem, qvi semper investis erat, propendebat admodum tumida: impediebatq; fandi facultatem: sermonemq; mugitu horrendo mutabat. Vix mihi à lachrymis tempero, qvoties memoriæ sese repræsentat meæ persona tam miserabilis. O exsecrandam impietatem! Qvæ tam elegantem hominem, puellumq; insontem prorsus, tanta παρεκβάσει deformaverat. O si prudentissimum & piissimum JCtissimi *Menochi* consilium, qvo omnibus tribunalibus ex æqvo consulere meditatur *lib. 1. Consf. 94. p. 212. n. 62.* seqverentur singula, nec juramentum deferrent, ubicunq; adest suspicio vel præsumptio in contrarium! Ita nec ipsi suæ, nec aliorum consci-

entiæ stigma inurerent: nec pœnam accelerarent certissimam. Vir malus, inqvit *Nobilissimus & Excellentissimus Polyhistor Vossius lib. 1. Orat. Instit. c. 12. p 397.* facilè Jovem lapidem juret. Ideoqve qvod viri pii juramentum recusent: id virtuti, non perjurii metui adscribendum est. Itaq; rectè Xenophanes, vetus Physicus, dixit: Cum homo improbus defert homini probo juramentum: tantundem est, qvàm si homo validus provocet imbecillem ad pugnam. Nam ut qvi lacertis valet, viribus suis confidit: eoq; audacter provocat: at qvi imbecillis est, pugnam detrectat: ita impius securè ad jurandum provocat: qvia DEUM aut non esse, aut non curare humana, censet: pius verò timidè hoc præstat: eò qvòd DEUM esse scit: qvi, qvæ gerimus, auditq; & videt: *Plauti verbis in Capt. act. 2. sc. 2.* Qvid est, qværo cum *Ambros. in Respons. ad Epist. 61. lib. 10. Symmachi p. 443* jurare? Nisi eum, qvem testaris fidei tuæ præsulem, divinam potentiam confiteri: in qvam qvi sic impingit, qvi nobilitatis sit consors? Qvæ consistere non potest cum violatis interdictis divinis, tot plagis, tanta neqvitia. Sed, ut ad rem magis deveniam præsentem, CONSTANTINUS Imperator *l. Qvicunq. 1. C. Ubi Senatores &c.* constituit, ut qvisqvis in aliqva culpa s. crimine fuerit deprehensus, clarissima dignitate præditus, intra provinciam, in qva facinus perpetravit, publicis legibus subjungetur, nec fori præscriptione utatur: Qvòd omnem hujusmodi honorem reatus excludat. Qvæ si verba obscuriora videantur, nec accommoda Qvæstioni huic, qvia Clarissimatum spectant: monstrant satis monstrandum *Rec. Imper. de Anno 1495. p. 11. §.* Erfündt sich aber, qvi Nobilem ita

juran-

jurantem à dignitatibus coercet: Iterantis tale juramentum corpus pœna afficiendum pronunciat. A torneamentis etiam pejerantem prohibuit Bavaria, *Münstero scribentê lib.3. Cosmograph. p. 745. Adeo exosum est ὁ ὅρκος, ἐφόδιον πανουργίας* i. e. Juramentum, fraudulentiæ instrumentum. *Isid. Pelus. lib.3. Epist.351.p.343.*

QVÆSTIO CLXXXVII.

An judicis officio Nobilitas amittatur? Neg.

B*odinus* enim *lib. 4. de Rep. c. 6. p. 703. &c.* Græcorum Reges veteres, ut & Hebræorum dictos fuisse judices asserit: adhæc variis rationibus confirmat, provinciam hanc Regum Majestate non esse indignam. Omnium Nobilium primum Noachum, Judicem omnium primum fuisse, *autor est Beros. lib.5. Rer. Antiq. p.335. col. 2.* Ipse Imperator *C. JUL. CÆSAR*, functus est Judicis officio: *Svet in ipso c.45.p.30. & NERO, Id. in ipso c. 15. p.302.* Idem confirmat hoc de Augusto Imperatore *in Eod. c. 72. p. 120.* De Claudio item *in Eod. c. 14. & 15. p. 263. 264.* tandem & de Flavio Domitiano. *in Eod. c. 8. p. 419.* Neronem qvoq; Imperatorem narrat *Svet. in ipso c. 24. p.310.* judices civitate Romana donasse, & grandi pecunia. Nobilitati insuper Judices perspicuè accenset *l. Judices 12 C. de dignit.* Qvid? Viri Magni & literati Judices viris fortibus Heroibusq; accensent, memorante *Castellano lib. 2. de Offic. Reg. c. 199. 200.* Nec defuerit confirmandæ sententiæ meæ, qvod *Junius Parte 1. Orat. p. 24. non procul à fine ex Dion. lib. 52. & Orat. Mecenat. ad August. notavit*, Judices ex Senatoribus (qvod FRANCOFORDIÆ, ubi hac tempestate

Vir Nobilisſimus ac Conſultisſimus, Dn. Ertmannus Bartholdi, J. U. Cand. & Pragmaticus inſignis, ex ordine Senatorio tribunali celeberrimo præfectus ſemper ſuis oculis obverſantem habet ſententiam illam memorandam, qvam *Antiſtes Hipponenſium* ſine fuco pientisſimus literis mandavit *de Rectitud. Cathol. Converſ. T. 9. p. 1148. Lit. B.* eamq; ita abrumpit: Qvo judicio judicaveritis, judicabimini, fieri qvoq; aſſolet) & eqvitibus apud Romanos olim electos fuiſſe. Nec præterire ſilentio lubet, qvod *Nobilisſimus atq; Amplisſimus Dn. Profeſſor Becmannus Diſſert. Polit. 9. c. 2. th. 5.* ex Cromero de Bellicoſis Polonis ſubjiciendum communicat, referens, Polonos ſuos Woyevvodas nuncupare Palatinos, unde Satrapiæ ipſorum Palatinatus. Palatinorum munera ſunt, eſſe Ductores copiarum ſuæ Satrapiæ in expeditionibus bellicis: indeq; nomen habent lingva vernacula, ut Woyevvoda diceretur qvaſi Dux belli. In pace Palatini eſt, conventûs Nobilitatis inſtituere.

QVÆSTIO CLXXXVIII.

An Advocandi munere Nobilitas amittatur? Neg.

ARduum profectò ſemper gravium & eruditorum Advocatorum fuit & ſplendidum nomen: nec res ab hoc unqvam encomio declinavit. Jam ſignat Virum, qvi cauſſas in foro difficiles orare didicit: qva appellatione nuncupat eum *Sen. 2. de Ira. c. 7. p. 569.* qvam ſignificationem & ipſum

ad-

admittit Abstractum *apud Eund. 1. de Ira. cap. 16. pag. 546. Interprete Lipsio in Com. pag. 554. n. 150.* Alibi declarat Patronum & administratorem redituum & proventuum Ecclesiasticorum : **einen Vogt oder Kastenvogt / der der Geistlichen Güter in Verwaltung gehabt : Lehm. in der Speyer. Chron.** *lib. 2. c. 36. p. 141. col. 1. Lit. D E.* Illum hæc qvæstio designat, oblectata variis titulis, qvibus talem virum Justitiæ Præsides, & Imperatores commendatum dant. Imperatores VALENT. & VALENS eum nominant Causidicum *l. Qvisqvis C. de Postulando. & passim alibi.* DIOCLET. & MAXIM. eum Patronum caussæ appellant *l. Velamento. 4. C. h. t.* LEO & ANTHEMIUS Togatum nuncupant. *l. Nemo. 8. C. h. t. Nobilissimus ac Consultissimus Dn. Samuel Neander in Tr. de Just. & Jure. pag. 203.* Cujus patrocinia Substantivo nomine dici honoraria, asserit *Dempster. lib. 5. Antiq. Rom. c. 32. p. 438. col. 2. Lit. B.* ANASTASIUS Imperator disertissimum fori virum laudat. *l. Petitiones. 5. C. de Advocat. diverſ. Judicum.* Imperator JUSTINIANUS vocat clarissimum eloqventiæ lumen *l. Restituendæ 6. C. h. t.* Intimiùs ut ipsum perscrutari qvis possit: Causidicum seu Advocatum cum *Cic. lib. 1. de Orat. T. 1. pag. 182. Lit. F G H.* nec appello proclamatorem, nec rabulam, sed eum virum, qvi primùm sit ejus artis antistes, cujus cum ipsa natura magnam homini facultatem daret, tamen à DEO magis esse putatur: ut id ipsum, qvod erat hominis proprium, non partum per nos, sed divinitus ad nos delatum videretur. Deinde qvi possit non tam caduceo, qvàm nomine Oratoris, ornatus, incolumis vel inter hostium tela versari: tum qvi scelus fraudemq; nocentis possit dicendo subjicere odio civi-

um,

um, ſupplicioq; conſtringere: idemq; ingenii præſidio innocentem judiciorum pœna liberare: idemq; langventem labentemq; populum aut ad decus excitare: aut ab errore deducere: aut inflammare in improbos: aut incitatum in bonos mitigare. Qvi deniq; qvemcunq; in animis hominum motum, cum res & cauſa poſtulet, dicendo vel excitare poſſit, vel ſedare. Addo & hoc, (qvippe eæ jam otioſis qvibusdam ſapientiæ politicæq; prudentiæ, ſi dîs placet, genus eſſe creduntur: eloqventiam verò, qvam in clamore & verborum curſu poſitam putant, non diſcunt: teſte *Cic. lib. 3. de Orat. T. 1. p. 277. Lit. E.*) hominum ſtultitias ac ineptias qvi leniter ferre poſſit: qvod cum non eſſet integrum M. Piſoni: ſtomachoſus & iracundus inde appellatur *Ciceroni in Bruto ſ. de Claris Oratore T. 1. pag. 330. Lit. A.* Hinc ANASTASIUS Imperator laudabile vitæq; hominum neceſſarium advocationis officium prædicat, maximeq; Principalibus præmiis remunerandum *l. Laudabile 4. C. de Advocat. diverſ. Judicum.* Nec ſilentii velo obtegendum eſſe putârunt hujus officii uſum admirabilem Imperatores LEO & ANTHEMIUS, qvi eundem his verborum phaleris *l. Advocati 14. C. de Advoc. diverſ. Judiciorum* comunt: Advocati, qvi dirimunt ambigua fata cauſſarum, ſuæq; defenſionis viribus in rebus ſæpè publicis ac privatis lapſa erigunt, fatigata reparant: non minùs provident humano generi, qvàm ſi præliis atq; vulneribus patriam parentesq; ſalvarent. Nec enim ſolos Imperio noſtro militare credimus illos, qvi gladiis, clypeis, & thoracibus nituntur: ſed etiam Advocatos. Militant namq; Cauſſarum Patroni, qvi glorioſa vocis confiſi munimine, laborantium ſpem, vitam,

vitam, & posteros defendunt. Aperitur res eadem & in exemplo ServI SulpicI: qvem *Consul Romanus disertissimus Orat. Philip. 9. T. 2. p. 900. Lit. F G H.* ita laudatum sistit: Reliqva ServI SulpicI vita multis erit præclarisq; monumentis ad omnem memoriam accommodata. Semper illius gravitatem, constantiam, fidem, præstantiam, in Rep. tuenda curam, atq; prudentiam, omnium mortalium fama celebrabit. Nec verò silebitur admirabilis qvædam, & incredibilis, & penè divina ejus in legibus interpretandis, & æqvitate explicanda, scientia. Omnes ex omni ætate, qvi hac in civitate (Roma) intelligentiam juris habuerunt, si unum in locum conferantur, cum Servio Sulpicio non sunt comparandi. Neq; enim ille magis JCtus, qvàm justitiæ, fuit. Ita qvæ proficiscebantur à legibus, & à Jure civili: semper ad facilitatem æqvitatemq; referebat: neq; constituere litium actiones malebat, qvàm controversias tollere. Qvid dicam de tribus potentissimis Imperatoribus, VALENT. VALENTE, & GRATIANO? qvi titulo Nobilissimorum Advocatos *l. Providendum. 7. C. de Postulando.* celebrant. Basin omnino fundant Nobilitatis duplicem: licèt universam ejusdem structuram non erigant. Qvis ergo his perspectis non manibus qvasi contrectet? amitti ob Advocationem adeo celebrem nunqvam fulgorem Nobilitatis. Amitti eam ob Advocationem minimè, firmissimo probant argumento tot Principes, Comites, Barones, atq; Nobiles, qvi pro aris, qvod dicitur, & focis disertissimo ore contendunt, jure experiuntur in maximis Imperatorum, Regum, Principum æternorum aulis, Majestatem non veriti, ut ipsa Majestas tuta sit perpetuò. Indice tantùm digito eminus

 osten-

ostenderem Illustrissimum ac Sempiternum ad Svevum palatium, illamq; Justitiæ ac æqvitatis fulgidissimam Acropolin: in qva tot Illustres, Generosi, ac Nobilissimi Magnates ac Proceres eodem munere, cum res Legis ac Gregis exigunt, advocationis easdem propugnant, & Summo expositi pro Europæ universæ incolumitate SANGVINIS HEROICI PRETIO libertatem & tranqvillitatem redditam strenuè & gloriosè tuentur: nisi calamus trepidus committendum hoc magis esse PRINCIPUM IMMORTALIUM Rubricis, qvàm imbellis plumæ atramento exseqvendam esse svaderet.

QVÆSTIO CLXXXIX.

An Nobilis, mercaturam exercens, Nobilitatem amittat? Dist.

Liqvidissimum esse puto, jam olim non melioris notæ nomen fuisse mercatoris. Namq; *Chrysostom. Homil. 22. in Matth. laudante Nobilissimo & Excellentissimo Dn. Magiro in Sab. Christ. p. 572. §. 2.* negotiatorum professio omnino desperatorum vocatur. Fundamentum sententiæ suæ posuisse puto divinum Virum in *Ecclesiastici 26. v. 26. & cap. 27. v. 1. 2. 3. 4.* Negotiator, inqvit *divinus ille morum correctiorum Professor*, difficulter poterit cavere à delicto: & caupo (institor) non justificabitur à peccato. Propter inopiam multi deliqverunt: & qvi qværit locupletari: avertit oculum suum. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur: sic & inter medium venditionis & emptionis angustiabitur peccatis. Con-

Conteretur cum delinqvente delictum. Si non in timore DOMINI tenueris te instanter: citò subvertetur domus tua. En fundamentum Nobilitatis in mercatura prostratum! qvo ruente vix fieri possit, ut non simul concutiantur superstructa. Duplici argumento qvæstioni fulcrum subdit *l. Nobiliores. 3. C. de Com. & Mercat.* qvòd plerunq; perniciosum sit Mercatorum genus, & qvod ignobile & plebejum. Inde factum esse credo, ut ab administratione Reip. removendos esse Mercatores nonnulli statuerint. *Excellentissimus Dn. D. Finkius Sect. 2. Qvæst. illustr. p. 813. &c.* Vide *l. Neqvis 6. C. de Dignitatibus, & Castell. lib. 2. de Off. Reg. c. 7. p. 183.* Conjunctam mercaturam Nobilium cum pauperie civium reliqvorum esse, & in Rep. maximam parere confusionem, ex aliqvot Magnorum Politicorum judicio statuit *Dn. D. Otto de Jure Publ. c. 20. p. 668.* Nobiles, mercaturam exercentes, non gaudere privilegiis Nobilium: adeoq; ad onera, mercaturæ imposita, non minùs, qvàm alios mercatores, adstringi, tuetur *Magnif. Dn.* Reinking *lib. 1. de Regim. Ecclesi. & Civ. Classe 5. cap. 11. pag. 711. num. 35.* Legibus qvoq; Germanorum & statutis Gallorum prohibetur, ne Nobiles mercaturæ & negotiationibus implicentur. *Vernul. lib. 2. Instit. Polit. Tit. 9. cap. 8. pag. 214.* Qvin & milites olim negotiantes, militia privavit *l. Eos qvi. un. C. Negotiatores ne militent.* His subjiciendum tradit *Horat. lib. 1. Epist. 16. T. 2. pag. 319. 320.* hos versus:

Qvi melior servo, qvi liberior sit avarus,
In triviis fixum cum se demittit ob assem,
Non video. Nam, qvi cupiet, metuet qvoq;. Porrò
Qvi metuens vivet; liber mihi non erit unqvam.

Perdidit arma: locum virtutis deseruit, qvi
Semper in augenda festinat & obruitur re.
Vendere cum possis captivum, occidere noli.
Serviet utiliter: sine, pascat durus, aretq;:
Naviget, ac mediis hiemet mercator in undis.
Annonæ prosit: portet frumenta, penusq;.
Vir bonus & sapiens audebit dicere: Pentheu,
Rector Thebarum, qvid me perferre, patiq;
Indignũ coges? Adimam bona: nempe pecus, rem,
Lectos, argentum. Tollas licèt, in manicis, &
Compedibus sævo te sub custode tenebo.

Vide *Lamb. T. 2. Com. in Horat. p. 325. 326.* Qvanto dedecori fuerit Imperatori D. Vespas. Aug. mercatura: prodit satis *Svet. in Ipso. c. 16. p. 397.* Ait Scriptor celeberrimus, Imperatorem hunc non fuisse contentum, omissa sub Galba vectigalia se revocâsse: nova & gravia addidisse: & auxisse tributa provinciis: nonnullis & duplicâsse: negotiationes qvoq;, vel privato pudendas, propalàm exercuit: coemendo qvædam tantùm, ut pluris postea distraheret. Qvæ omnia intelligi velim de abjecta, & turpi, adeoq; vetita negotiatione, & ereptione Nobilitatis, qvæ penes leges est: non de privatione ejusdem, qvæ decreto Principis obvenit: qvæ propriè Possesioni Nobilitatis Politicæ repugnat.

QVÆSTIO CXC.

An Pictura exercitio Nobilitas amittatur? Dist.

PIctoria illa ars ridenda ferè habuit initia. Notavit enim *Ælianus lib. 10 Var. Hist. c. 10. p. 268.* pictores, cum ipsa jam ortum duxisset, & qvodammodo

modo in lacte fasciisq; versata esset, adeo rudi & impolito Stylo depinxisse animantia, ut adscribere ad ea cogerentur: Hoc est bos, illud eqvus, hoc arbor. Primos hujus artis fuisse Polygnotum & Aglaophona, *Qvintil. lib. 12. Orat. Instit. c. 10. p. 709.* adstruit: Vid. *Polyd. Verg. lib. 2. de Rer. Invent. c. 24. p. 162.* omnium ferè ingenio & gratia præstantissimum fuisse Apellem, *idem* asseverat *l. c. p. 710.* Hæc ars adeo postea accrevit, ut præcipuum qvoq; eidem curam Plato impenderet: qvæ cum ad alia permulta, vitæ usibus necessaria: tum verò ad Geometricas figuras (fallor? an harum cognitio præmittenda pictoriæ scientiæ?) ac lineas designandas conducere potest: ad qvam à natura scientiam pronus ferebatur. Qvid? qvòd pictor solers & diligens naturæ mimus, & si vocem & orationis ornamentum addideris, Poetæ germanus est. *Plutarch. in Platone T. 1. p. 343. col. 1. Lit. B.* Qvibus fermè adsensum præbet Epimenides apud *Plutarchum in Com. de gloria Atheniensium T. 2. p. 166.* Picturam tacitam Poesin appellans, Poësin picturam loqventem: utramq; qvidem materia & ratione exprimendi inter se differe, finem tamen spectare eundem. Is ipse *Plutarch. in Com. de Atheniensium gloria T. 2. p. 165.* testatur, Apollodori, Pictoris Atheniensis, qvi φθορὰν, i. e. colorum mixturam, & umbræ, coloribus reddendæ, rationem mortalium primus invenit, subscriptum operibus fuisse, invisurum aliqvem faciliùs, qvàm imitaturum. Huic arti ita faverunt Impp. THEOD. & VALENT. ut *L. Archiatros 8. C. de Metat. & Epidemeticis.* modò ingenui fuerint, ab hospitali molestia, qvoad vitam, liberaverint. Vide *Dn. Spreng. lib. 2. Instit. Juris publ. c. 20. p. 242.*

p. 242. 243. Qvæ lex nobilitatem Professoribus pictoriæ, si ingenui fuerint, non adimit: si non fuerint, non addit. Ego olim aliam rationem pictoriæ fuisse, autumo, ac nunc est. Proinde statuo cum *Magnifico Dn. D. Brunnemanno in Polit. MScta*, concedi qvidem nobili, pingere qvippiam exercitii & animi caussa: nec Nobilem amittere Nobilitatem. Qvoniam verò hoc seculo pictores non accensentur Nobilibus: sed associare se coguntur consvetudine cum ignobilibus: puto hanc titulum ad ipsos, unà cum nominata immunitate, non pertinere: & ob exercitium lucrosum nobilitatem tractu temporis & longissima præscriptione pictoribus amissam esse: cum desit lex, qvod sciam, contraria. Vid. *Vernul. lib 2. Instit. Polit. Tit. 9. c. 9. p. 214. & Bodinus lib. 3 de Rep. c. 8. p. 475.*

QVÆSTIO CXCI.

An Statuaria pereat Nobilitas? Dist.

STructuræ hujus operas inde à diluvio fermè in honore fuisse, *Berosus* me confirmat *lib. 5. Rer. Antiq. pag. 335. col. 2.* asserens, in medio Urbis Babyloniæ statuas à Nino erectas esse. Oppugnat hanc sententiam *Polyd. Vergil. lib. 2. de Rer. Invent. cap. 23. p. 190.* affirmans, Athenienses primùm statuas publicè posuisse Harmodio & Aristogitoni, tyrannicidis: Crederem ego, Vergili, nisi se nescire fateretur *Plin. lib. 34. N.H. cap. 4. pag. 597.* Auream Romæ Anno Urbis D. LXII. demum visam esse, *Lipsio* credo, scribenti *lib. 1. Elect. c. 8. p. 372.* Euphranorem fingendi mirum prædicat artificem *Qvintil. lib. 1. Orat.*

Orat. Instit. c. 12. p. 710. eumq; antefert Phidiæ; de cujus insigni arte ita ludit *Martial. lib. 3. Epigr. 35. p. 64.*

Artis Phidiacæ toreuma clarum,
Pisces adspicit. Adde aqvam; natabunt.

Lansius aliter de Consult. Princip. Orat. 2. pag. 35. Picturam statuit, & statuariam Græcorum & Latinorum opinione nobilitatem accepimus. Qvid enim Protogene clarius? Peloponneso suum qvoq; non defuisse, author est *Joannes Casa, & interpres ejus Nathan Chytræus, in Galateo. p. 350.* &c. testatus, ex antiqvis Historiis patere, bonum qvendam virum & statuarium, qvi propter nominis sui celebritatem Polycletus, i. e. artifex clarissimus est cognominatus. In extrema senectute opusculum qvoddam confecit, qvo omnia artis suæ, qvam ipse rectissimè tenebat, præcepta est complexus: demonstrans in eo, qvomodo membra corporis humani demetienda essent, unumqvodq; seorsim vel etiam respectu alteriùs considerando: ut conveniente symmetria sibi mutuò correspondent: qvod suum volumen ille Canona s. regulam appellavit: indicare volens, secundùm eam, tanqvam legem qvandam, omnes statuas, deinceps ab aliis sculptoribus faciendas, exigendas & conformandas esse: sicuti trabes, lapides, & muri qvoq; ad certam qvandam regulam examinantur. Addere mihi liceat nonnulla de statua Alberti Magni. Construxerat ipse qvandam ad vivi hominis imaginem: qvæ libramentis qvibusdam rotisq;, intra latentibus, & lingvam qvadam machinarum disciplina peritissimè moventibus, verba qvædam articulatè pronunciavit. Hanc statuam cùm aliqvando Thomas Aqvinas, ab Alberto missus in cubiculo, ubi illa latebat, inopinatò clarâ voce loqventem audi-

audiret: vehementer perterrefactus fuste eam confregit. Qua re statim intellecta: Pol! inqvit Albertus, triginta annorum opus uno momento contrivisti. *Lanf. in Consult. Princip. Orat. 2. p.36.* Prodigiosæ meminit *Svet. in D. Vespas. Aug. cap. 5. p.389.* Cum enim comitia secundi Consulatûs inivisset Galba: statua Divi Julii ad Orientem sponte conversa est. Alias refert *Plutarch. in M. Antonio. T. 1. pag. 280. col. 1. Lit. E.* saxeas nimirum Antonii; qvarum qvædam ad Albam sudore fluxit: qvi, nonnullis abstergentibus, per aliqvot dies non cessavit. Qvid scribam de statua Claudiæ Qvintæ? qvæ vim ignium, bis illæsa, evasit: & propterea à Qviritibus in Æde Martis deo dedicata fuit. *Nobilissimus Dn. Rupertus in Mercur. Academ. pag. 29.* Qvis ergo credat, statuarum antiqvum artificium, idemq; prodigiosum, atq; miraculis plenum, prohibuisse, qvò minùs artifex à Nobilium fulgore propelleretur? THEODOSIUS sanè, ARCADIUS, & VALENT. Imperatores *l. Et virtutum. 4. C. de statuis & imaginibus* præceperunt, qvò honos haberetur debitus artifici, virtusq; & labor ejus præmio digno afficeretur: ut ejus, cujus ad honorem petitur, expensis propriis statua collocatur. Statuæ ipse velut sacraria qvædam culta fuerunt. Qvi enim ad eas, certis de caussis, confugiebant: jure ac ll. vindicabantur. *l. Qvi ad Statuam. un. C. de his, qvi ad statuas confugiunt.* Addatur *l. Si dominus. 2. ff. de his, qvi sui vel alieni juris sunt. & l. Capitalium. 28. §. Ad statuas. 7. ff. de pœnis.* atq; cum *Bodino lib. 3. de Rep. c. 8. p. 475.* negaverò Qvæstionem. Cæterum cum hac ætate soli plebeji hoc artificium tractent: nec Nobilium ullus qvidem, qvoad cognitionem, & eam inseqventem exercitationem, appetat: amissam illam concessam forsan

ſan ejus artificibus eſſe affirmo: amitti poſthac poſſe, inficior; cum deſint, qvi de ſcientia ejus acqvirenda deſudent, Nobiles.

QVÆSTIO CXCII.

An Agricultura omittatur Nobilitas? Aff.

AGriculturam non modò eſſe artem, ſed etiam neceſſariam ac magnam, eamq; ſcientiam, qvæ docet, qvæ ſint in qvoq; agro ſerenda ac facienda: & qvæ terra maximos perpetuò reddat fructus: *Varro docet lib. 1. de Re Ruſt. c. 3. p. 11.* Agricolarum omnino ordo pariter & paſtorum tandem meruit maximam. Qvippe duabus his maximis artibus civitates, pagos, villas, familias, rebus maximè omnium neceſſariis ſuſtentari docuerunt, teſte *Bodino lib. 3. de Rep. c. 8. p. 476.* &c. Hinc ei dicati fuerunt dii deæq;: *Varro l. cit. c. 1. p. 1. & 2.* Hinc *Dn. D.* Liebenthal *in Col. Polit. Exercit. 10. th. 31. p. 314. cum Excellentiſſimo Dn. Arniſæo lib. 1. Polit. cap. 13. pag. 314.* ſentiens, nihil agricultura homine libero dignius cenſet, niſi ſervilem in modum mercede conductis hominibus nobilisſima ars contumelioſè manciparetur: non carens ſolicitudine: *Petr. Victor. lib. 5. Var. Lect. c. 5. p. 95.* Vide *Varronem lib. cit. cap. 18. p. 28. 29. Crom. lib. 1. de Situ & gente Poloniæ. p. 497. col. 1. Beroſ. lib. 5. Rer. Antiq. pag. 334. & 336. Cic. lib. 1. off. T. 4. pag. 492. Lit. D. & de Senect. Tom. 4. p. 552. Lit. D. Plutarch. in Numa Pompil. T. 1. pag. 23. col. 1. Lit. B. Alex. ab Alex. lib. 1. Gen. dier. cap. 9. pag. 27.* Næ defecit à nativa ſui laude, eaqve antiqvisſima, agricultura plurimis intervallis. Communis ruſtici vox eſt, qva qvivis circa rura ſubigenda qvacunq; ratione occupatus deſigna-

ſignatur. Speciem repræſentat agricola. Qvid rus? Unde dicitur rúſticus: niſi ſordium & laborum graviſſimorum ſignum. Plena ruris dicuntur, qvæ à morum decore aberrant, qvorum urbes ſunt planæ. *Pontan. Vol. 1. Prog. 89. pag. 406. & 415.* & qvæ humanitatem reſpuunt. *Cic. lib. 12. ad Att. Epiſt. 45. T. 3. pag. 496. Lit. C.* Colonorum ſunt ſocii, qvos ita inhærere debere glebis præcipiunt Imperatores HONORIUS & THEODOSIUS *l. Colonos nunqvam 15. C. de Agricolis &c.* Inſiſtunt iſti ſationibus vel colligendis fructibus. *l. Nunqvam. C. h. t.* excolunt agros fructibus domino profuturis. *l. Omnes 8. C. h. t.* & ad culturam terræ & canonem præſtandum cogi poſſunt. *l. Agricolarum. 18. C. h. t.* Privilegiis omnibus omniq; dignitate privantur. *l. Originarios. 11. & l. Colonos nulla. 19. C. h. t. l. In Libertates. 2. C. de Mancipiis & Colonis. l. Milites. 31. C. de Locato & conducto.* Contemptui proinde ſunt, nullaq; authoritate valent, agricolæ. Innuit id *Martialis lib. 7. Epigr. ad Stellam. 38. pag. 170.*

Cum pluvias, madidumq; Jovem perferre negaret:
Et rudis hibernis villa nataret aqvis:
Plurima, qvæ poſſet ſubitos effundere nimbos,
Muneribus venit tegula miſſa tuis.
Horridus, ecce, ſonat Boreæ ſtridore December,
Stella, tegis villam: non tegis agricolam.

Idem lib. 12. Epigr. 77. p. 336.

Amphora vigesſis, modius detur ære qvaterno:
Ebrius & crudus nil habet agricola.

Nec agriculturæ ſtudioſi fuerunt priſci Germani, non negligentia, ſed inſtitutis, allecti. *Cæſ. lib. 6. de Bello Gal. c. 5. p. 163. & c. 6. p. 166.*

QVÆ-

QVÆSTIO CXCIII.

An paupertate Nobilitas intereat? Neg.

IMpugnat omnino Qvæſtionem tetra fronte in principiis nonnullorum eruditorum ſententia. *Author ad Herenn. lib. 4. Rhet. T. 1. p. 66. Lit. D.* inopiam cum vitiorum acropoli conjungit, inqviens: Duæ ſunt res, qvæ poſſunt homines ad turpe compendium commovere, inopia atq; avaritia. Verùm mi Herenni, qvis unqvam tam pauper vixit, qvàm natus eſt? *Sen de Provid. c. 6. p. 527.* conjungit qvidem *Auſon. in Sent. Sap. Carm. 1. p. 118.* cum avaritia paupertatem, canens:

Qvis dives? Qvi nil cupiat. Qvis pauper? Avarus.

Ad remove crimen: qvid culpandum reſtabit? Nam cum *Sen. Ep. 1. p. 497.* non puto pauperem, cui, qvantumcunq; ſuper eſt, ſat eſt. Magnæ divitiæ ſunt lege naturæ compoſita paupertas. *Id. Epiſt. 4. p. 500.* Concinit & *Auſon. Epigram. 126. p. 31.* ſibi ipſi ita reſpondens:

Non eſt dives, opum dives: nec pauper inopsq;
　　Infelix: alio nec magis alter eget.
Dives eget gemmis: cereali munere pauper.
　　Sed, cum egeant ambo, pauper egens minùs eſt.

Pauper ſum, fateor: patior. Qvod dî dant, fero: inqvit ille apud *Plaut. in Aulul. act. 1. ſc. 2.* Malæ notæ hoſpitem excipere illum argui ſcio, qvi iſtam æqvo fert animo. *Venuſinus Poët. lib. 3. Carm. Od. 24 T. 1. p. 250.* ingerit aliud, qvod nobilitatem jungi vetet pauperiei: nimirum contumeliam, paupertati familiarem, ſic modulatus:

Magnum pauperies opprobrium jubet
Qvidvis & facere & pati:

Virtutisq; viam deserit arduæ.

Honesta verò, regero cum *Sen. Philos. Epist. 2. p. 468.* res est læta paupertas. Illa verò non est paupertas, si læta est. Cui enim cum paupertate bene convenit: dives est. Non qvi parum habet, sed qvi plus cupit, pauper est. Nemo paupertatem vitio vertit. Invita enim est ipsa malum. *Basil. M. Orat. 5. p. 112.* Nec qvicqvam fortunæ malignitate inopiam tolerantibus exprobrare decet: verùm conjuncta cum inertia, socordia, mollitia, luxu, paupertas fœda & probrosa est. *Plutarch. de Audiendis Poët. T. 2. p. 22.* Nescire se ait *Petron. Arb. in Sat. p. 94.* qvomodo bonæ mentis soror sit paupertas: imò & Curtio docente *lib. 4. p. 47.* eadem plerisq; caussa paupertatis est. Obeliscus ferreus, mortuo Epaminonda Thebano, solus in domo relictus, justitiæ erat testis, si fides sit penes *Plutarch in Fab. Max. T. 1. p. 60. col. 1. Lit. E.* Laudis mater materiaqve Aristidi & Lysandro: *Id. in Catone Majore T. 1. p. 110. col. 1. Lit. C. & in Lysandro T. 1. p. 138. col. 1. Lit. D E.* Lex ipsa vindicat nobilitatem, pauperie qvasi nube obductam. Scilicet fœminam humilem vel abjectam intelligi non vult, qvæ, licèt pauper, ab ingenuis tamen parentibus nata sit. *l. Humilem. 7. C. de Incest. & inutil. nupt.* Princeps ne sexus hac minuetur: deteriorisvè conditionis erit seqviore illo? In Japonia ob paupertatem Nobilitatis neminem videri fastidiosum, contemptorem neminem: qvoniam hæc pecunia & divitiis non augescat, *Boterus author est Parte 6. lib. 1. Cosmogr. p. 170. col. 1.* Vid. *Dn. D.* Liebenthal *in Col. Polit. Exercit. 10. th. 31 p. 259. 260. Dn. D. Blotius Disp. de Statu & Jure Person. Sect. 11. th. 8. Dn. Wendel. lib. 2. Instit. Polit. c. 26. p. 228.* Qvid? Christusne

ſtusne, Heros ille potentisſimus, juxtimq; inter nobiles Princeps, inter Principes nobilisſimus *Genes 49. v. 10. & Esa. 9. v. 6.* qvicqvam nobilitatis pauper perdidit? Nec propriam habuit domum, in qva caput reclinaret: & in qva cum diſcipulis paſcha celebraret: nec proprium habuit, unde tributum ſolveret. *Bernh. ſerm. 2. in Cœna Dom. p. 147. Lit. I K.* Ditior ſanè eſt Chriſti paupertas cunctis opibus, cunctis theſauris ſeculi. *Bernh. verè affirmante Serm. 4. in Vigil. Nat. Dom. p. 21. Lit. C.*

QVÆSTIO CXCIV.

An exercitio ſordidarum artium tollatur Nobilitas? Aff.

B*Odinus lib. 3. de Rep. c. 8. p. 471. 472.* affirmat Qvæſtionem. Jus gentium primum ſibi patronum adduxit, qvo prohiberi ait, ne Nobiles ſordidas exerceant artes. Qvam ſententiam triplici authoritate, l. c. videnda, tuetur: qvò pertinent & ea, qvæ ſub tertio argumento congesſit. Cui addenda ſunt ea, qvæ notavit *Excellent. Dn. Magir. in Polit. MSCta p. 28. § 3.* Opifices, qvorum qvidem ars deſiderari commodè neqvit, ſed ſua tamen natura ita ſordida eſt, ut ingenui ab ea abhorreant, ſunt lanii, coriarii, libitinarii, agitatores, lictores, adeoq; ipſe carnifex: qvorum illi etſi viri boni & honeſti, ob ſordes ex urbe amoventur: hic autem civibus honeſtis admiſcendus non eſt. *Cic.* eò collineat *lib. 1. off. T. 4. p. 492. Lit. B.* omnes opifices in ſordida arte verſari, nec habere qvicqvam ingenuum officinam ait. Speciatim ſordidæ arti addictos recenſet *Dn. Spreng. lib. 1. Inſtit. Jur. publ c. 8. p. 46. Ariſtot. etiam. lib. 7.*

Polit. c. 9. T. 2. p. 546. Lit. B. opifices vel artifices negat cives esse: qvòd eorum vilis sit vita, & virtuti adversa. Secundum argumentum producit ex *Ecclesiastici c. 38. v. 37.* Qvi, inqvit: Opifices qvidem, etsi Reip. necessarii sunt, tamen non sunt idonei, ut in alias nationes mittantur: neq; officiis publicis præfici, neq; Remp. administrare possunt. Qvi versus à dignitate omni officioq; publica amandat opifices. Qvid de Nobilitate futurum esse censeam? Qvæ nonnullas dignitates multis intervallis antecedit. Tertium argumentum ex ll. fontibus haurire sustinet: & qvidem ex *l. Nobiliores 4. C. de Commerc. & Mercat.* qva perspicuè edicto Imperatorio Nobiles à plebejis secernuntur: atq; ex *l. Siqvis. 6. C. de dignitat.* ubi Impp. CONSTANTINUS & CONSTANS abjecta officia, vel sordidas artes, earumq; artifices ab omni dignitate repellendos esse statuerunt. Nec patrocinatur Bodino limitatio addita, licere sordidis & qvæstuosis artibus Nobilitati, si veniam, urgente necessitate, à Principe suo impetraverit Nobilis, uti. Nam hanc limitationem laudatæ ll. non admittunt. Nec video, qvæ necessitas imposuerit Nobili sordidarum ejusmodi artium exercitium. Flagellans qvidem annona ingrata & sordida imperat non pauca: at cur Nobili imponeret qvæstum? Intusne ut canat? Hoc repugnat ll. Subditos ut juvet? Juvet verò pecunia: & ipsi sibi de victu prospicient. Mercatores ut provocet? Næ & ipsi ad qvæstum suum satis sunt callidi, ubi spes qvædam adfulget lucri. Longiùs distant vitæ servandæ necessaria? Ubi invenerit Nobilis? cum ea non sint in promptu mercatori. Si huic pereundum est, qvi viam, qva deveniat ad mare, novit: qvid fiet de illo?

illo ? qvi inter devia oberrat. Necessitas imminet ? Qvi illum curaveris? cui mors in proximo est. Vid. *Dn. D. Blotius in Disp. de Statu & Jure Person. sect. 11. th. 4. & Dn. Wendelin. lib. 2. Instit. Polit. c. 18. p. 227. Crom. lib. 1. de Statu & Gente Polon. p. 497. col. 1. & Dn. D. Otto de Jure Publ. c. 20. p. 668.*

QVÆSTIO CXCV.

An exercitio illicitarum artium pereat Nobilitas? Aff.

CLaudianus non longiùs ab hac semita pedem avertit suum in *Consul. Olyb. & Prob. pag. 1. col. 1. v. 15. 16.* canens:

Per fasces numerantur avi, semperq; renata
Nobilitate virent, & prolem fata seqvuntur
Continuum simili servantia lege tenorem.

In qvæ verba non ineptè ita commentatur ingenii virtute humanæ eruditionis mensuram excedens *Dn. Barthius in Com. in Poëtam hunc prægloriosissimum p. 11. col. 1. n. 16.* Nullam obscuritatem subiisse genus hoc, sed sibi qvemq; per gradus nobilitatem avitam reparâsse ait, indicans, non tam jactâsse stemma, qvàm vindicâsse sibi contentione virtutum & gloriæ cum Parentibus. Verè Nobili injungit sapientia reparationem perpetuam amissæ generositatis, qvoties indignum qvid titulo avito commisit, aut non excoluit acceptas laudes. *Horatius lib. 4. Carm. Od. 4. T. 1. pag. 288.*

Utcunq; defecêre mores:
Dedecorant bene nata culpæ.

Imò parentum virtus lux est, qvæ omnibus sobolis

culpas manifeſtat. Qvod egregiè *Juvenalis* occinit *Satyra 8.*

Qvodſi præcipitem rapit ambitus atq; libido:
Incipit ipſorum contra te ſtare Parentum
Nobilitas, claramq; facem præferre pudendis.

Ad locum Horatii ex *Dionyſ. Lambini T. 1. Comm. in Satyricum antè laudatum. p. 291.* ſeqventia liceat mihi addere, non planè inconvenientia. Utcunq;) i. e. ubicunq; ſeu qvandocunq; naturæ bonitas, qvam εὐφυΐαν Græci nominant, à bonis moribus, qvi ſtudium exercitationemq; deſiderant (ut docet *Ariſt. lib. 2. de Moribus ad Nicomachum*) deſtituta eſt: vitæ turpitudo bonum illud generis & naturæ, dedecore maculaq; afficit. Licet & bene nata interpretari εὐγένειαν, i. e. generis præſtantiam ac Nobilitatem. Aggravant culpam hæ voluptuariæ artes, tanqvam voluptatum miniſtræ, & Rerump. corruptrices, una cum autoribus ſuis: qvi ingenia ſua ad perniciem civium accommodant: & ideo à Rep. merito ſuo amandantur: *Seneca Epiſt. 88. & Columella lib. 8. de Re Ruſt. c. 10.* Eas artes tractantes ſunt cetarii, fartores, ungventarii, cupediarii, dulciarii, ſeplaſiarii, ſaltatores, pantomimi, hiſtriones, item tibicines, qvi Muſicam artem ad turpem qvæſtum inter ebrios temulenti proſtituunt: de qvibus Græcorum Proverbium apud *A. Gellium lib. 20. Noct. Att. cap. 3.* Id qvod & de aleatoribus, & aleatorum receptatoribus ſeverè cautum à Juſtiniano *l. Simul. l. Conſtitutio. 2. C. de aleator. & alearum luſu. & l. Prætor. 1. ff. eod. Excellentisſimus Dn. Magirus Part. 1. Polit. Sect. 2. cap. ult. p. 29. §. 5.* Vetat has voluptates, earumq; illecebras: cum denunciatione violandæ exiſtimationis, cujus penes Principem reperitur privatio. *l. Si qva 2. C. de*

C. de Secundis nuptiis. l. Senatoris 47. ff. de ritu nuptiarum. Vid. *Castell. lib. 1. de off. Regis. c. 25. p. 80. 81. Suet. in Calig. c. 54. p. 246. Vernul. lib. 2. Instit. Polit. cap. 9. Tit. 9. pag. 214. Suet in Domit. c. 8. p. 419*

QVÆSTIO CXCVI.

An Nobilis, Comœdias vel Tragœdias agens, nobilitatem amittat? Aff.

ROmæ anno à condito mundo 3589., ante CHRISTUM natum 359 pestilentiam grassatam esse, *Livius* refert *lib. 7. Dec. 1. p. 519. Lit. B C D.* eoq; anno nihil Historicus citatus actum memoria dignum recenset, nisi qvod pacis DEUM exposcendæ caussa, tertiò tùm post conditam urbem lectisternium fuerit. (Lectisternium pluribus describit *Polyd. Verg. lib. 4. de Rer. Invent. c. 14. p. 378.*) Et cum vis morbi nec consiliis, nec ope divina levaretur: victis superstitione animis, ludi scenici primùm, inter alia cœlestis iræ placamina, instituti sunt: sine carmine tamen ullo: sine imitandorum carminum actu. Tandem ludiones ex Hetruria acciti sunt: qvi ad tibicinis modum saltantes, haud indecoros motus, more Thusco, dederunt. Accepta inde res, sæpiusq; usurpando excitata est, & vernaculis artificibus. Et, qvia Hister Thusco verbo Ludio ille vocabatur: nomen histrionibus inditum. Livius primus suorum carminum actor fuit: qvi, cum sæpiùs revocatus vocem obtudisset, venia petita, puerum ad canendum ante tibicinem statuit: ipseq; canticum egit, aliqvantò magis vigente motu: qvia nihil vocis usum impediebat. Inde ad manum cantare Histrionibus cœptum, & diverbia tan-

tùm ipſorum voci relicta. Hos ludos tandem cum Artificibus Hiſtrionibus artibus voluptuariis & earum authoribus addictos eſſe, memorat antè laudatus, ſemper *laudandus*, *Nobiliſsimus & Excellentiſsimus Dn. Magirus lege inſuper Qvæſt. cit. Sveton. qvidem in Caligula. cap. 54. pag. 246.* author eſt, nominatum Imperatorem iſta canendi ac ſaltandi voluptate ita fuiſſe elatum, ut ne publicis qvidem ſpectaculis temperaret, qvò minùs & tragœdo pronuncianti concineret: & geſtum hiſtrionis qvaſi laudans, vel corrigens palàm effingeret. Nec alia de cauſſa viſus eſt eo die, qvo periit, pervigilium indixiſſe, qvàm ut initium in ſcenam prodeundi licentia temporis, auſpicaretur. Saltabat autem nonnunqvam etiam noctu. Probro Hiſtrioniam apud Romanos datam eſſe, tradit *Pont. Volum. 1. prog. 100. pag. 475. & 477.* Et qvidem ferè. Seditione enim Romæ orta ob hos homines: de ea apud Patres agebatur: dicebanturq; ſententiæ, ut Prætoribus jus virgarum in hiſtriones eſſet. Intercesſit Haterius, Tribunus plebis: increpitusq; eſt Aſinii Galli oratione: ſilente Tiberio, qvi ea ſimulacra libertatis Senatui præbebat. Valuit tamen intercesſio: qvia Divus Auguſtus immunes verberum hiſtriones qvondam reſponderat: neq; fas Tiberio, infringere dicta ejus. *Tacit. lib. 1. Annal. c. 14. p. 44. 45. Id. Annal. 4. c. 3. p. 139. 140.* hæc ſubjicit: Variis dehinc, & ſæpiùs irritis Prætorum qveſtibus, poſtremò Cæſar de immodeſtia hiſtrionum retulit, multa ab iis in publicum ſeditioſè, fœda per domos tentari. Oſcum qvondam ludicrum, leviſſimæ apud vulgum oblectationis, eò flagitiorum & virium veniſſe, ut authoritate Patrum coercendum fuerit. Pulſi tum hiſtriones Italia. Nec flagitioſis his ludis nihil cum Nobilitate, virtutum

cuſto-

custode, qvid ex his manifestius? Proscriptis, & è tanta provincia exturbatis, qvid splendoris remansit? Pergo ad Tragœdiam & Comœdiam, consimilia elogia notaturus. Gorgiam Leontinum Tragœdiam definivisse fallaciam, qva qvi deciperet, justior eo, qvi non deciperet: qvi deciperetur, sapientior eo, qvi non deciperetur, esset, *Dan. Heins. Orat. 14. pag. 318.* svadenti credo. Thespios etiam Tragœdias docere prohibuit Solon, inutilem eas falsiloqventiam vocans: unde ergo Pisistratus seipsum consternavit: inde, ait, ista pullulârunt. *Diog. Laërt. lib. 1. Vit. Philos. p. 8. col. 1.* Otiosas artes otiosorum esse hæc dramata, *Scal. lib. 3. Poët. cap. 124. pag. 429.* docet hac brevitate: Comœdias & Tragœdias otiosis damus. Nemo enim in Theatrum venit, qvi non libens velit id temporis amittere. Otiosos, qvi nihil, unde otiosam vitam tuerentur, habebant, Ægypti Rex Amasis, perinde, ac grassatores, supplicio capitali affici jussit. *Bodinus lib. 3. de Rep. cap. 8. pag. 477.* Reip. nascitur Nobilis omnis: huic desudet; huic operetur. **Vana, & nociva, & turpia sunt omnia, qvæ non DEO, Principi, Patriæ, Tibi & ipsi sacraveris.**

QVÆSTIO CXCVII.

An libertas lege adimatur? Dist.

QVæstio hæc iisdem verbis vindicatur per *l. cum libertas. un. ff. de adempt. libert.* Nec refragatæ sunt aliqvot anteriorum, sub loco Pugnantium, Qvæstionum. Libertatem hic intelligo essentiale Nobilitatis conseqvens, qvæ tot aureis splendescit privilegiorum radiis, ut rectè sensisse statuam *Basil. M.*

Orat. 5. p. 110. Omnia perdere tolerabilius est, qvàm libertatem: cotem illam fortitudinis. *Sen. Trag in Hippolyto act. 1. sc. 2. p. 126.* qvam cum Persarum regno Lacedæmonii se non esse mutaturos, Xerxi Regi indicium faciebant apud *Plutarch. in Apophth. T. 2. p. 211.* Amando hinc illam libertatem, qvæ plebis cerebrum occupat, fascinat pectus. Ipsi ponitur hæc cum in regimine, qvo alius ex alio per vices jungitur: tum in vita pro lubitu à qvo agenda. *Nobil. ac Amplissimus Dn. D. Cellar. lib. 2. Polit. c. 5. p. 157. 158.* advoco huc, ait, qvæ legibus, civitatis obseqviosa immunitatibus fruitur, multitudinis turbidæ & errantis licentiam, fræno incorruptæ rationis non cohibitam: qvæ Principem moratur unicè, & qvi cum eo: qvæ se abstrahit vulgo, & inter bonos renidet & magnos: qvæ tuta, intra lineas arctata èminet super omnia: qvæ, paucis exceptis, sub illis vigent. Abigere molitur eam lex, sui observantiam cum neglectim haberi advertit. Cives omnes in legum esse potestate, Pausaniæ scitum est apud *Plutarch. in Apophth. T. 2. p. 208.* pravum depellit omne: *Cic. lib. 2. de Nat. Deor. T. 4. p. 312. Lit. A.* est libertatis fundamentum & retinaculum sempiternum. *Amm. Marcellin. lib. 14. c. 14. p. 12.* cui, qvisqvis esse liber desiderat, libenter servit. *Cic. Pro Cluentio T. 2. p. 374. Lit. F.* Salutiq; est, cum obseqvium sibi præstari videt. *Generosus & Nobilissimus Dn. Palbitzky in Tr. de Jure Person. th. 69.* Pœnas eadem infligit, qvoties improbos offendit. *Cic. 2. de ll. T. 4. p. 439. Lit. B.* Seu potiùs indicat, promeruisse impios illos, & minatur. Principi committit pœnæ irrogationem. Nam, ex mente *Senecæ lib. 1. de Ira. c. 6. p. 520.* legum Præses & civitatis rector damnatum cum dedecore vitæ

tra-

traductione exigit: non qvia delectatur ullius pœna (Procul enim est à Sapiente tam inhumana feritas) sed ut documentum omnium sint. Hic & ipse Nobilitatem libertate privat ipso opere, qvoties evertendarum legum crimine qvis polluitur. Qvi dedit libertatem, & aufert, qvoties expellas eam vitiis. Lex est index: vindicis nomen Principi imponitur: ipsiq; & exercitium constat.

QVÆSTIO CXCVIII.

An interdum non ferenda sit Nobilitas? Dist.

Nullus dubito, qvin sæpenumero multis adeo ingrata sit Nobilitas, ut eam sine insigni fastidio ferre neqveant. Author qvippe est *D.* Conken *lib. 8. Polit. c. 20. p. 69. col. 1.* Spretam nobilitatem esse admodum ab Alexandro illo M. Nec Tiberius magni fecit. Eqviti cuidam Romano, qviddam pernegant, vincula minatus est. *Svet. in Tiber. c. 57. p. 188.* Centurionem primarum cohortium ob lecticam, qva vehebatur, vepribus impeditam, stratum humi penè ad necem verberavit. *Id. in Eod. c. 60. p. 190.* Nec ipsa solùm vilis est facta, & despicatui habita: excessit etiam habitationibus. Honor qvoq; ejus & nomen sublata fuerunt aliqvando Genuæ: ut civitas formaret inter cives concordiam: cujus amissionis culpam conferebat in Nobilitatem. *Thuanus lib. 6. p. 127. Lit. E & F. & p. 128. Lit. A B C.* Horrenda relatu est clades illa, qva Nobilitatem Sveciæ universam exstirpavit CHRISTIERNUS, Rex Daniæ. Anno redditæ salutis humanæ 1519. Rex jam dictus Svecos ad unum omnes

internecioni dare constituerat. Voti se faciliore negotio compotem futurum esse confidebat irruptione in Sveciam facta. Commodùm moriebatur in ipso bello Steno, gubernator regni. Cujus mors invitavit Svecos ad pacem, cum CHRISTIERNO Rege faciendam, data ἀμνηστίᾳ. Habitantes verò Hostocolmiam pacis gratiam secum conciliari detrectabant. Qvæ res ansam tandem præbuit CHRISTIERNO, & cum hoc facientibus, obsidendorum locorum contumacium: qvi & ipsi paulò pòst victas tradiderunt manus, socios se jungentes CHRISTIERNO subjectis: à qvibus unanimis suffragiis 4. Novembris Anni 1520. CHRISTIERNUS Hostocolmiæ est coronatus. Inde 18. Novembris tyrannide, in Christiano orbe inaudita, omnes Svecici regni Nobiles, Episcopos item, adhæc Senatores, & cives primarios, vel gladio sustulit, vel curavit, ut laqveo vitam finirent. Jussit etiam cadavera per triduum insepulta relinqvi, & tandem cremari. Steno etiam, abhinc semestre mortuus, effossus est, ignibus in cineres redigendus. *Calvis. in opere Chronol. p. 916. col. 2.* Gemina ferè his contigerunt Athenis. Ejecerant urbe sua Nobiles omnes: idq; consilio Ducis sui Gvaltheri Brennonis. Hoc tandem paria perferente, vexillifero rursus, octoviris, unà cum Tribunis plebis, sive Collegiorum Ducibus, creatis, nobiles, qvos ab honoribus antè prohibuerunt, restituerunt. Hinc factio Nobilium potentior, populares & plebejos opprimere cœpit. Hinc tenuium & popularium qverelæ: qvòd, unius eversa tyrannide, plures Remp. invasissent. Et eo usq; discordiæ creverunt, qvoad Nobiles magna ex parte cæsi, aut fracti, aut

exilio

exilio pulsi, popularibus cessissent: & ab honorum petitione omnino summoverentur. *Bodinus de Meth. Hist. c. 6. p. 250. 251.* Sic pressa odio, sic conculcata crudelitate fuit, jam insons, aliqvando vitiis corrupta. Illi non esset crudelitas irroganda: *Sen. 7. Benef. c. 14. p. 315.* Nam virtus sola præstat gaudium perpetuum, securum. *Id. Epist. 27. p. 391.* Et benefactis tantùm ex conscientia merces. *Plin in Paneg. ad Trajan. p. 70. Vide Qvæst. 28. p. 31.* Vitiis verò, præsertim publico imminentibus, inqvinatam qvæ pietas ferat eleganter? Vitia non tantùm, cum foris peccant, invisa sunt: sed & cum in se retorqventur. *Sen 5. Benef. c. 7. p. 312.* Omnisq; publicè peccans, bis peccare videtur: & judicio potiùs, qvàm natura: ut etiam bifariam minùs venia dignus habeatur. *Card. de Arcan. Prud. Civil. c. 27. p. 84.*

QVÆSTIO CXCIX.

An servitus repugnet Nobilitati? Aff.

NOn obscurè innuit, à cujus interpretatione faciliùs rei ratio nota fit, *Scal. lib. 1. de Ling. Lat. c. 4. p. 3.* mentis exemplar & index, nomen: *Qvintil. lib. 11. Orat. Instit. c. 3. p. 652.* utrinsq; discrimen. Servare limina dictum, ut Plauto Aulularia, domi servare. Unde sanè servos dictos arbitror, veluti dominis absentibus servantes, aut alioqvi supellectili servandæ velut affixos. Non verò à servando ex bellis, qvod JCtis placet: cum inde minima pars servorum sit: pluribus ob indigentiam manui subditis, qvàm bello paratis: siqvidem penitus origines rimari malis, qvàm Romanas victorias,

qvi-

qvibus ambitiosi homines nihil non deberi voluerunt. *Barth. lib. 18. Adverʃ. cap. 9. pag. 908.* Qvæ derivatio cum *l. Colonos nunqvam 15. C. de Agricolis.* convenit: nec omnino etiam ipsorum notatio contraria est vero. Fidem facit assertioni meæ **Borchholten** *in Com. in Inst. Imperial. p. 14. col. 1. n. 1. 2. 3. 4.* suamq; sententiam munit ll. qvibus vim necessitatem inferendi inditam esse statuit *Magnificus ac JCtissimus Dn. D. Brunnemannus lib. 3. Euch. Log. membr. 2. c. 2. p. 394.* Amplectitur hanc sententiam *Dn. Perez in Com. in Inst. Imper. p. 12.* vernas tantùm excipiens: qvi servi non sint servati, sed nati. Verùm hæc monela priorem sententiam non expugnat: aliud enim nomen aliam parit derivationem, peculiarem & propriam. Servi vox signatam notionem citra controversiam retinet. Qvicqvid hoc nomen complectitur: declinat à Nobilitate. Natura qvos producit; rationem iis hebetat, & dominam reginamq; omnium, *Cic. lib. 2. de Nat. Deor. T. 4. pag. 327. Lit. C.* Omnisq; boni comitem *Sen. lib. 4. beneſ. cap. 10. pag. 298.* eò eniti non sinit, qvò tendebat, in se spectanda. Horum non exiguus est numerus; imò major, qvàm prudentiorum, & ad actiones humanas edendas ritè compositorum, freqventia. Civitas qvos sistit: libertatis jacturam patiuntur; vel nati ea semper destituti fuerunt. Servi enim à jure civium, qvod ingenuorum & liberorum hominum est, arcentur. *Horn. lib. 1. Polit. c. 4. p. 101.* Oeconomia pariter nonnullos emittit & alit, qvi dominorum imperio subsunt: qva

-- In servitute expetunt multa iniqva:
Habendum & ferendum hoc onus est cum labore.

Plaut. in Amphitr. act. 1. sc. 1. v. 20. atq;

Ita

— Ita servum par videtur frugi sese instituere:
Proinde heri ut sint: ipse item sit: vultum è vultu comparet.
Tristis sit, si heri sint tristes: hilarus sit, si gaudeant.

Plaut. ibid. act. 3. sc. 3. Et

Qui hero suo servire vult bene servus servitutem:
Næ ædepol illum multa in pectore suo collocare oportet,
Quæ hero placere censeat præsenti atq; absenti suo.

Id. in Persa act. 1. sc. 1. v. 7. Nobilis hæc omnia excutit, nullum opus perficiens, nisi qvod injungit principis Celsitudo: qvod effert, non mergit. Naturam in Nobili indicat benignam & largam, calamo *Just. lib. 9. c. 2. p. 95. n. 15. 16. 17.* Viginti, inqvientis, millia puerorum ac fœminarum capta, pecoris magna vis, auri argentiq; nihil. Ea primum fides inopiæ Scythicæ fuit. Viginti millia nobilium eqvarum ad genus faciendum in Macedoniam missa. Genus nec obscurat simile. Prodit *Propert. lib. 2. Eleg. 25. v. 8. p. 216.* hoc concentu:

At me non ætas mutabit tota Sibyllæ,
Non labor Alcidæ, non niger ille dies.
Tu mea compones, & dices: Ossa, Properti,
Hæc tua sunt. Eheu! Tu mihi certus eras.
Certus eras: eheu! Qvamvis nec sangvine avito
Nobilis, & qvamvis non ita dives eras.

Nec ipsam proterit fortitudinem hæc appellatio, sensum justum testante *Claud. in Præf. in 3. Consul. Hon. Aug. p. 38. col. 1.*

Consulit ardentes radios, & luce magistra
Natorum vires ingeniumq; probat.
Degeneres refugo torsit qvi lumine visus,
Ungvibus hunc sævis ira paterna ferit.

Exploratores oculis qvi pertulit ignes,
Sustinuitq; acie nobiliore diem:
Nutritur volucrumq; potens, & fulminis heres,
Gesturus summo tela trisulca Jovi.

Voces illas, ex carmine eruditissimo, monstrandæ rei significatæ accommodas, ita interpretatur *Dn. Barth. in Com. p.471. col.2.* Acie Nobiliore) i. e. Contemtrice periculorum. Nobilitas animi & corporis in contemptu & superatione discriminum. Qvo spectat illud vulgatum:

-- Nobilitas sola est utq; unica virtus.

Seneca Hercule Furente:

-- Nobiles non sunt mihi
Avi: non altis inclutum titulis genus:
Sed clara virtus:

qvæ videlicet omnium illorum pretium sustinet. Astydamantis egregia est sententia: Genus viro egregium tribuere, si sit optimis moribus, hunc Nobilitatem honorem mereri. Diogenes Cynicus, interrogatus: Qvi inter mortales Nobiles essent habendi: Contemtores, dixit, Fortunæ, opum, voluptatum, gloriæ, vitæ. Libertatem ipsam exprimit *Venusinus Poëta ille lib.3. Carm. Od.17. pag. 234.*

Æli vetusto nobilis ab Lamo,
Qvando & primores hinc Lamias ferunt
Denominatos & nepotum
Per memores genus omne fastos:
Auctore ab illo ducis originem,
Qvi Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lirim,
Latè tyrannus.

Is ipse

Is ipse eadem comprobat *lib. 4. Carm. Od. 12. T. 1. p. 320.*

Adduxêre sitim tempora Virgili.
Sed pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis, juvenum nobilium cliens,
Nardo vina merebere.

Dignitatem etiam manifestat vocabulum *Ovid. in Epist. ad Hippol. T. 2. p. 25.*

Nobilitas sub amore jacet. Miserere priorum!
Et mihi si non vis parcere: parce meis!
Est mihi dotalis tellus Jovis insula Crete:
Serviat Hippolyto regia tota meo.
Flecte feros animos! Potuit corrumpere taurum
Mater: eris tauro sævior ipse truci.

Sociat se Poëtæ in re eadem præstanda *Svet. in Sergio Galba cap. 3. pag. 342.* Sergius Galba uxores habuit Mummiam Achaiam, neptem Catuli, proneptemq; L. Mummii, qvi Corinthum excîdit: item Liviam Ocellinam, ditem admodum, & pulchram: à qva tamen Nobilitatis caussa appetitus ultrò existimatur, & aliqvanto enixius: postqvam subinde instanti vitium corporis secretò posita veste detexit: ne qvasi ignaram fallere videretur. Ipsam huc spectantem propriè significationem prioribus copulat nexu dulciore *Claud. de Laudibus Serenæ Reginæ pag. 34. col. 1.*

Qvodsi nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atq; omnes redeunt in semina caussæ:
Qvis venerabilior sangvis? Qvæ major origo,
Qvàm regalis, erit? Non te privata dedêre
Limina, nec tantùm poterat contingere nomen
Augustis Laribus. Patruo Te Principe celsam

Bellipotens illustrat avus: qvi signa Britanno
Intulit Oceano, Getuloq; reppulit arma.

Dominatum nobilitati vindicat *Orator Latinus in Orat. pro P. Sextio. T. 2. pag. 650. Lit. B.* sententiam seqventem notans: Omnes boni semper Nobilitati favemus: & qvia utile est reip. nobiles homines esse, dignos Majoribus suis: & qvia valet apud nos clarorum hominum, & bene de Rep. meritorum memoria, etiam mortuorum. Idem Neronem suum hac abrupta brevitate & svavi prudentia depictum sistit *lib. 13. Epist. ad Fam. Epist. 64. T. 3. pag. 245. Lit. D & E.* Nero meus mirificas apud me tibi gratias egit, prorsus incredibiles, ut nullum honorem sibi haberi potuisse diceret, qvi à te prætermissus esset. Magnum fructum ex ipso capies. Nihil est enim illo adolescente gratius. Sed me hercule mihi qvoq; gratissimam fecisti. Pluris enim ex omni nobilitate neminem facio. Rem ipsam si non emissitiis oculis inspexero: deprehensu facillimum fore judico, in utroq; inveniri, qvod manifestam ostendat differentiam, addo & pugnam qvasi inter triarios. Ex *lib. 1. Polit. Arist. c. 4. p. 382. T. 2. & cap. 6. p. 384. 385. Excellentissimus Dn. D. Cellar. lib. 1. Polit. cap. 3. pag. 44. §. 4.* hanc struit Definitionem: Servus est organon animatum, activum, separatum, alterius homo existens. *Nobilissimus Dn. Reinking lib. 1. de Regim. Eccles. & Secul. classe 5. c. 11. p. 706. n. 6.* describit Nobilem, qvi jure & moribus Germanorum (vel cujusq; legitimæ & imperantis Reip.) talis censetur, sive ex Natalibus, sive ex privilegio summi Principis, aut statuto loci nobilitatem nactus est. *Vid. Lips. lib. 1. Elect. c. 28. p. 441. 442.* sed brevius ita potest describi: Nobilis

est

est civis, à Principe libertate donatus cum familia tota; ad conseqvendam præter alios insignia virtutum præmia. Originem si principiumq; diversum statuero inter servum & Nobilem, nullius mihi veri & simplicis osoris metuo sannas. Nimirum natura præcedente omne factum humanum omnes sunt liberi. *Amplissimus Dn. D. Cellar. lib. 1. Polit. c. 3. p. 51. §. Cum verò.* Adamo humanæ gentis avo nullam servitutem antè impositam esse lego, qvàm à tramite legis divinæ discederet. *Genes. 3. v. 17.* Italiæ cultores primos Aborigines fuisse, asserit *Justin. lib. 43. c. 1. p. 326. §. 3.* Qvorum Rex tantæ justitiæ fuisse traditur: ut neq; servierit sub illo qvisqvam: neq; qvicqvam privatæ rei habuerit: sed omnia communia, & indivisa omnibus fuerint: veluti unum cunctis patrimonium esset. Justitiam memorat Historicus, ut qvisq; cognoscat, Juris esse civilis servitutis rationem. Nobilitas verò minimè tenebris tegitur: sed splendescit cum per Naturam naturantem, tum naturatam. Illam expeditam dedi supra Qvæst. 12. p. 18. Cui addenda sunt, & qvidem in ipso creationis humanæ exercitio, *Genes. c. 1. v. 26. 27. 28.* extantia; post diluvium, qvæ habentur *Genes. cap. 8. v. 15. 16. 18.* qvæ dubiis cunctis erunt propulsandis. Natura qvoq; Naturata, qvod suum est, agit. Rationem ubi indit, ad Naturam naturantem respicit: productura qvod debebat, scilicet animos diviniores: à linea aberrans, hebetiores procreat spiritus: illi Nobilitatem, hi servitutem arguunt. *Casus lib. 1. Sphæra Civit. c. 4. p. 25. & p. 28.* Declinat ab his parumper *Lips. lib. 3. in Manuduct. ad Philos. Stoic. dissert. 17.* facillimo negotio emendandus. Immane illud jugum servitutis, qvod humeris suis portare coguntur servi, tantùm Germanis

Bellipotens illustrat avus: qvi signa Britanno
Intulit Oceano, Getuloq; reppulit arma.

Dominatum nobilitati vindicat *Orator Latinus in Orat. pro P. Sextio. T. 2. pag. 650. Lit. B.* sententiam seqventem notans: Omnes boni semper Nobilitati favemus: & qvia utile est reip. nobiles homines esse, dignos Majoribus suis: & qvia valet apud nos clarorum hominum, & bene de Rep. meritorum memoria, etiam mortuorum. Idem Neronem suum hac abrupta brevitate & svavi prudentia depictum sistit *lib. 13. Epist. ad Fam. Epist. 64. T. 3. pag. 245. Lit. D & E.* Nero meus mirificas apud me tibi gratias egit, prorsus incredibiles, ut nullum honorem sibi haberi potuisse diceret, qvi a te prætermissus esset. Magnum fructum ex ipso capies. Nihil est enim illo adolescente gratius. Sed me hercule mihi qvoq; gratissimam fecisti. Pluris enim ex omni nobilitate neminem facio. Rem ipsam si non emissitiis oculis inspexero: deprehensu facillimum fore judico, in utroq; inveniri, qvod manifestam ostendat differentiam, addo & pugnam qvasi inter triarios. Ex *lib. 1. Polit. Arist. c. 4. p. 382. T. 2. & cap. 6. p. 384. 385. Excellentissimus Dn. D. Cellar. lib. 1. Polit. cap. 3. pag. 44. §. 4.* hanc struit Definitionem: Servus est organon animatum, activum, separatum, alterius homo existens. *Nobilissimus Dn. Reinking lib. 1. de Regim. Eccles. & Secul. classe 5. c. 11. p. 708. n. 6.* describit Nobilem, qvi jure & moribus Germanorum (vel cujusq; legitimæ & imperantis Reip.) talis censetur, sive ex Natalibus, sive ex privilegio summi Principis, aut statuto loci nobilitatem nactus est. *Vid. Lips. lib. 1. Elect. c. 28. p. 441. 442.* sed brevius ita potest describi: Nobilis

est

eſt civis, à Principe libertate donatus cum familia tota; ad conſeqvendam præter alios inſignia virtutum præmia. Originem ſi principiumq; diverſum ſtatuero inter ſervum & Nobilem, nullius mihi veri & ſimplicis oſoris metuo ſannas. Nimirum natura præcedente omne factum humanum omnes ſunt liberi. *Ampliſſimus Dn. D. Cellar. lib. 1. Polit. c. 3. p. 51. §. Cum verò.* Adamo humanæ gentis avo nullam ſervitutem antè impoſitam eſſe lego, qvàm à tramite legis divinæ diſcederet. *Geneſ. 3. v. 17.* Italiæ cultores primos Aborigines fuiſſe, aſſerit *Juſtin. lib. 43. c. 1. p. 326. §. 3.* Qvorum Rex tantæ juſtitiæ fuiſſe traditur: ut neq; ſervierit ſub illo qvisqvam: neq; qvicqvam privatæ rei habuerit: ſed omnia communia, & indiviſa omnibus fuerint: veluti unum cunctis patrimonium eſſet. Juſtitiam memorat Hiſtoricus, ut qvisq; cognoſcat, Juris eſſe civilis ſervitutis rationem. Nobilitas verò minimè tenebris tegitur: ſed ſplendeſcit cum per Naturam naturantem, tum naturatam. Illam expeditam dedi ſupra Qvæſt. 12. p. 18. Cui addenda ſunt, & qvidem in ipſo creationis humanæ exercitio, *Geneſ. c. 1. v. 26. 27. 28.* extantia: poſt diluvium, qvæ habentur *Geneſ. cap. 8. v. 15. 16. 18.* qvæ dubiis cunctis erunt propulſandis. Natura qvoq; Naturata, qvod ſuum eſt, agit. Rationem ubi indit, ad Naturam naturantem reſpicit: productura qvod debebat, ſcilicet animos diviniores: à linea aberrans, hebetiores procreat ſpiritus: illi Nobilitatem, hi ſervitutem arguunt. *Caſus lib. 1. Sphæræ Civit. c. 4. p. 25. & p. 28.* Declinat ab his parumper *Lipſ. lib. 3. in Manuduct. ad Philoſ. Stoic. diſſert. 17.* facillimo negotio emendandus. Immane illud jugum ſervitutis, qvod humeris ſuis portare coguntur ſervi, tantùm Germanis in-

incumbens ita notat *Tacit. de Morib. Germ. cap. 8. pag. 618.* Servi, non in noſtrum morem deſcripti, per familiam miniſteriis. Utuntur ſuam qvisq; ſedem, ſuos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut veſtis, ut colono injungit: & ſervus hactenus paret. Cætera domûs officia uxor ac liberi exſeqvuntur. Verberare ſervum, ac vinculis & opere coercêre, rarum. Occidere ſolent, non diſciplina & ſeveritate: ſed impetu & ira, ut inimicum, niſi qvòd impunè. Liberti non multum ſupra ſervos ſunt. Raró aliqvod momentum in domo, nunqvam in civitate: exceptis duntaxat iis gentibus, qvæ regnantur. Ibi enim & ſuper Ingenuos, & ſuper Nobiles adſcendunt. Apud cæteros, impares libertatis argumentum ſunt. Privilegia Nobilium & immunitates qvis unqvam omnes perſecutus eſt? Liberi nonnulla in Qvæſtionibus, qvas Inſtrumentum Adjunctorum, præcipuè, Effectorum & Conſeqventium, ſibi ſubjecerunt. Verbo omnia comprehenſurus, libertatem nuncupo, cujus infinita eſt æſtimatio *l. Non eſt. 176. ff. de R. J. §. Infinita. 1.*

QVÆSTIO CC.

An vulgi conditio ei adverſetur? Aff.

VOcem vulgus, & qvæ ab ea prodeunt, vocabula nil laudabile, nil arduum ſignificare rerum teſtimonia, &, qvi eorum ſunt feraces, autores non infimi, literis tradiderunt. Gemina aſſertione in gemino nomine me confirmat *Sen. de vita tenta c. 2. p. 652.* Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. Argumentum peſſimi turba eſt. Qvæ-

Qværamus, qvid optimè factum sit, non qvid usitatissimum: & qvid nos in possesſione vitæ æternæ constituat, non qvid vulgi, veritatis pesſimo interpreti, probatum sit. Verè, Seneca: turba verò qvippiam protrudit, qvod plausum mercatur. Ipse tui locuples testis es *Epist. 46. p. 615.* Superbisſima, dicens, consvetudo cœnanti domino stantium servorum turbam circumdedit. *Livius* tibi accedit *lib. 5. Decad. 3. p. 203.* Singulis, aperit, deinde eorum, qvi turbæ ac tumultus concitatores fuerunt, rei capitalis diem dicere, ac vades poscere cœperunt. *Cicero* idem calculo suo approbat *de Senectute T. 4. p. 558. Lit. C.* O præclarum diem! cum ad illud divinum animorum concilium cœtumq; proficiscar: & cum ex hac turba & colluvione discedam! Restant & alia huc pertinentia: qvæ temporis egestas & chartæ spatium, notari vetant. Verbum pariter pesſimæ notæ est obsignaculum *Livio lib. 1. Dec. 1. p. 7. Lit. C.* corpus vulgatum prostituti pudoris imago. Falsa vulgata *Qvintil. lib. 5. Orat. Instit. c. 3. p. 252.* oris mendacia evomentis, turpitudinem detegunt. Vulgaris mulier *Turnebo lib. 5. Advers. c. 1. p. 190.* eam designat, qvæ sui copiam facit, seq; vulgat. Contra ea vox Nobilis qvid plerunq; sistit, nisi commendandum. immane qvantum. Celebritatem pandit *Catulli vers. carm. 4. p. 45.*

Phasellus ille, qvem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimum:
Neq; ullius natantis imperium trabis
Neqvisse præterire, sive palmulis
Opus foret volare, sive linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare littus, insulasvè Cycladas,

Rho-

Rhodúmve Nobilem, horridámve Thraciam,
Propontida, trucémve Ponticum ſinum.

Nec minùs excellentiam ſiſtit *Juſt. lib. 28. c. 4. p. 244.* Inter Spartanas & Macedonas, duas nobilisſimas gentes, bellum ſummis utrinq; viribus fuit: cum hi pro vetere Macedonum gloria, illi non ſolùm pro illibata libertate, ſed etiam pro ſalute certarent. Pretium ponderat *Horat. lib. 1. Carm. od. 29. T. 1. p. 92.*

-- Qvis neget arduis
Pronos relati poſſe rivos
Montibus, & Tiberim reverti?
Cum tu coëmtos undiq; nobiles
Libros, Panæti, Socraticam & domum
Mutare loricis Iberis
Pollicitus meliora, tendis?

Primatum exponit *Plin. lib. 9. N. H. c. 17. p. 157.* Apud antiqvos piſcium nobilisſimus habitus acipenſer, unus omnium ſqvamis ad os verſis, contra aqvam nando meat: nullo nunc in honore eſt: qvod qvidem miror: cum ſit rarus inventu. Qvidam eum Elopen vocant. Nec obliviſcitur *Curtius lib. 7. p. 159.* Magnanimitatis hac voce oſtendendæ: Nobilis eqvus umbra qvoq; virgæ regitur: ignavus ne calcari qvidem concitari poteſt. *Juſtinus* & largitur ipſi potentiam *lib. 29. c. 2. p. 242 243.* Demetrii, Illyriorum Regis, injurias Romanorum qverentis, verbis: Qvi non contenti Italiæ terminis, imperium ſpe improba totius orbis amplexi, bellum cum omnibus regibus gerant. Sic illos Siciliæ, ſic Sardiniæ, Hiſpaniæq;, ſic deniq; totius Africæ imperium affectantes, bellum cum Pœnis ſuſcepiſſe: ſibi qvoq; non aliam ob cauſſam, qvàm qvòd Italiæ finitimus

mûs videbatur, bellum illatum: qvasi nefas esset, aliqvem regem juxta imperii eorum terminos esse. Sed & ipsi cavendum esse exemplum, cujus qvantò promtius nobiliusq; sit regnum, tantò sit Romanos acriores hostes habiturus. Commodat & mihi de authoritate *Claud. lib. 1. in Eutropium, p. 97. col. 2.* hac festivitate.

Candida pollutos comitatur curia fasces.
Forsitan & dominus præbet miracula lictor
Consule nobilior: libertatemq; daturus,
Qvam nondum meruit; scandit sublime tribunal,
Atq; inter proprias laudes Ægyptia jactat
Somnia, prostratosq; canit se vate tyrannos.

Laudem tandem *Corn. Nep. in Miltiad. p. 357. col. 1. Lit. D.* mutuatur hac svavitate amicus. Ipse in acie peditum centum, eqvitum decem millia produxit, præliumq; commisit. In qvo tantò plus virtute valuerunt Athenienses, ut decuplicem numerum hostium profligarent: adeoq; perterruerunt, ut Persæ non castra, sed naves, peterent. Qva pugna nihil adhuc est nobilius. Nulla enim unqvam tam exigua manus tantas opes prostravit. Ad merita si transiero, nihil reperiam, qvod servum meruisse cognoscam. Namq; qvi alii servit: sui juris non est. *Barth. in Pornobosc od. pag. 148.* Nec vitæ cum servitute ulla est conditio. *Qvintil lib. 9. Orat. Instit. c. 3. p. 530.* Qvid enim vulgus aliud, qvàm magnam partem servorum concio. Ast gloria ex gravioribus rebus petitur. *Muret. lib. 12. Var. Lect. c. 17. p. 49.* Verum decus in virtute positum est: qvæ maximè illustratur magnis in Remp. meritis. *Cic. lib. 10 Epist. ad Fam. Epist. 12. T. 3. p. 165. Lit. G.* Nec erraturum me puto,

si statuero, Principem nobilitantem id egisse, ut omnibus constaret, se ideo id libertatis contulisse nobilitati, ut discidium fieret inter tantos viros abjectamq; plebem: nec primores cum multitudine coalescerent. Non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia: semperq; sapientes ea, qvæ populus fecisset, ferenda, non semper laudanda duxerunt, *Cic. Pro Plancio T. 2. p. 621. Lit. E.*

QVÆSTIO CCI.

An vilis procuratura excutiat Nobilitatem? Aff.

LIcita olim omnino & laudabilis fuit Procuratura. Id qvod largitur *l. Procuratorem 16. C. de Procuratoribus.* qvæ perspicuè eam non illicitam appellat. Est enim Procurator, qvi aliena negotia mandatu domini administrat. *l. Procurator. 1. ff. de Procurat & Defensorib.* Ususq; hujus perqvàm necessarius est: ut, qvi rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel possunt, per alios possint vel agere, vel conveniri. *l. cit. §. usus. 2. vide l. Sed & hæ 35. §. Defendere 3. ff. h. t. & l. Alienam 18. C. h. t.* Nec qvicqvam inde me avocat, ut tantos Viros, munus tam splendidum atro notem carbone, qvod & singulis jurium speciebus magni fieri novi: *Verùm ad l.* primùm citatam hæc notavit. *JCtissimus Dn. Dionys. Godofred.* Hinc colligere possis, vetus Procuratoris officium longè diversum fuisse ab eo, qvod nostro tempore procuratores (addo ego: nonnulli: omnes enim, citra culpam, reprehendi religio vetat) exercent: qvorum oculatæ manus nihil credunt, nisi

qvod

qvod tenent. Et hujusmodi farinæ homunciones civitas Latina cum Antiqva, tum nova appellavit. *Cicero*, qvi & clamatores, & proclamatores, scilicet ab hiatu vasti & profundi oris, qvod nunqvam destituit flumen loqventiæ & nugarum, eos nominat, passim pestile & exsecrandum hoc nomen, sed detestans, usurpavit, & præcipuè id vivis coloribus depictum statuit *in Bruto, seu de Claris Oratoribus T. 1. p. 320 Lit. D.* ubi eos indoctos, aut inurbanos, aut rusticos fuisse asserit. O Splendorem! qvi vervecum in patria, tanqvam Sirius, si diis placet, elucet! *Magnificus Dn. Reink. lib. 1. de Regim. Eccles. Secul. Classe 5. c. 11. p. 713. & 714. §. 62. 63. 64* vocem hanc & in Civitatem Latinam novam recipiens, tersè, me dius fidius, & politè ita adumbrat. Contemptum nobilissimæ jurisprudentiæ adferunt imperiti isti Causidici & rabulæ forenses, ignari litium concionatores: *Cujac. 4. Observ. 40.* qvibus, præter latratum, nec eruditio, nec doctrina est. *Udalric. Zas. de Juda. Qvæst. 3. qvæ extat in T. 5. p. m. 114.* Indeq; eorum facundiam caninam dici ex Salustio & Hieron. notat idem *Cujac. dict. l. & Consult. 23. in pr.* Cui congruit Prudentii versus:

Hisq; canina foro latrat facundia toto:

Qvos tamen honesto sæpè Doctoris (Syncopen passi) titulo vulgo affantur. Et sanè isti sunt homines nati ad negotia confundenda, & jura omnia permiscenda. Qvo genere nihil est in Rep. perniciosius, nihil imperitius: ut post Cujac. scribit *Conrad. Rittershus. in Novel. part. 9. c. 16. n. 6.* Proprium tabularum est, ubi caussarum, sibi commissarum, infirmitatem rationibus tueri non possunt ad conviciandi libidinem deflectere, *ut ex Ammiano Marcell. tradit Cothman. 3. Cons. 50. n. 7.* Hem vitia! Hem tur-

turpitudinem! Cum his verò habitaverit Nobilitas authoritate pollens, virtute spectatissima! Non ibis perinde Serpentibus inimica: *Joseph. lib. 2. Antiq. Jud. c. 10. p. 19. col. 2. & p. 20. col. 1.* ac rabularum versutiei atq; intemperantiæ conculcandæ contraria est ad maximas virtutes ac laudes enitens nobilitas. Pœna qvoqve Arithmetica proportione omnibus peccantibus procuratoribus est irroganda. *Constitutio. 27. C. de Procurat. & l. Et ideo. 7. & 8. ff. de Procurat & Defensor.* Geometrica proportione Nobilitatis. Vide *Generosum ac Nobilissimum Dn. Georgium Palbizky in Tract. de Jure Personarum th. 104. Nobilissimum ac Excellentissimum Dn. D. Blotium in disp. de Statu & Jure Person. sect. 11. §. 3. & Dn. Schönb. lib. 3. Polit. c. 41. p. 352. 353.*

QVÆSTIO CCII.

An opinio despecta repugnet Nobilitati? Dist.

Opinionem *Lips. lib. 1. de Constant. c. 4. p. 23.* describit futile ac fallax de rebus divinis & humanis judicium. Justa sanè & qvasi ex composita ad hanc Qvæstionem aptata descriptio: & qvidem si considero eam, qvatenus opinio alium insontem obpugnat. Qvid levitatis, qvid vanitatis argui potest, nisi opinio, qvæ instar fumi inter aërem levissimum, dum gignitur, exspirat. Qvippe opinionum commenta delet dies. *Cic. lib. 2. de Nat. Dier. T. 4. pag. 297. Lit. A.* Qvæ fallaciæ est potestas ac vis? Ex falsis verum effici non posse, *Cic. indicat lib. 2. de divinat. T. 4 p. 402. Lit. A.* qvæ-qvi pro veris prodit, dum inurere contumeliā alii meditatur, suam culpam manifestat: *Muret. lib. 4. Var.*

Lect.

Lect. c. 19. p. 101. Qvi ruit in opinione, homo qvidem est: sed non sapiens. *Plutarch. contra Colotem. T. 2. p. 592.* Revera enim sicut sangvis corruptus, pituita redundans & bilis in corpore morbos ægrotationesq; gignunt: sic opinio prava sanitate animum spoliat, morbisq; perturbat. *Cic. lib. 4. Tuscul. Quæst. T. 4. p. 232. Lit. C.* Violenta hæc licèt sit imperitorum opinio: *Card. de Arc. Prud. Civil. c. 91. p. 503.* cruciat enim homines: *Sen. de consolat. ad Marciam c. 19. p. 912.* & sæpe res mortalium, qvò vult, trahit: *Barth. in Pronoboscod. p. 51.* tamen plerunq; non ferit, qvod lædere constituerat. Rupes & saxa aër pestilis tangit, non percutit: afflat, non movet: murmura emittit, & fremitus excitat: tela non effundit, sagittis non vulnerat. Nec est, qvòd ullus contemptum vereatur. Nam turpitudinem qvidem fugiendam ac cavendam esse, verum est: omnem verò ignominiam vereri, modesti qvidem id & simplicis, pusilli tamen animi est. *Plutarch. in Æmil. Paulo T. 1. p. 87. col. 1. Lit. E.* Diogenes Philosophus, dicentibus: Isti te derident: respondit: se non irrideri: qvòd eos tantùm derideri judicaret, qvi sannas curant, & iis perturbantur. Nondum felix, nondum beatus est: qvi contemni, & irrideri nescit. *Drexel. in Gymnas. Pat. Parte 1. c. 4. p. 114.* Secúrius esse contemni, qvàm irrideri, putat *Barth. in Pronoboscod. p. 75.* Contemptum contemptu vindicat vir fortis: contumeliam enim qvi dicit, audit. *Plaut. in Pseud. act. 4. sc. 1. v. 30.* Honor propriè non est in honorante, sed in honorato: qvem nec adimit despiciens, nec confert tribuens, excepta caussa Principali. Qvod si verò Nobilis opinione contumeliosa alios insuper habere cœperit: nobilitatem qvidem non amittit:

insolentiam tamen & nimium æstimationem sui, tumoremq; elatum supra cæteros, & amorem rerum suarum cœcum & improvidum indicat: *Sen. de vita beata c. 10. p. 655.* Qvod tantum abest, ut cum vera Nobilium virtute, unde nobilitas provenisse creditur, consentiat, ut potiùs ab ea longissimis intervallis declinet & desciscat.

QVÆSTIO CCIII.

An Nobilitas cum ignobilitate conspiret? Neg.

TRes, hic præcipua industria notandas, movet significationes vox Ignobilitas. Namq; apud *Cic. lib. 5. Tusc. Qvæst. T. 4. p. 267. Lit. A.* Obscuritatem, & notitiam hominis obpressam designat, cum inqvit: Num igitur ignobilitas, aut humilitas, aut etiam popularis offensio, sapientem beatum esse prohibebit? Vide, ne plus commendatio in vulgus, & hæc, qvæ expetitur, gloria, molestiæ habeat, qvàm voluptatis. De Hippolyto *Virg. lib. 7. Æn. p. 300. v. 765.* &c. canit:

Namq; ferunt fama, Hippolytum, postqvam arte novercæ
Occiderit, patriasq; explêrit sangvine pœnas,
Turbatis distractus eqvis, ad sidera rursus
Ætherea, & superas cœli venisse sub auras,
Pæoniis revocatam herbis, & amore Dianæ.
Tum pater omnipotens, aliqvem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis & artis,
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad undas.

At

At Trivia Hippolytum ſecretis alma recondit
Sedibus, & nymphæ Egeriæ memoriq; relegat:
Solus ubi in ſylvis Italis ignobilis ævum
Exigeret, verſoq; ubi nomine Virbius eſſet.

Suet. in Calig. c.23. p.221. hac voce genus humile ita prodit: Caligula Agrippæ ſe nepotem neq; credi, neq; dici ob ignobilitatem ejus volebat: ſuccenſebatq;, ſiqvis vel oratione, vel carmine, imaginibus eum infererent: Et paulò pòſt: Liviam Auguſtam proaviam, Ulyſſem ſtolatum identidem appellans, etiam ignobilitatis qvadam ad Senatum Epiſtola arguere auſus eſt, qvaſi materno avo decurione Fundano ortam: cum publicis monumentis certum ſit, Auſidium Lingonem Romæ honoribus functum. Græci *δυσγένειαν* appellant. Vide *Iſid. Peluſ. lib.3. Epiſt. 40. pag. 274.* Huc pertinens repræſentat eam, qva, qvicqvid hominum, infra Nobilitatem, Imperanti paret, indicatur. Hanc impotentiam appello: eamq; non oppono aptitudini illi, qva omnes, infra Nobilitatem collocati, ſunt habiles ad recipiendum nobilitatem, pvæviis iis, qvæ ad eam conſeqvendam reqviruntur: ſed ejusmodi aptitudini, qvæ cum actu ſimul exiſtit: nec privativè id velum accipi: cum habitus antè defuerit: ſed negativè: qvòd res, nunqvam exiſtens, perpetuam negationem procreet. Altiùs rimaturus rem, ignobilitatem nomino impotentiam (*Scal. Exercit. 16. Sect. 2.* laudatore *Excellentiſſimo Dn. D. Chriſt. Matthia in Syſt. Log. in προλεγομένοις cap.11. pag.59. in f.*) actu non recipientem privilegiorum nobilium præſtantiam. Hæc ſibi vindicat ignobiles, i. e. eos, qvi nobilitatis inſignibus deſtituti ſunt. *Nobiliſſimus & Ampliſſimus Dn. D. Cellar. lib.2.*

Polit.

Polit. cap. 18. p. 299. §. 20. ubi insignibus notari puto universa nobilitatis privilegia: nam si ea sola hîc intelligerentur, foret Definitio Accidentalis, qvæ essentiam non perficit. Præterea nimis angustam credo Definitionem: qvòd ea comprehendit, qva sunt entia transscendentia: qvæ huc, cum de cive, & qvidem maximè propriè nobilitato, verba hîc ferantur, non qvadrant. Videatur *Nobiliss. & Excellentiss. Dn. Spreng. lib. 1. Instit. Juris Publ. c. 8. p. 42. Dissentit Arist. lib. 5. Polit. c. 1. p. 486. T. 2. Lit. A. Id. lib. 1. de Hist. Annal. c. 1. T. 1. p. 830. Lit. B C.* cujus Græci verba Germanis non imponunt necessitatem amplectendi ea, in qvibus ille homo hallucinatus est. Defectus qvoq; libertatis, qvæ collectio est tot, tamq; illustrium immunitatum, qvibus ab ignobilibus singuli Nobiles segregantur, ignobilem segregat à nobili: qvippe ignobilis, qvasi munifex miles, munia facere cogitur. *Lips. in Com. in Plin. Paneg. pag. 39. & lib. 5. de Milit. Rom. dial. 6. p. 248. 249.* Uberius declarat rem *immortalis Barthius in Com. in Claud. pag. 1014. col. 1. n. 7.* vocem immunis ita commodè interpretatus: Immunis is est, qvi nullius rei officio, aut munere, impeditus: qvia sui semper similis: Generosus Vir & hæc addit: Immunis, qvi nihil patitur. Nil addo de meritis: qvibus, cum ignobilis gratiam Principis nunqvam qvasi expugnavit; gratia eadem excidit, qva Nobilis fruitur. Prætereo pariter tot Nobilitati additas dotes, tot stipantes eam connexorum cohortes, tot deniq; inseqventium ipsam operationum infinitos exercitus: qvæ cum frustentur ignobilitatem perpetuò, qvid aliud pariunt: excepta utriusq; perenni divulsione.

QVÆ-

QVÆSTIO CCIV.

An discrimen Nobilitatis Caussa pariat Efficiens Principalis? Neg.

VAriæ apud Clarissimos Scriptores sunt divisiones: qvæ perinde hîc, ut alias, ipsæ nihil probant aut ostendunt: sed in probatione tanqvam notum qvid alias, aut facilè cognoscendum, majoris lucis caussa adhibentur: *D. Hornej. de Processu Disput. c. 9. p. 145.* nihilominus, cum perfectio thematis, & consvetudo Methodi exigat, ut ambabus satisfiat: iis abstinere neqveo. Prima igitur fronte prodeat ea, qvam qvæstio ista pertractandam proponit. Placet Affirmativa non-paucis, licèt sub magna varietate. *Besoldus lib. 1. Polit. c. 11. p. 414. n. 56.* Nobilem scribit vel natum esse, vel factum. Illum esse credit, qvi Politicam generis Nobilitatem à suis parentibus per creationem est adeptus: hic est, qvi eandem beneficio Principis acqvisivit. Miror hîc, qvid venerit Celeberrimo huic viro in mentem, qvi statuerit Politicam Nobilitatem per creationem à Parentibus. Siqva foret ejusmodi Nobilitas: Physica dicenda esset. Pater enim generat per naturam, non per πολιτείαν. Deinde qvomodo generabit Pater Nobilem? An, qvia homo generat hominem, Nobilis qvoq; Nobilem? Materiam qvidem proximam generandi hominis esse semen, vel ex *Nobilissimo Physicorum, Excellentissimo Dn. D. Sennerto in Hypomn. Phys. Hypom. 4. cap. 6. pag. 188.* &c. ubi prolixè hac de re disputat, liqvidò apparet. At qvid semen ad Nobilitatem confert? Erudiri velim, num ea ex materia, an forma seminis proveniat? Qvicqvid proferatur: materiam lætitiæ & voluptatis geniturum

Ens eminens ſpectetur. Vid. Qvæſt. 30. pag. 40. De tertia antè qvædam tradidi. Moralem Quæſtio XXVIII. pag. 37. luſtravit: & Qvæſtio CCVI. perſpiciet. Ultimam tractavit Qvæſtio XX. pag. 25. Unde liqvet, hinc removendam eſſe. Liberalitas in patriam & Principem meretur Nobilitatem: divitiæ ſunt medium, qvo liberalitas ad Finem ſuum pervenit. *Ariſtot. lib. 2. Eth. c. 7. T. 2. pag. 29. Lit. D. Donald. lib. 3. Synopſ. Eth. c. 3. pag. 175. 176.* Mihi videtur ex hoc inſtrumento gemina poſſe ſtatui Nobilitas: Principalis & Participata. (Ne hic ſimus de nominibus anxii. Vocet enim, ut voluerit qvisq; dum vis rerum ipſa manifeſta ſit. *Qvintil. lib. 5. Orat. Inſtit. c. 10. pag. 279.*) Illa eſt vel Eminens. ſcil. DEUS: Vide Qvæſt. XII. pag. 18. vel Adæqvata, Princeps. Qvæſt. XIV. pag. 20. Qvæſt. XV. pag. 21. Qvæſt. XXXI. p. 12. Participata ab Ariſtocratia & Democratia pariterq; à Cauſſa Miniſtrante confertur: de qva pasſim in hoc Tr. agitur.

QVÆSTIO CCV.

An Nobilitas ex Independentia & dependentia diſcrimen admittat? Aff.

NObiles ex Independentia illos voco, qvi nullius Principis imperio, ſub qvo agunt vitam, ſunt ſubjecti: ſed unicè ab Imperio dependent. Nobiles ex dependentia appello, qvi jurisdictioni Principis, ſub qvo vivunt, ſubſunt. Illis aggregat *Magnificus Dn. Reinking lib. 1. Regim. Eccleſ. & Secul. Claſſe IV. c. 1. pag. 337. n. 32.*

 Nobi-

Nobiles in Franconia, Svevia, & ad tractum Rheni, **die freye Reichs Ritterschafft:** *Limn. lib. 6. de Jure publ. c. 1. n. 59.* Mentionem qvoq; hujus facit *Capitulatio* FERDINANDI IV. *Art. 4. & alibi inibi: & capitulatio* LEOPOLDI I. *Art. 3. & aliàs passim.* *Memoratus jam non sine laude Dn.* **Reinking** *l. cit. lib. 1. Classe IV. c. XX. p. 314. n. 15.* Eos liberos dici ait, non qvasi omnimoda libertate fruantur, & Imperatoris jurisdictioni exemti sint: sed qvòd ab Inferiorum Principum, Prælatorum, & Comitum imperio & exactionibus liberi sint. Mediati dividuntur **in Schrifftsassen / & Ambtsassen.** Illis immediatè Princeps vel Cancellaria, ut vocant, imperat: hi, unà cum rusticis, subjiciuntur Toparchis seu Præfectis, **den Ambtleuten/Ambtschössern.** *Wendel. lib. 7. Instit. Polit. c. 18. th. 7. pag. 230.* Alia autem est ratio Nobilium Independentium & Dependentium, alia Effectorum. Illos non nobilitat Princeps, sed vel ab Antecessoribus & Majoribus nobilitatos, vel aliunde advenientes, nobilitate claros, in ditione sua vel liberos, vel libertate ista non celebres, tuetur: hos nobilitate donat.

QVÆSTIO CCVI.

An Nobilitas ex Principio discrimen patiatur? Dist.

PRincipium hìc nuncupo, *ὃ αὐτὸ μὲν ἐξ ἀνάγκης μὴ μετ᾽ ἄλλο ἐστί· μετ᾽ ἐκεῖνο δ᾽ ἕτερον πέφυκεν εἶναι, ἢ γίνεσθαι.* i. e. qvod qvidem per necessitatem non post aliud naturaliter habetur in esse, aut fieri. *Arist. de Poët. c. 7. T. 2. p. 796. Lit. D.* seu, qvod non operatur proximè ad

effectum producendum : ſed cauſſam efficientem movet ad agendum, vel patiendum : idq; vel interius, vel exterius. Ex hoc fonte profluit diſtinctio Nobilitatis ex virtute Morali, & intellectuali : & ſic communiter Nobilitas dividitur. Illa eſt Fortitudo: Hæc eruditio. *Nobiliſſimus Dn. Wendel. lib. 2. Inſtit. Polit. c. 18. p. 126.* In Genere de ea ait *Hieronymus in Epiſt. ad Celantiam de Inſtit. Matris. T. 1. p. 51.* Nulli te unqvam de generis nobilitate præponas : neq; obſcuriores qvosq; & humiliore loco natos, te inferiores putes. Neſcit religio noſtra perſoſonas accipere : nec conditiones hominum : ſed animos inſpicit ſingulorum. Sola apud DEUM libertas eſt, non ſervire peccatis. Summa apud DEUM eſt Nobilitas, clarum eſſe virtutibus : qvanqvam hæc de vitutibus Theologicis dicta puto. De virtute Morali in Genere, eaq; huc pertinente propriè, agit Qvæſtio XXVIII. pag. 37. In Specie de fortitudine agit Qvæſtio XXIX. pag. 39. De Eruditione Vid. Qvæſt. CIII. pag. 199. & Qvæſt. CIV. pag. 206. De Intellectuali, & præcipuè de Prudentia vide Qvæſtion. XXXII. p. 43. Breviſſimè ita, nî fallor, huc ſpectantia, poſſunt cogi. Principium, qvo qvis meretur Nobilitatem, eſt vel Virtus, vel meritum in Principem & Patriam. Virtus eſt vel Moralis, vel Intellectualis. Moralis vel circa res bellicas verſatur : ut Fortitudo : vel circa opes : ut Liberalitas : de qva qvodammodo agit Qvæſtio XX. pag. 25. vel circa æqvalem diſtributionem : ut juſtitia: Qvæſtio XXXI. pag. 41. Intellectualis ſubjicit ſibi prudentiam, eamq; hic ſeligit.

De meritis in patriam tractat Qvæstio XXXIII. pag. 44. Meliora monenti non insultabo. Vide *Borch. in Com. in Inst. Imper. p. 15. col. 1. & 2. & Vultej. ibid. p. 44. n. 5. Qvæst. 6. p. 11. & Qvæst. 7. p. 12.*

QVÆSTIO CCVII.

An dentur gradus inter Nobiles? Neg.

MAgnificus atq; Excellentissimus Dn. Reinking *lib. 1. de Regim. Eccles. & Pecul. Classe V. c. 11. p. 706. n. 8.* Hoc minimè prætereundum est Nobilitatem, vetustis moribus, superioris & inferioris gradûs fuisse. Ad illum relati Principes, Comites, aliiq; illustres: qvod ex Nauclero refert *Christoph. Besold de Ord. Eqvest. Concl. 13. circa f.* Eaq; de re similiter ferè scribit *Jul Pflug. de Rep. German p. 19.* De Nobilium ordine qvid dicam? Hi qvidem gradibus jam inde ita distincti fuerunt, ut, qvi summi essent, ornarentur Principum dignitate: medii Comitum atq; Baronum: infimi autem eqvestris essent loci. Hinc Pontifex Romanus in hunc usq; diem in more habet, ut Ducibus Nobilitatis titulum tribuat, **daß er allein den Hertzogen schreibet/den edlen in Sachsen und Bayern** / &c. *teste Münstero in Cosmograph. lib. 5. de German. c 20. p. 685. Vide n. 9. plura huc pertinentia.* At propriè Principem dici non posse Nobilem: Qvæstione XXXIV. p. 45 demonstratum esse duco. Baronis nomen, inqvit *Nobilissimus ac Clarissimus Dn. Professor Betmannus Differt. Polit. 10. c. 1. th. 1.* dignitatem post Comites ac Vice-comites proximam, inferioriq; nobilitate majorem significat: qvo sensu Excellentissimus ille Vir in cit. differt. se voces illas accepturum esse

asse-

asserit. Qvam appellationem usu, plerisq; regionibus recepto, majori Nobilitati aliqvando communem fuisse statuit. Cujus sententiæ subscribo, asseroq; Nobilem hac ætate à Principibus, Comitibus, & Baronibus prorsus differre, non solùm Nomine: sed & Prærogativa, & Privilegiis peculiaribus. Nec videtur admittere posse Nobilitatem gradus ullos, vel in se. Nam ita Major statueretur alia Nobilitas alia: essetq; Nobilior alius Nobilis alio: cum tamen Princeps nec hujus Nobilis Nobilitati qvippiam in diplomatibus addat, nec istius adimat. Eodem ritu, iisdem verbis, eodem fine, iisdem privilegiis potiuntur omnes & singuli. Ex Qvantitate nil qvicqvam extensionis tribui potest Nobilitati Extensio nimirum est corporum. Neq; de Qvalitate prædicem eam. Qvalitates enim tum demum extensæ sunt, cum Qvantitati cohærent: *Nobilissimo atq; Excellentissimo Dn. D. Horneio inculcante lib. 2. Instit. Log. Qvæst. 12. p 786.* Non tandem ex Duratione eam dixero extensam: qvod ipsi durationi propriè tribuendum est, non Nobilitati: Vid. *Besold. in Synop. Polit. c. 16. pag. 172. & Vernul. lib. 2. Polit, Tit. 9. c. 2. pag. 207. & 208.*

QVÆSTIO CCVIII.

An Nobilitas rectè dividatur in Ethicam & Politicam? Dist.

N*obilissimo pariter ac Excellentissimo JCto & Politico, Dn. Limnæo* placet Sententia affirmativa *lib. 6. de Jure Publ. c. 1. T. 2. n. 19.* statuenti, Nobilitatis Ethicæ esse caussam virtutem, qvæ cultorem suum No-

bilem

bilem facit, nullius alia accedente opera: & de illa intelligenda omnia Veterum dicta, qvæ Nobilitatem solam atq; unicam virtutem esse constituunt. Politica, licèt & ipsa à virtute sit, esseq; inde debeat: sed ut ab antecedente: pôst concomitante: tamen virtus politicè non nobilitat: sed Principis benigna voluntas, legis, consvetudinisq; efficacia: qva ex virtuosorum choro non qvemlibet indistinctè, sed qvem velit, plebeja eximit conditione, atq; Nobilium transfert in classem. Vid. *Nobilissimus ac Excellentissimus Dn. Arnis. lib. 2. de Jure Majest. cap. 3. p. 291.* Ad omnia & singula hic ut respondeam, operæ pretium mihi facturum esse despero: præsertim cum magnam partem in rebus his cum tam Celeberrimis Viris mens animi mei consentiat: paucis tantùm, ad eam clariùs explicandam, subjicio. *Nobilissimus & Excellentissimus Dn. Christ. Matth. in Exercit. Eth. Disput. 1. p. 3.* dividit habitus practicos in tres speciales, & qvidem diversos, Ethicam, Politicam, Oeconomicam: qvam sententiam & *in System. Eth. ejusq. Procemio pag. 11.* defendit: ingratiis Objectorum, qvæ singulos habitus secernunt: qvo qvia manifestius est nihil: id qvod viderunt jam pridem *Nobilissimus ac Amplissimus D. Wendelerus in Philos. pract. p 1. & 11. & Donaldson. in Synopsi Phil. Moral. lib. 1. c. 1. p. 2. & 3.* & alii, qvi à Generali habitu Practico, scilicet Ethica, specialem, eamq; geminam, Oeconomicam (qvam Politicæ ideo præmittendam esse arbitror, qvòd civitas ex societatibus illis tribus, qvæ Objectum sunt Oeconomicæ, tanqvam principiis suis fundamentalibus, constat) & Politicam. Qvî ergo fieri possit, ut habitus, seu pars, Generalis, & habitus, seu pars, Specialis, cum Genere jungi, & simul eidem

eidem opponi posſit? Qvod hic contingit. Subordinata enim opponi neqveunt. Deinde notandum puto, Virtutem Nobilitatis Ethicæ dici cauſſam. Qvam aſſertionem duplici ſenſu poſſe exponi puto: altero, qvo per Nobilitatem intelligo celebritatem & excellentiam qvandam, paucis interdum notam, qvin & in abjectæ conditionis homine, tum qvoad nonnullas virtutes morales, tum qvasdam intellectuales, interdum repertam: qva de ſupra non ſemel eſt mentio facta: & id ipſum ulterius probo Authoritate cum *Horat l lib. 1. Carm. Od. 8. T. 1. p. 33.*

-- -- -- Cur olivum
Sangvine viperino
Cautiùs vitat? Neq; jam livida geſtat armis
Bracchia, ſæpè diſco,
Sæpe trans finem jaculo Nobilis expedito?

tum *Amm. Marcell. lib. 23. c. 19. pag. 269.* Citra omnes propinqva eſt nobilis Aſſyria celebritate, & magnitudine, & multiformi ferocitate ditisſima: tum *Juſt. lib. 1. c. 9. p. 13. n. 3.* Cambyſes qvoq; ad Ammonis nobilisſimum templum expugnandum exercitum mittit: qvi tempeſtatibus & arenarum molibus oppreſſus interiit. Altero ſenſu exprimo ejusmodi nobilitatem, qvæ virtutem, tanqvam præmium honoris & libertatis publicum, & à ſuo cujusq; bene meriti Magiſtratu, pro lubitu hujus, comitatur, vel inſeqvitur. Priore ſenſu ſiqvis intelligat, diſtinctionem eſſe Homonymi Homonymantis in ſua Homonymata: qvod neminem negaturum eſſe confido: ſi poſteriore ſignificatu accipiatur: eſſe ipſi analogiam inæqvalitatis auguror: licèt ſciam, hac ſignificatione à Dn. Limnæo non capi. Deniq; &

hoc addo, habitum diversum Nobilitati, nisi constet de rebus ipsis planissimè antè, qvàm in Methodum & ordinem redigantur, nil qvicqvam vel tribuere, vel adimere. Qvis enim vetet? qvò minùs & in Politica virtutem, tanqvam caussam meritoriam Nobilitatis, consideravero. Ethica neminem nobilitat, nec Politica. Princeps confert præmia virtutum, qvalecunq; nomen subeant.

QVÆSTIO CCIX.

An Nobilitas in perfectam & Imperfectam dividi possit? Neg.

SUnt nonnulli viri primæ caveæ, qvi Qvæstionem non improbant. Imperfectam illam esse persvasum habent, qvæ vel ex solo genere, vel virtute sola, suam trahit originem. Perfectam esse rentur, qvæ genus Nobile cum virtute conjungit. De genere: *Aristot.* auctoritas producitur *ex lib. 3. Polit. c. 13. T. 2. pag. 445. Lit. F.* & in Concreto *lib. 2. Rhet. c. 15. T. 2. pag. 667. Lit. A.* εὐγένειά ἐστιν ἀρετὴ γένους. i. e. Nobilitas est virtus generis, & *ex lib. 5. Polit. c. 1. pag. 486. T. 2. Lit. A.* εὐγενεῖς δοκοῦσιν, οἷς ὑπάρχει προγόνων ἀρετὴ καὶ πλοῦτος. Nobiles habentur, qvibus est Majorum virtus & divitiæ. *Et ex lib. 1. de Hist. Animal. c. 1. T. 1. pag. 830. Lit. B C. &* *lib. 2. Rhet. c. 15. T. 2. pag. 675. Lit. B.* εὐγενὲς γάρ μέν ἐστι τὸ ἐξ ἀγαθοῦ γένους. γενναῖον δὲ τὸ μὴ ἐξιστάμενον τῆς αὐτοῦ φύσεως. i. e. Nam nobile qvidem est, qvod ex bono genere: Generosum verò est, qvod non deficit à sua natura. Eqvidem Aristotelem summum, cum *Ludov. Cæl. Rhod. lib. 29. Lect. Antiq. c. 8. pag. 169. Lit. G.* Peripateticorum Prin-

Principem, maximum Philoſophorum, cum *Dan. Heinſ. Orat. 7. p. 133.* Dictatorem bonarum artium perpetuum, cum *Nobiliſſimo & Excellentiſſimo. Dn. Tobia Magiro in Epiſt. Dedicat. Clavi Eloq. præmiſſa*, naturæ item Germanum alumnum cum *Lipſ. lib. 2. Elect. c. 2. p. 451.* habeo, qvi didicit ita, ut non ſolùm, qvæ ad Philoſophos & Oratores pertinent, ſcientia complecteretur, ſed & animalium ſatorumq; naturas omnes perqvireret: teſte *Qvintil. lib. 12. Orat. Inſtit. c. 11. pag. 728.* & cujus Ethicam Anno redditæ homini ſalutis M. CCCC. V. in ſermonem Hebræum à Don Meir, Regio Caſtiliæ Medico, converſam eſſe, memorat *Nobiliſſimus & Ampliſſimus Dn. M. Spenglerus in Exercit. Eth. c. 1. Sect. 1. pag. 4. Præcepto 6. §. 1.* DEO parem tamen ſtatuere eum religio me inceſſit. Multus enim eſt hominum error: *Qvintil. lib. 5. Orat. Inſtit. c. 10. pag. 268.* adeò, ut maximè ille labatur, qvi ſe minimè putet labi: *Lipſ. lib. 2. de Milit. Rom. dial. 8. pag. 73.* & qvisq; etiam Chriſtianorum cum *Auguſtiſſimo Hipponenſium Antiſtite* conqveri debeat *ex lib. 7. Confeſſ. c. 6. pag. 126. T. 1. Lit. B.* Qvis à morte omnis erroris revocet nos? Niſi Vita, qvæ mori neſcit: & Sapientia, mentes indigentes illuminans, nullo indigens lumine. De re ipſa cramben toties coctam, ne, juxta Proverbium tritum, mors ſit, reponere nolo. Neq; enim genus ſolum qvicqvam conducit, ad afficiendum Nobilem ſub Inſtrumento Cauſſæ Efficientis Principalis: nec virtus ſola. Id qvod operoſa non indiget interpretatione. Qvin utrumq; nihili facit, conjunctum cum Nobilitate. Parentes enim Nobiles qvid conferunt ad Nobilitatem, filiis à Principe donatam? Qvid virtus ad eandem? Niſi aliqvod decoramen: qvod nihil refert nobilitatis,

absit, nec ne: qvanqvam non nego, virtutem insignem illustrare qvoq; Nobilitatem: &, si imperfecta est Nobilitas, Nobilitatis jacturam facit, qvæ perfecta & eadem generatim semper communicatur: licèt qvoad individua differentiam admittat. Præterea si qvædam foret Nobilitas imperfecta: talis foret vel qvoad Essentialia cum constituentia, tum conseqventia: vel qvoad Accidentia. Si illa defuerint: nobilitas dici non meretur: si hæc desiderentur, res nullius momenti fuerit.

QVÆSTIO CCX.

An dividenda sit Nobilitas ex libertate? Neg.

DE Nerva Imperatore olim scitum fuisse refert *Clapmarius lib. 3. de Arcan. Rerump. c. 2. pag. 83.* eum conjunxisse principatum & libertatem. Atqve hæc est libertas, medium aliqvod inter abruptam servitutem, qvalis est sub tyrannis: & inter dissolutam licentiam, sive corruptam libertatem. Nimia enim libertas non est libertas: sed soluta qvædam ac diffluens licentia. *§. 1. Instit. de Jure Pers.* hæc describitur naturalis facultas ejus, qvod cuiq; facere libet, nisi siqvid vi aut jure prohibetur. Explanando huic §. *Perez in Com. in Instit. Imper. pag. 11. & ll.* citat, & observationem addit. *Ex ff. duas prodit: alteram l. & libertas 13. ff. Qvi testam. fac.* qvam nec in ff. nec in C. sub hoc tit. reperi. Alteram suppeditat filius. *l. nimirum 15. ff. de Condit. Instit.* dignam profectò, qvæ non chartæ, non auro, sed cujusq; animo inscribatur. Qvæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & contra bonos mores fiunt,

fiunt: nec facere nos posse credendum est. His addit laudatus Author seqventia: Libertate non est homini qvicqvam majus datum, aut præclarius. *Vis*, qvia facti est, *non facit qvem minùs liberum esse:* qvomodo capto à latronibus non censetur adempta libertas: impeditur tamen id, qvod facti est, nimirum actus sive exercitium libertalis. Jure qvoq; prohibito qvid agere, non potest videri imminuta libertas: cum facere nos non posse credendum sit, qvod honestè ac licitè facere per leges non possumus. His præmissis, libertate hic tam illam, de qva jam dictum est, qvàm eam, qvæ in disjunctione à plebejis, & possessione ac usu fructu privilegiorum, Nobilitati collatorum, consistit intelligo: & excludo illam facultatem naturalem: cujus locum in Nobilibus tuetur potentia, in civitate à Principe communicata: adeoq; juris jam factum est civilis, qvod olim naturali competebat. Hæc libertas nunqvam amittitur, excepto decreto Principis, qvi contulit: nunqvam minuitur. Privilegia qvidem qvædam nonnunqvam non comitantur Nobilitatem: idq; vel per placita Principis, vel per instituta patria. At hac nemo inferre potest, dempto privilegio qvodam, demi qvippiam Nobilitati: qvæ sibi perpetuò constat: nec se divelli patitur. Qvodsi qvis contenderit, plura privilegia nonnullis Nobilibus communicari, non tot aliis: ideo plura & majora privilegia alii dari, atq; alii: & hinc consistentem in his privilegiis libertatem illam, jam majorem, aliàs minorem esse: atq; perinde etiam Nobilitatem. Adhac regero, concedi à me, privilegia alibi pauciora & minora esse Nobilitati: alibi plura & majora: & ita considera-

deratam libertatem faventiorem esse aliús aliam: Nobilitatem non item. Ut enim in corpore humano dempta parte aliqva integrante, homo esse illa persona non desinit: idem de Nobilitate habendum duco. Hanc sententiam obpugnat *Ulpianus l. Loci 4. §. Competit. 7. ff. Si servitus vindicetur:* qva confirmatur, aliqvem esse in libertate rei, respectu unius: & in servitute, respectu alterius, arbitro *Magnifico Dn.* Reinking *lib. 1. Regim. Eccles. & Secul. Classe 2. c. 5. pag. 120. n. 17.* Verùm pugnam hanc finem habituram confido, si ictus intentatos priore responsione excepero. *Vid. Nobilissimus & Excellentissimus Dn. Wendelin. lib. 2. Instit. Polit. c. 26. pag. 230.*

QVÆSTIO CCXI.

An duratio aliqvid differentiæ Nobilitati tribuat? Neg.

B*Esoldus in Synop. Doctr. Polit. c. 16. pag. 171. §. 3. 4. 5. & pag. 175. §. 13.* Nobilitatem in perpetuam & temporariam dividit. Illam putat eam esse, qvæ continua serie in certis qvibusdam familiis sustinetur. Hæc est, qvæ à scientia est, & gradibus Academicis confertur, personalis est, & temporaria, nec in posteros transit. *Vernul. lib. 2. Polit. Tit. 9. c. 1. pag. 207. col. 2. Nobilissimus & Excellentissimus Dn. D.* Liebenthal *in Col. Polit. Exerc. 10. th. 29. pag. 259.* huc refert Patricios Priscos Romanos, qvi honorarii Consules dicti: Comites Palatinos, & Eqvites Auratos. Mihi, qvod cum præfatione honoris debiti scripsero, non

unus

unus in his ſcrupulus injicitur. Ecqvis enim, veritatis ſuffragiis ſatis inſtructus, aſſerere qveat, Nobilitatem eſſe perpetuam? Omnis nimirum Nobilitas interit, non excepta ea, ſi qva fuerit, qvæ tandem die decretorio finietur. Ipſe Spiritus Sanctus approbat hunc ſenſum *v. 4. c. 1. Eccleſiaſtæ*, hac brevitate ſcrupulum eximens: Generatio præterit, & generatio advenit. Tempus, perpetuum illud *νῦν*, durat perpetuò. Dum incipit, eſt: & articulus ille punctumq; illud temporis, qvod finem impoſiturum eſt tempori, exiſtentiam illam, in ſe perennem, tandem delebit, & abſorbebit prorſus. Perpetuum Magno Lipſio eſt, qvod filis aliis ex aliis contextum cohæret: **Das aus einem Stücke gemachet iſt:** ex *Cæſaris lib. 7. Belli Gallici* laudatus *Lipſ lib. 3. Poliorcet dial. 5. p. 149 150.* cui *Livius* non repugnat *lib. 2 Dec. 5. pag. 757. Lit. B.* Nec his qvicqvam alienum canit *Poëta omnium dux in f. Conſ. Olyb. & Prob. pag. 4 col 1.*

> Omni nobilior luſtro tibi gloria ſoli
> Contigit, exactum nunqvam memorata per ævum,
> Germanos habuiſſe Duces: te cuncta loqvetur
> Tellus, te variis ſcribent in floribus Horæ,
> Longaq; perpetui ducent in ſecula faſti.

Id ipſum eadem virtute prædita vox **Continuus** evincit apud *Eundem Poëtam in Paneg. de Conſ. Mall. Theod. pag. 5. col. 2.* hoc ſono blandiente:

> Jam tibi compoſitam fundaverat ancora puppim.
> Telluris jam certus eras. Facunda placebant

Otia,

Otia, nascentes ibant in secula libri.
Cum subitò liqvida cessantem vidit ab æthra
Justitia, & tanto viduatas judice leges.
Continuo frontem nimbo velata pudicam
Deserit autumni portas, qva vergit in austrum
Signifer, & noctis reparant dispendia chelæ.

Obiter adjicio de nimbo ex *Generosi Dn. Barth I Com. in Claud. p. 122. col. 2. n. 117. Isidor. lib. XIX. Orig. c. 30.* Nimbus est, inqvit, fasciola transversa, ex auro adsuta in linteo, qvod est in fronte fœminarum *Arnob lib. 11.* Laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes nimbis. Nimbus videtur mihi signare, qvod Germani appellant einen Sonnenschleyer / den das Frauenzimmer träget / oder ein Stirnschleyer. Præterea tempus in se est indivisibile: nec mensurat res, i. e. vel incipit, vel finit. Tempus enim ipsum videtur esse duratio, existentiam sui dimetiens intra principium & finem. In eo creduntur esse omnia, qvæ intra supremam Sphæram continentur. Motus cœli, syderumq́;, præprimis Solis & Lunæ, periodo & cursu perficit secula, annos, dies, &c. Præteritum & Futurum non sunt. Entia omnia, ut notiones primæ cousiderata, sunt individualia: ita & tempus est individuum. Finitam sine scrupulo dixero Nobilitatem, non temporariam, rei intentus. Duratio ipsa silet hic omninò, qvæ est Accidens secundarium, terminans existentiam, qvoad principiũ solum, & qvoad principium & finem simul. Nec ipsa Nobilitas admittit hanc propriè affectionem, qvæ est corporum naturalium, nullo Physico abnuente. Nobilis est in tempore: non nobilitas, nisi qvatenus ut Acci-

Accidens in & cum Subjecto suo consideratur. De graduum Academicorum Nobilitate qvid mihi statuendum obvenerit, signavi Qvæst. LXIV p. 97 Qvæst. LXV. p. 99. Qvæst. LXVI. p. 102. Qvæst. LXVII. p. 106. Qvæst. LXVIII. p. 108. Qvæst LXIX. p. 109. Qvæst LXX. p. 113. Qvæst. LXX. p. 116 Summum virtutis & eruditionis Spectatissimæ præmium esse, illos gradus & Clarissimam dignitatem non inficior: nobilitatem verè & propriè consideratam abnuo. De Patriciis legendus *Bes. ld. lib. 1 polit. c. 11. p. 405. 406. Svet. in Octav. Aug. c. 2. p. 62. Lamb. in Com. in Horat. T. 1. p. 314* De Comitibus Palatinis, qvi fuerunt Judices Palatii Cæsaris, qvi nunc dicuntur Kammer- oder Hoffrichter / dicti olim ita à palatio Imperatoris, unde etiam sacri palatii comites in Constitutionibus Principum appellari solent *l. 1. C. de off. Rect. Prov. &c. Nob. & Excell. Dn.* Reink, *lib. 1. de Regim. Eccles & Secul. Classe IV. c. 13. p. 416 n. 31. 32. 33.* Diplomata testantur, palatinatus ipsis dari ad vitam: Lebens lang. His verbis immoratus ulterius non progredior. De Eqvitibus auratis vide Qvæst. CXXVI. p. 264.

QVÆSTIO CCXII.

An Nobilitati locus discrimen suppeditet? Neg.

NOn una sententia huic qvæstioni Viri eruditione & prudentia Clarissimi subscribunt. *Magnif. ac Excell. Dn. Limnæus lib. 6 de Jure Publ. c. 3. n. 2.* Nobilitatem ratione loci secernit in Franconicam, Svevicam, & Rhenanam. Cui consentit cum *Magnif. & Excell. Dn.* Reink *lib. 1 de Regim. Eccles & Secul. Classe IV. c. 1. p. 357. n. 32. & Classe V. c. 10 p. 695 n. 4.* tum *Nob. &. Excell Dn. D. Otto de Jure Publ. c. 19.* Sed salva res est. Hi nimirum sen-

 ten-

tentiam illius declarantes exprimunt Concretum: & hoc ipso significant, Dn. Limnæum non intellexisse Abstractum, sed voce Abstracti signasse Concretum, qvanqvam sub conceptu communi, & per Suppositionem Collectivam: Die gantze freye Reichs Ritterschafft. *Aristot. lib. 1. Rhetor. c. 5. T. 2. pag. 616. Lit. E F.* aliam divisionis Speciem fingit, Nobilitatem distingvens in Publicam & Privatam. Verba ita habent: *εὐγένεια μὲν οὖν ἐστιν ἔθνει, μὲν καὶ πόλει τὸ αὐτόχθονας ἢ ἀρχαίας εἶναι, καὶ ἡγεμόνας τοὺς πρώτους ἐπιφανεῖς, καὶ πολλοὶ ἐπιφανεῖς γεγονέναι ἐξ αὐτῶν ἐπὶ τοῖς ζηλουμένοις. ἰδίᾳ δὲ εὐγένεια, ἢ ἀπ' ἀνδρῶν, ἢ ἀπὸ γυναικῶν, καὶ γνησιότης ἀπ' ἀμφοῖν, καὶ ὥσπερ ἐπὶ πόλεως, τοῖς τε πρώτοις γνωρίμοις, ἢ ἐπ' ἀρετῇ, ἢ πλούτῳ, ἢ ἄλλῳ τῳ τῶν τιμωμένων, καὶ πολλοὶ ἐπιφανεῖς ἐκ τοῦ γένους, καὶ ἄνδρας, καὶ γυναῖκας, καὶ νέους, καὶ πρεσβυτέρους.* i. e. Nobilitas proinde sanè est genti, qvin & Civitati, si inqvilini antiqvis sint, & duces inter primos conspicui, & multis conspicui facti inter ipsos, qvi æmulationi sunt obnoxii. Privata verò vel propria Nobilitas vel à viris, vel à mulieribus, & qvicqvid legitimum est ab utroq;, & sicut in civitate, & primariis optimatibus, vel à virtute, vel divitiis, vel alio eorum, qvæ magni fiunt. Et multi conspicui per genus, & viri, & mulieres, & juvenes, & senes. Qvæ si accuratiore industria examinentur: manifestum fiet, eos hic intelligi, qvi honore effulgent cum in Rep. tum in Oeconomia: & hîc indice qvasi digito monstrari eos, qvi partim publicè, partim domi suæ illustre nomen sibi pepererunt, & virtutum celebritate clari auctoritate pollent. Qvo honorem confundi cum Nobilitate, cimmeriis in tenebris aberrare credendus est, qvisqvis non viderit,

toto

toto qvæ inter se cœlo differunt. Etsi n. & honor æqvè, ac Nobilitas, defertur virtute: *Cic. lib. 10. Epist. ad Fam. Ep. 10. T 3 p. 163. Lit. T.* & geritur: *Lips. in Com in Plin. Paneg. ad Trajan. p. 18.* unde & Roma ædes Honori ac Virtuti gemella facie junctim locavit: *Symmach. lib. 1. Epist. 21. p 34. Vitruvius lib. 3. Architecton. c. 1. p 82.* virtusq; honore & alitur, & sustentatur: *Bodinus lib. 5. de Rep. c. 4. p 851.* tamen is, qvi honorem aliqvem in Rep consеqvitur, nobilitatis privilegia non indipiscitur. Is n. & hanc antegreditur sæpenumero alibi, alibi vestigia hujus sectatur. Nec alia hujus ratio fingi potest. Efficiens eadem, idem finis, geminũ incitamentum fuerit: Forma multis intervallis secedente. De celebritate in Oeconomia aliud ferendũ esse judicium non abs re putavero. Nam hic Efficiens alia, sæpenumerò vel opinio qvoq; qvæ abjectissimum qvemq; ad cœlum provehit. Finis adhæc aut turpis, aut nullus, aut stultus. Merita interdũ & deridenda prorsus. Adeo qvidem ejusmodi homunciones nobiles dicuntur cum verè nobilibus collati, ac illi, de qvibus Poëtarum Latinorũ aqvila ita modulatur *lib. 1. in Eutrop. p. 97. col. 2.*

Penthesilea tuæ claras Carthaginis arces
Creditur, & centum portis Babylona superbam
Fœmineus struxisse labor. Qvid nobile gessit
Evnuchus? Qvæ bella tulit? Qvas condidit arces?

In Concreto *Besoldus lib. 1. Polit. c. 11. p. 411.* dividit ratione loci seu habitationis in Urbanos & Rusticanos. (*Boterus lib. 1. Cosmogr. Parte 2. p. 105. col. 1.* Arabes rus habitare ait, mercatoribus verò urbes incoli refert.) Qvam divisionem admitto: nego Nobilitatem ita posse dividi. Nobilitas est Accidens: at omnibus notum est, locum non esse Accidens Accidentis: sed affe-

ctionem corporis naturalis. Contendit qvidem *Nobilissimus ac Clarissimus Dn. Scheiblerus in operis Logici Parte I. c. 13. p. 170. col. 2. n. 15.* Accidentia esse in Ubi: qvia conveniat illis esse hic vel illic. Sed, qvod pace Amplissimi Viri scripsero, ambo hæc Adverbia Loci qvid aliud signant? nisi Accidens, qvod & de Nobilitate dicendum est, esse in hoc vel illo Individuo. Deinde ex motu locali is ipse idem probare nititur. Nam inqvit *p. 171. col. 1.* Accidentia revera desinunt unà cum Substantia esse ibi, ubi fuerant. Regero his, substantia desinente (dico de Nobili) cadaver nobilis manet sine locali motu in Ubi suo individuali: Nobilitas verò personalis interit qvoad rem ipsam, qvamvis nomen adhuc usurpetur. Motum autem localem Accidentia per se nunqvam habuerunt: nec Nobilitas. Motus ille fuit Accidens Nobilis illius, qvi hanc libertatem à Principe suo meritis est consecutus.

*** *** ***

CÆterum, Lector Nobilissime, Clarissime, Prudentissime, confectum Tibi jam trado: qvod dedicaveram Tibi parandum. Si qvid, qvod Generosæ Nobilitati, non planè impar est, conspicatus fueris in hac scriptione: DEO O. M. dulcedini meæ, honori meo, & fidu-

fiduciæ meæ, elogio *August. lib. 1. Confess. c. 20. T. 1. pag. 74. Lit. D.* pulchritudiniq; pulchrorum omnium: *Id. lib. 3. Confess. c. 2. pag. 82. Lit. A.* atq; Optimo artifici: *Isid. Pelus. lib. 1. Epist. 1. pag. 1.* Cui nihil est perplexuum, nihil, qvod explicari, aut expediri, perficivi non posfit: *Greg. Nyssenus de Resurrect. Christi Orat. 3. pag. 163.* & qvi facilè peragit, etiam qvæ nostram mentum excedunt: *Cyrillus lib. 3. in Job. c. 14. pag. 155. Lit. D.* gratias mecum age maximas: qvi non dubitavit bona sua dare, cum non dedignatus sit suscipere mala mea: *August. Serm. 37. de Verb. Dom. T. 10. pag. 147. Lit. C.* pariterq; intelligentiam & scientiam in animum meum introduxerit. *Isid. Pelus. lib. 4. Epist. 160. pag. 168.* Qvodsi à me, certis de caussis hanc Scriptionem admodum properante, qvicqvam designatum videris: qvod erroris argui, qvod reprehensionem mereri possit: errare, humanum esse putabis: *Barth. in Pronoboscod. pag. 46.* ratusq;, humanarum virium non esse, rectum cursum perpetuò tenere: *Muret. lib. 8. Var. Lect. c. 25. pag. 218.* Ideo noli, Lector Cordatissime, scribentem insimulare illius, qvi tribuendus est præproperæ festinationi: qvæ multorum errorum caus-

ſa eſt: *Card. de Arcan. Prud. Civil. c. 67. pag. 260.* Omnes facilè ignoſcunt: cum qvis qvid fecit, qvod ipſi qvoq; feciſſent. *Muret. lib. 7. Var. Lect. c. 23. pag. 182.* Tu verò, DEUS Omniſcie, apud qvem Sapientia eſt: *Auguſt. lib. 3. Confeſſ. c. 4. T. 1. p. 83. Lit. E.* qvi nobis, ſal ut in nobis habeamus, præcipis: *Bernh. de diverſis ſerm. 3. p. 357. Lit. F.* inſtrue me de recta de Te exiſtimatione, & optima actione! *Iſid. Peluſ. lib. 4. Epiſt. 174. p. 89.* Doce me, ut hac conditione me genitum advertam, ut generanti me tibi juſta & debita obſeqvia præbeam! Te ſolum noverim! Te ſolum ſeqvar! *Lactant. lib. 4. Div. Inſtit. c. 28.* Largire, DEUS benignisſime, ut in conſpectu Tui, & ſine intermiſſione, conſiderem, & ſine ſimulatione dijudicem meipſum! *Bernh. ſerm. 3. de Adv. Dom. p. 4. Lit. D.* Largire, DEUS Omnipotens, ut evitando vivat anima mea, qvæ appetendo moritur: *Auguſt. lib. 13. Confeſſ. c. 21. p. 225. Lit. D.* ne ei à nuptiis Agni contingerit excludi! *Bernh. ſerm. 2. in Cal. Novembris pag. 305. Lit. F.*

Exacto laus pro noſtro Tibi, JOVA, labore
Cantatur, qvalem terra poluſq; ſonant.



INDEX



INDEX QVÆSTIONUM.

A.

Car-

Ebri-

Manu-

CORRIGENDA,

qvæ festinans lectio advertit, sunt seqventia p. 1. lin. ult. omissus vers. 7. c. 1. Ecclesiastæ, præmittendus est loco Ecclesiastici laudato. p. 5. lin. 19. pro 5. ponendum est 6. p. 6. lin. 26. l. redeunt. p. 7. lin. 8. l. intecto. p. 13. lin. 23. l. eximat. p. 15. lin. 15. præpone voci ita Relativum Qvæ. p. 18. lin. 13. l. suæ. p. 25. lin. 15. H. muta litera D. & hac ipsa p. lin. 16. Comma subjunge voci mundi, & voci festinanti. p. 28. lin. 24. leg. Neg p. 29. lin. 18. l. XXIV. p. 32. lin. 23. t. dele, & lege constitui. p. 35. lin. 11. pone pro litera E. literam A. & lin. 21. pro æ. l. a. p. 40. lin. 12. post vocem inclusa pone Comma. p. 43. lin. 10. l. æra. p. 45. lin. 24. l. evehitur. p. 48. lin. 24. dele lib. p. 50. lin. 21. dele &. p. 52. lin. 11. dele &. p. 59. lin. 7. l. Abdolla. p. 60. lin. 19. adde post vocem Nobilibus? p. 64. lin. 17. adde vocem statuit. p. 66. lin 16. præmitte Comma voci æqvat. p. 69. lin. 23. l. Polyhistor. p. 72. lin. 1. voci capaces adde Comma. p. 90. lin. ult. voci natus junge Comma. p. 92. lin. 15. dele Comma. & lin. 17. l. fructu. p. 95. lin. 14. l. totam. & lin. ult. dele Colon. p. 97. lin. 3. l. ἀσθενέστερα & παιδευέσθω. p. 103. lin. 26. l. Inaccessibilem. p. 108. lin. 24. l. diffitear. p. 114. lin. 20. l. utatur. & lin. 21. l. est pro sit. & lin. 22. l. respuunt. & p. 116. lin. 11. l. Medicis. p. 121. lin. 12. post vocem est, & post vocem facultatum pone Comma. & lin. 13. à voce artem, aliud. & lin. 14. post vocem concinnandas, aliud. p. 125. lin. 21. l. alteram. p 126. lin. 10. l. postbabens. p. 129. lin. 16. l. qvæ. p. 134. lin. 16. l. prosapiæ. p. 140. lin. 17. l. Ingenuorum. & lin. 27; dele inutile Comma. & lin. 28. l. eadem. p. 144. lin. 5. l. σάρκα. & lin. 6. πολλοί. & lin. 14. l. infirma. p. 147. lin. 26. post vocem fidem pone Comma. p. 148. lin. 15. voci proditorem adde vocem refert. p. 154. lin. penult. deleatur 6. p. 165. lin. 11. l. 78. p. 168. lin. 5. in f. l. urbanum. p. 170. lin. 10. l. intumuit. p. 171. lin. 24. l. habenti. & lin. 25. tractanti. p. 175. lin. 19. l. Retractationum. p 177. lin. ult. l. 1459. p. 179. lin. 8. l. amplissimas. p. 200. lin. 18. l. Polyhistorum. p. 203. lin. 18. l. perspectum. & lin. 26. l saxum. p. 204. lin. 19. l. sparsis. & lin 20. l. Reliqva. p. 205. lin. 2. l. ista. p. 206. lin. 15. l. juventutem. p. 207. lin. 1. l. excitavit. & lin. 4. l. Author. & lin. 7. sublato Puncto Comma restitue. p 208. lin. 8. l. noluit. p. 209. lin. 18. adde voce insignis Colon. p. 210. lin. 5. in f. tolle Punctum. p. 212. lin. 23. l. sint. p. 214. lin. 3. in f. l. tum. p. 215. lin. 28. adde voci honestum particulam non. p. 216. lin. 23. voci aliud

adjice

Corrigenda.

adjice Comma. p.223.lin.6.l.deastris p.226.lin.7. l.gererentur. & lin.27.adde voci perinde Comma.& lin.31. dele duplex Comma in pr.lin. p.229.l.3. l.Jara. p.231.lin 4 l Addenda p.234.lin.28.l.pag. p.235.lin.18 l. ab umbilico. p.237. lin. 9.pro nobis l urbis,& lin.19 pro at.l: ac.& lin.25.voci rara submitte autem, p.238.lin 4. post vocem instituto dele Comma. p.241.lin.9. l.demeritus.p.247. lin.22.dele Colon. & l. plebisscitum p.250.lin.5.l.cogitationes. p.251.lin.13.l. Christenleute. p.252.l.18.l. Nobilis & lin.28.dele 12. p.253.lin.4. separa à Participio Præpositionem A. & lin.10. Puncto remoto Colon subjunge, & l. regna. Et lin.13.sublato Commate subjice Colon.p.254.l.12.præmitte Colo hæc verba: nulla alimentorũ mentione facta, vestes iis potiores citra dubium æstimando. p.255 lin 20.l.apponeret.& lin.penult. l.vitare & tolerare. p.256.lin.26.l æternam. p 258 lin.14.dele Comma.p.260.lin.1.l istorum. p.262 lin.25.dele Comma,& restitue? p.265.lin.3.l.fiebant. p.271.lin.22. voci effulget adde Comma, & particulam nec.p.272.lin.4.l. illius. & lin.7.l sancit. & lin.24.l. juri. p.277. lin.23. l.cura. p.280. lin.8. l.negotiatoribus. & lin.13. succurrerit p.282. lin.8. adde voci loqvar Comma. p. 283. lin. 25. præmitte Punctum voci εὐγένεια. p.284. lin.5.l.parentum. & lin 9.l.nec.p.287.lin.10.l.Ob.p.288.lin.2.l.acerba, & lin.4.l confirmat.p.290 lin.9.l honorum. & lin.14.l.cessantes. p.291.lin.14. l.conceptum.p.292.l.15.l.suspendii,vel. p.294 lin.1.l.consvetudo. p.296. lin.2. l.metallum. & lin. 17. l. plebejis. p.297. lin.5. l imponendum. p.298. lin.22. l. liberisq;. p.299.lin.6.l.Qvin. p.302.lin.18.l prævaricatione. p.303.lin.6.l.Cui. p.306 lin.25.l.colebant. p.308.lin.9.l.libertas. p 310.lin.22. l.simul. p.311.lin. 23.l.Imperio. & lin. penult. adjice voci comitiis vocem habentes. p.314.lin.10. l.istam.p.315.lin.3.l juvat p.316.li.10.l.1207.p.317.lin.17.l.Unverzüglich. p 324. lin.7.l.Proavos. p 330.lin.10.l.Germaniæ. p.331 lin.1.l.inerret. p.332. lin.26. l. adsvetus. p.333.lin.8. præmitte & voci Nobilissimus. p.334. lin.14. l.notam. & lin.24 voci Individuis adde Comma. p.336. lin.7. l. author est. p.339.lin.19.l. indulta. p.340.lin.7.l.Rhodiginus. p.341.lin.18.l.uncialem. & lin.28.addi voci effigies Comma. p.344.lin.12.l. die Münzgerechtikeit. p.347. lin.22. voci concedens adde Comma. & lin.27 l. Unterthanen. p.348.lin.3.adde in f.Encliticam Qve: p.351.lin.12.l.Universi.& lin ult l.ἐχέτω. p.352.lin.8.l.τὰ μὴ εἰδότα. p.354 lin.9. l.nimiam. & lin 15. l.Spiritus. p.356. lin.2.l.author p.362 lin.24. post vocem Fronkenstein. l.Boleslaus.p.363.lin.19.l.CCCC p.365.lin.8.l.mercaturæ. p. 366. lin.19. l.tituli p.367.lin.20. l.severam p.369 lin.23. dele non. p.372.lin ult.l. Veneficiis. p.374 lin.2. absterrere. p 375.lin.3.l.abominetur. & lin.10.l.exsecrationes & lin 12.tolle Colon. p.376.lin.5.l.lego. & lin.7.l.mortalem p.377.lin.25.l.adjungerent.p.380.lin.2.adde primo Commati: ἐν μέθῃ. & lin.27.l.Totschläger. p.381.lin.24.l.Apostoli. p.383.lin.8.l. τύπων, & junge Comma & lin.20.l.τιμῇ. p.384.lin 5.voci contemptoribus subjice: Idem notat vox παραγγελίαις. v.2. 1. Thess.4.extans. p.389.lin.9.l.hic.& lin.penult. adde

Corrigenda.

adde voci cellis Comma p.390. lin.23. l. Paulus. p.391.lin.17. adjice voci DEI Comma.p.393. lin.21. l. Turpilianum. p.400. lin. 10. voci præsumitur annecte Comma: idem dele post vocem Nobili: idemq; junge voci qvoq;. & lin.24.l. Legum latores.& lin.27.l.Glossa p.403.lin.10.l.videtur & lin.21.l.Philosophus. p.404.lin.15.l.contendis & lin.21.l.concertantibus.& lin.22. l auditis.p.407, lin.21.l. ῥαπισμάτων ἀπήλλαττεν. p.408. lin 18.l præcipiendi p.409.lin. ult.l.rem adumbrantis.p.412.lin.6.l.hæc.p.414.lin 6.l.repertum.p.418. lin.4. l.ἐλεγεία. p.419.lin.27. l.instar. p.420. lin.14. l.reservabat. p.421. lin.4. voci nobilis adjunge Comma: & lin. 20. voci eam annecte Comma. p.427. lin.21. cum voce facultatem Comma copula. p.437.lin.10 l materia. p.438 lin.10. l. hunc.p.440. lin.ult l.exercitationem p.442. lin 4 l plenæ. p 443.lin.14. l.At. p.445.lin.9. l.affirmante.p.448.lin.17. l. Magirus. p 454. lin 4. l.Lege p 455. lin.7.l.tantùm p.457.lin.2 l.sunt p.458.lin.18 dele? & lin.19.pro deleto Colo restitue? p.460.lin.1.l Getulaq;. p 461.lin.12 pro qvæ l.ea. p.461.lin.3 junge voci ministeriis Verbum utuntur cum Puncto.& lin.16. post vocem præcipuè dele Comma: & lin 17.vocibus comprehensurus & libertatem interſere vocem amplexantur: & lin.22.voci & junge Comma: & lin 24. voci rerum connecte Comma: & lin.27.l.Beata & p.463.lin.5.l mereatur: & lin.6.l.Superbissima, & lin. 23. pro Commate post vocem sistit pone? & lin 26. l.celerrimus. p.464. lin.10. l.relabi: & lin.20. l elopem.p.465.lin.19.l.perterruerint.& lin.27. pro Puncto redde? p. 466. lin. 3. socia Comma cum voce viros: & lin. 11.l. advocat. lin.24. dele punctum ante vocem JCtissimus. lin.27. adde voci reprehendi Comma.& lin.ult.l.manus.p.467. lin.28. l.tabularum. & lin.30. voci possunt junge Comma p.468.lin.1.voci ultimæ adde Comma.lin.2.l.Ibis.p.468.lin.19 l.Composito.lin.21.cum voce potest conjuge Comma.p.469 lin.4.voci redundans, ut & bilis,adde Comma. p 471.lin.8. l insereret cum puncto. lin.21. pro colo restitue Punctum lin.22.Particulam nec grandiore inchoa litera,ibiq; lege velim. p.472. lin. 2. deleto Colo,redditoq; Puncto pro n. restitue.N. lin.3. pro Commate priore statue Colon.lin.28. l.frustrentur. p 476 lin 8.l.jurisdictione.p.478.lin.9.voci est connecte Comma,idemq; post vocem Nobilitatem dele. p.479.lin.14.adde voci Nobilitati Punctum. p 480.lin.25.l.eumq;.lin.26. l.geminum.lin.29 adjunge voci Politicam vocem segregant.p.484.lin.26.dempta voce nimirum subjunge vocem filius. l. p. 488. lin 22. l considerata. p.490. lin.9.l.ἔθνη.& eadē ἀντέχθονας.lin.14. l.πλάτω.& ἡ.ibid.l πημωμένων. lin. 21.l.civitate.p.493.lin.8 l.mentem.& lin.11 l.dubitaverit.& lin.16.l. certis. p.494. lin.20.l.contigerit. Cætera pietas & benevolentia Nobilissimi, Eruditi & Prudentis Lectoris humanitati tribuet: qvæ, dum cavere tentat,in præcipitia errorum ruit & labitur.

FINIS.

D. I.